BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
E
6
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIII
e
6.



Digitized by Google

7

DE

ANIMI

TRANQUILLITATE

DIALOGUS.

FLORENTIO VOLUSENO, *Auctore.*

B. R. NEAPOLIS

FRANCOFURTI et LIPSIAE
ex officina GOEBHARDIANA.
MDCCLX.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

Si non artium modo, ſed omnium omnino humanarum rerum utilitas atque praeſtantia ex fine, ad quem earum quaeque dirigitur, pendi ac ſpectari debet: dubitari profecto non poteſt, tanto plus bonae frugis hunc Voluſeni libellum continere, quanto ardentioribus votis mentis illa, ad quam aditum munit, tranquillitas non ſolum ab iis, qui animum ad philoſophiae ſtudium adiunxerunt, ſed ab omnibus ad unum hominibus nullo non tempore fuit expetita, quantoque fini ſuo auctor ſatisfecit cumulatius. Equidem ego non id nunc operam dabo, ut anxie conquiſitis undiquaque verborum phaleris libello huic adrogem pretium, ſed, quam fieri poterit, breviſſime, quae ſint verae propriaeque illius dotes, exponam. Qua quidem in re, dici vix poteſt, quam difficile ſit ita verſari, ut ne legis, quam modo mihi dixi, oblitus laudando nimis extuliſſe

videar auctorem, qui omnis in hoc fuit, ut nihil, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria in medium adferret.

Nam optimi cuiusque ex priſcis illis ſapientiae conſultis praecepta cum ſuis copulando tam ſcite univerſae propemodum artis, quae ad rectam vivendi viam pertinet, rationem, et diſciplinam hac diſputatione complexus eſt, ut haud facile quisquam ſit ita bene ſubducta ratione ad vitam, quin palmaria quaedam ſapientiae monita, quibus pectus adverſus fortunam ſaevo laetam negotio roboret, ex hoc fonte haurire poſſit. Non ſolum vero ita philoſophatus eſt, ut nulli philoſophorum diſciplinae faſces ſubmitteret; verum etiam Chriſtianae religionis praecepta cum ſanioris ſapientiae inſtitutis arctiſſima colligatione devinciendo, quam manca quodammodo atque inchoata ſit omnis illa, quae ex ſola ratione eſt, quaerendae ſalutis noſtrae cognitio, acutiſſime commonſtravit. Scribendi methodo in graviſſimae hujus materiae pertractatione uſus eſt ea, quae ſummis olim viris tantopere in deliciis fuit, dialogica, qua certe ad argumenta in utramque partem adferenda nihil eſt accomodatius. Genus orationis adhibuit aequabile et temperatum; Non enim adeo vela pandit eloquentiae, ut juſto altius proveheretur, multo minus, veterum ſophiſtarum more calamiſtris intorſit orationem; ſed ad imitandum optimum quemque, praecipue vero Tullium ſibi propoſuit, cujus ληκύθους *Voluſeni*

ni noſtri dictionem redolere nemo, niſi obeſae admodum naris homo, non poteſt odorari. Qua certe in re, qui eum poſt ſe reliquerit, inveniemus fortaſſe neminem; quum, qui Sadoleti, judicis harum litterarum acerrimi, aures teretes atque religioſas latini ſermonis ſuavitate permulcere potuit, illum mirifice profeciſſe citra errandi periculum colligere poſſimus. Tam ſelectis quoque exemplis ac teſtimoniis a ſummis illis Graeciae, Latiique luminibus petitis orationem ſuam, tamquam gemmis quibusdam, diſtinxit, ut eum Socraticas chartas diurna nocturnaque manu verſaſſe obſcurum eſſe queat nemini. Denique id ſibi negotii datum credidit, ut, quae ſingula ad lucubrationum ſuarum commendationem plurimum momenti adferre potuiſſent, ea, egregio plane artificio, coniungendo, neſcio quid praeclarum ac ſingulare effingeret.

Quibus de cauſſis utiliſſimum hunc libellum, in noſtris terris perraro obuium, denuo typis exſcribere e re litterarum viſum eſt. Textus ad exemplar, quod prodiit Edinburgi, clↃ IↃ CCLI. *eſt expreſſus et commodioris uſus gratia in capita deſcriptus. Qua quidem in re principis ubique argumenti potius, quam evagationum nonnumquam longiorum ratio habita fuit. Quamvis autem hoc opuſculum affabre exaſciatum eſſe adſeruerimus, tantum tamen abeſt, ut auctorem omnes omnino maculas, ſingulari quodam humanae naturae privilegio, caviſſe con-*

tendamus, ut potius Te, amice Lector, ne paucis illis, quas forſitan animaduertes, offendare, etiam atqne etiam rogemus.

Καλὸν φρονεῖν τὸν θνητὸν ἀνθρώποις ἴσα.

Vale et conatibus noſtris fave.

FLOR. VOLUSENI

Ortus, Vita, et Mors.

Florentius Volusenus, (vulgo *Wilſon* aut *Wolſey*) natione Scotus, parentibus ingenuis in Moraviae provincia natus, ad Loſſaeum amnem amoeniſſimum, haud procul ab Elgino oppido; ad cujus templum, omnium quae tum in Scotia erant longe pulcherrimum, dum Tranquillitatis aedem, *p.* 129. et deinceps, deſcribit, alludere videtur. Diſciplinis liberalibus primum in patria in Gymnaſio Aberdonenſi imbutus; deinde Lutetiae Pariſiorum eruditior factus eſt; ibique Eboracenſi Cardinali Thomae Volſaeo, aut Voluſeno, innotuit, qui fratris ſui filium ei erudiendum commiſit; a quo multis beneficiis honorifice cumulatus fuit. Poſt, cum patrui mors a puero illo Florentium diſtraxiſſet, ad Bellaium Pariſienſem Epiſcopum ſe contulit. Cum quo, itinere in Italiam, Romam verſus proficiſcens, Jacobum Sadoletum Cardinalem, tum Epiſcopum Carpentoractenſem, viſendi ſtudio ductus, et ab eodem humaniter acceptus eſt. Haud multo poſt tempore, Praeſul ac Conſules Carpentoracti, ob ſingularem viri virtutem, accenſi ſunt omnes deſiderio retinendi hominis, ad publicam liberalium artium profeſſionem obeundam. Res pacta, tanta civium voluptate et gaudio (teſte pio Praeſule) ut omnes novam felicitatem urbi exortam exiſtimarent. Poſtquam autem complures annos in Italia, Gallia, aliiſque exteris regionibus tranſegiſſet; tandem in patriam rediens, anno Salutis humanae 1546. Viennae in Delphinatu ad Rhodani ripam fatis conceſſit. Unde Vates quidam hoc carmine ei parentavit:

Hic muſis, Voluſene, jaces, cariſſime, ripam
Ad Rhodani, terra quam procul a patria?
Hoc meruit virtus tua, tellus quae foret altrix
Virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

Doctorum aliquot virorum de

FLOR. VOLUSENO

ejuſque ſcriptis Teſtimonia.

JAC. SADOLETUS *Card.* Lib. VI. Epiſt. 16.

JOAN. LOTHARINGIO *Cardinali.*

Non putavi moleſtum tibi me facturum, ſi eum hominem tibi commendaſſem, quem in primis dignum tua benevolentia eſſe arbitror. Florentius Voluſenus, natione Scotus, elegantia morum et literis Latiniſſimus: de quo homine ſane agendum paucis tecum eſt; quippe qui tibi probe notus ſit, et tuae bonitatis ope ac ſubſidio literarum ſtudiis Lutetiae aliquantum tempus operam dederit. Is cum ſuperioribus menſibus urbis Romae viſundae ſtudio flagrans, de tua voluntate, cum collega tuo Joanne Bellaio, viro ornatiſſimo, in viam ſe dediſſet, atque Avenionem uſque eſſet pervectus; ibi adverſa valetudine et inopia rerum neceſſariarum ſubſiſtere eſt compulſus: pauloque poſt ad me ſe contulit. Quem ego, quanquam pertenuis, et magnis rei familiaris difficultatibus affectus, jucunde tamen comiterque accepi: cognitoque mox hominis ingenio, et natura ingenua liberalique perſpecta, etiam in honore deinde habui.—*Et paulo poſt:* — Sed ut eo redeam unde diverti, Florentius mecum nunc Carpentoracti eſt, maximoque animo et incredibili aſſiduitate optimis literis, praeſertimque Philoſophiae dat operam; mihique in quotidiana conſuetudine admodum jucundus et gratus eſt. Te porro dominum et patronum praedicat ipſe ac profitetur. — Eum ergo tuae fidei, bonitati, liberalitatique commendo: et abs te vehementer peto, ut quando ipſe non minus hic ſtudia doctrinae perſequitur, quam ſi Lutetiae eſſet, velis pro tua praeſtanti liberalique natura, eam mercedem annuam illi

ſal-

ſalvam abs te eſſe, quam jampridem conſtituiſti. Hoc cum tua amplitudine, generiſque tui ac virtutis gloria dignum eſt, tum mihi certe facturus es gratiſſimum. — 1536.

Idem, *ad* Paulum Sadoletum, Epiſt. 3.

Doctorem huic juventuti et magiſtrum abs te quaeri, non puto fore amplius opus. Narrabo enim tibi, ſimulque tu agnoſces, quanto plus ſaepe fortuna polleat, quam hominis conſilium. Receperam me forte in bibliothecam nudius quartus, cum eſſet jam nox: ibique attentius libros quoſdam volvebam; cum cubicularius nuntiat, eſſe qui me conventum velit. Rogo quis homo? Togatus inquit. Jubeo intromitti: Accedit. Interrogo, quid ſibi velit, quia illa hora adeat ad me. (Cupiebam enim abſolvere ocius hominem, et ad ſtudia me referre.) Tum ille, repetito altius principio, ita apte mecum, ita accurate et modeſte locutus eſt, ut mihi curam injecerit cognoſcendi interius, et percontandi. Itaque clauſo libro, ad eum totus converſus, ſciſcitari incipio; cujas ſit, quam diſciplinam profiteatur, quid ſibi quaerens in has regiones venerit? Ac ille: Scotus ſum, inquit. Ex ultimane, inquam orbis terrae natione? Etiam. Ubi ergo diſciplinis liberalibus operam dediſti? (Quod ideo interrogavi, quia ejus ſermo et Latinitatem et ingenium redolebat.) In patria primum, inquit, complures annos Philoſophiae operam dedi: deinde Lutetiae ſum eruditus; ibique Eboracenſis Card. fratris filium in diſciplina mea habui. Poſt, cum patrui mors a puero illo nos diſtraxiſſet, ad Bellaium Pariſienſem Epiſcopum me contuli; eramque cum illo Romam profecturus, niſi morbus me gravis in itinere ab eo disjunxiſſet. Quid ergo tibi hic expetis? inquam. Cupiditas, inquit, primum tui viſendi, quod maxime optabam, huc me compulit.

Deinde cum Avenione eſſet mihi dictum, te alicujus hominis indigere, qui juventutem tuam hanc erudiret, ſi forte ego eſſem iſti negotio aptus, offerendum tibi ego me duxi: non tam onus illud appetens quidem, quam tibi gratum facere ſtudens; et ſimul intelligens, fore mihi laudi, quodcunque munus apud te, et tuo juſſu hortatuque ſuſcepiſſem. Quid quaeris? Uſque eo mihi placuit, ut primo mane Glocerium conſulem, atque Heliam accerſierim: expoſui de homine quid ſperarem, et quae mihi in eo egregie complacita eſſent omnia narravi. Certe enim ejuſmodi modeſtiam, prudentiam, compoſitionem oris atque vultus, vix in Italo homine talem expectare potueramus. Neque hoc contentus, ad prandium invito cum Florentium ipſum, (hoc enim illi eſt nomen) tum medicum noſtrum, de quo ſcripſeram ad te antea; itemque Heliam, una cum Conſulibus. Poſt prandium ſtatim diſputationes me cohortante inductae ſunt: argumenta phyſices aſſumpta: certatum a medico noſtro acriter, obtorto vultu, magniſque anhelitibus, Ille alter, modeſtus, placidus, nihil non ad rem, nihil non accurate et ſobrie, ſane quam perite omnia et intelligenter. Quin cum ego concluſiſſem argumentum quoddam adverſus medicum, tortuoſum ac difficile, in quo erat enodando magnus illi labor: iſte, petita venia, ſolutionem protulit quam maxime fieri potuit docte atque accommodate. Quid quaeris? Accenſi omnes deſiderio ſunt retinendi hominis, Conſuleſque eum ſevocaverunt. Res pacta eſt aureis nummis centenis: tanta cum voluptate civium, ſicuti ego audio, ut omnes novam quandam felicitatem huic urbi eſſe exortam putent. Quin circumferuntur ſermones, quos cum Conſulibus habuit, ita liberales atque ingenui, ut nil poſſit ſupra. Quamobrem ſpero huic negotio et muneri optime proviſum fore.—Habet autem iſte, quod mihi maxime voluptati eſt, Graecarum etiam literarum quod pueris imbuendis ſit ſatis. Quocirca de eo ſine cura eſſe potes, *&c.*

Idem

Idem, Epiſt. 13. Lib. xvi. Flor. Voluseno.

Eum, qui ſuperioribus diebus tuas ad me attulit literas, teſtimonio tuo adductus, libenter vidi: opemque illi et ſtudium meum detuli, ut multum apud me valuiſſe commendationem tuam facile intelligere potuerit. Nec te tua ſane, quam de me habes, fefellit opinio. Sumus enim, ſemperque fuimus, ad bene de doctis et probis hominibus merendum, ſi minus opibus et facultatibus inſtructi, at certe natura ſtudioque propenſi ac parati. Te quidem, quem et optimis artibus eruditum, et in his de religione diſſentionibus optime ſentientem ſemper judicavimus, eo quo debemus ſtudio atque amore proſequimur. Itaque quod ſententiam exquiris noſtram, quam viam, cum in patria tua conſtiteris, in qua maximas de religione contentiones eſſe ſcribis, inſiſtere debeas; nos id tibi conſilii dabimus, quod et amore noſtro erga te, et virtute et pietate tua dignum ſit; quod tamen a te jampridem captum eſſe minime dubitamus. **** Sed haec, ut voluntati tuae obſequerer, non quo te putarem de his rebus non optime et ſentire et tecum ſtatuiſſe, jam attigi. Tu velim benevolentiam erga me tuam conſerves: tantumque de animo et voluntate mea tibi pollicéare ac ſpondeas, quantum virtus et probitas, et vetus tuum erga me ſtudium poſtulat. Vale. *Romae 1546.*

Tho. Dempsterus *Hiſt. Eccleſiaſt. gent. Scot.* Lib. xix.

FLorentius Voluſenus, vir ingenii exercitatiſſimi, Jacobo Sadoleto, Carpentoractenſi Epiſcopo, et S. R. E. Cardinali familiaris, ut ille teſtatum reliquit, *lib.* vi. *Epiſt.* Romam inviſit cum Joanne Bellaio Cardinale. Avenione in morbum incidit, et cum adverſa fortuna diutiſſime luctatus eſt. Scripſit * *Philoſophiae Ariſtotelicae ſynopſin.* lib. iv. *De Conſolatione* lib. ii. Quo opere nihil legi Latinius. Commendat mirifice Geor. Buchananus lib. ii. Epigramm. *Hic Muſis* &c. Floruit anno 1536. fortunae adverſae et novercantis injuria exercitatiſſimus. Obiit Viennae in Delphinatu.

**Horum*

* *Horum alterum nunquam typis fuiſſe mandatum admodum probabile eſt; eo quod in clariſſimarum Bibliothecarum, aliiſque (quas nos quidem vidimus) librorum nomenclaturis, nuſquam compareat. In alterius vero titulo, argumenti ſimilitudine Dempſterus, allucinatus, atque hos de Conſolatione libros, pro eo, quem hic exhibemus,* De Animi Tranquillitate Dialogo, *poſuiſſe videtur. Neque hoc injuria exiſtimare licet, tum quod idem ſaepius viro alioqui doctiſſimo uſu veniſſe compertum eſt, tum praecipue ex eo, quod optimi hujus, atque unici, quod ſciam, ſuperſtitis libelli, nulla apud eum ſit mentio. Reperi quidem in Catal. Biblioth. Thuanae Flor. Voluſeni opuſculum, cui nomen eſt,* Commentatio quaedam Theologica, quae eadem precatio eſt in Aphoriſmos diſſecta, 8*vo.* Lug. per Seb. Gryphium 1539. *Quo autem in angulo deliteſcat, an penitus interierit, nihil certi poſſum ſtatuere; neminem equidem novi, qui de eo quidpiam vel fando audiverit.*

Julii Cuspii Calabri ad Lectorem DECASTICHON.

Pauca tibi, Lector, dicam, quae pauca notato:
Me certe invenies non niſi vera loqui.

Magna quidem, ut noſti, res eſt facundia, major
Doctrina eſt, pietas vincit utramque tamen.

Haec ſimul, ut cernis, tria per ſe ſingula magna,
Hoc, licet exiguum, quam bene jungit opus.

Singula ſic magna cum ſint digniſſima laude,
Sat, liber hic laudis quid mereatur, habes.

Sed quia vix habitant tria, quae modo diximus, una,
Vix erit et judex qui queat eſſe libri.

Con-

Conſpectus Capitum.

CAP. I. *Occaſio colloquendi. Tranſitus ad diſputationem de animi tranquillitate.* p. 1.

CAP. II. *Num arte aliqua animi tranquillitas parari poſſit. De ſuperandis difficultatibus. Definitio tranquillitatis.* p. 10.

CAP. III. *De appetitu ſenſitivo et rationali. Definitio affectus. Quo ſenſu Deo affectus tribui poſſint. De pugna appetitus ſenſitivi et rationalis. De affectuum concauſis et ſedibus.* p. 26.

CAP. IV. *Affectuum diſtinctio, recenſio, qualitas. Diverſae philoſophorum ſententiae.* p. 56.

CAP. V. *Explicatio et defenſio indolentiae Stoicorum. Qua ratione affectus nobis in virtutis ſtudio adiumento eſſe poſſint.* p. 74.

CAP. VI. *Amoris ad rationis normam directione facile nos reliquos affectus moderari poſſe. Voluntatis pravitatem ex judicii errore originem trahere.* p. 93.

CAP. VII. *De imperio intellectus in voluntatem, virtutisque praeſtantia ſemper ante oculos habenda.* p. 112.

CAP. VIII. *Voluſeni Somnium. Aedes Tranquillitatis. Explicatio inſcript. primae columnae: Flagrans ſtudium bene merendi de ſe ipſo, et ſe ipſum perficiendi.* p. 127.

CAP. IX. *Explicatio inſcriptionis ſecundae columnae: Oportet nos verorum bonorum agnitione inſtructos eſſe.* p. 141.

)o(

Cap. X. *Explicatio inſcriptionis tertiae columnae: Ne, quae aliena ſunt, propria aut noſtra eſſe putemus.* p. 164.

Cap. XI. *Explicatio inſcriptionis quartae columnae: Turpiter et fruſtra ab externis requiem petes.* p. 173.

Cap. XII. *Explicatio inſcriptionis quintae columnae: Non magnifice ſentire de ſe ipſo, aut placere ſibi ipſi: neque alios deſpicere.* p. 196.

Cap. XIII. *Sextae columnae inſcriptio: Poſtquam providentiae ſervus es, non dominus: pare volens atque alacer. Explicatio tripartita.* 1.) *De meditatione conditionis humanae.* p. 210.

Cap. XIV. 2.) *Mundum divina providentia regi, omnesque adeo caſus in meliorem partem eſſe accipiendos docetur, variique nodi expediuntur.* p. 220.

Cap. XV. 3.) *Levitas opinionis Epicureorum confutatur, animique immortalitas aſſeritur.* p. 273.

Cap. XVI. *Explicatio inſcriptionis ſeptimae columnae: Malle id eſſe, quod es, quam quiduis aliud: atque hac ratione te beatum exiſtimare.* p. 283.

Cap. XVII. *Explicatio inſcriptionis octavae columnae: Exercitatio, converſatio et potiſſimum cavere a ſe ipſo.* p. 301.

Cap. XVIII. *Aedes Chriſtianae Religionis. Explicatio inſcriptionum. Somnii finis.* p. 329.

Cap. XIX. *De veritate Religionis Chriſtianae.* p. 340.

Cap. XX. *Qua ratione certi de ſalute aeterna reddi poſſimus.* p. 351.

DE

DE
ANIMI
TRANQUILLITATE:

INTER

Franciſcum Michaelem, Florentium Voluſenum, et Demetrium Caravallam,

DIALOGUS.

CAP. I. *Occaſio colloquendi. Tranſitus ad diſputationem de animi tranquillitate.*

FRANC. HOC mane, Florenti, nobis intermittendae ſunt lectiones: ſentio enim valetudinem ab eo, qui nos heri perflavit, Argeſte, nonnihil labefactatam. Quocirca, ſi non eſt quod te alio vocet, aſcendamus in hortum, et coelo hoc ſereniore, levationis nonnihil, ut ſpero, allaturo, aliquantiſper fruamur.

Flor. Eamus quo voles: nam et me quoque juvat, ex amoenis hiſce collibus formoſum hunc rerum vultum, quo me cunque vertam circumfuſum, liberius contemplari. Verum, ſi moleſtum non eſt, interea dum veſtem accipio, tu prior aſcende: ipſe te eveſtigio conſequar.

Franc. Jam clivoſae hujus viae difficultas eſt ſuperata: proximum eſt, ut, donec, quam aſcenſus attulit, laſſitudo ſit depulſa, opaco hoc in loco in herboſis hiſce ſedilibus propter hanc pergulam conſidamus: poſt, cum erimus ſedendo feſſi, nos dabimus in ambulationem. Tu interim, ſi quid habes auditu dignum, (habes autem ſemper), ne nobis tempus inaniter elabatur, in medium afferre non gravere.

Flor. Heri cum me, ut mihi mos eſt, trans Ararim in librarias illas tabernas, quas haec urbs habet et multas et inſtructiſſimas, contuliſſem; duas de ſpectatae fidei viro res intellexi; quarum utra me pejus habeat, non facile dixerim. Et, ut te interrogandi labore levem, earum prior eſt, gentes Britannicas eſſe in armis, et ingentem Anglorum exercitum, qui in Scotos ducatur, nuper eſſe contractum. Popularibus meis, hoc eſt, Scotis, quos Latine Caledonios populos dicas, non poſſum non bene cupere. Nihil enim patria dulcius, ut eſt apud Homerum, ἔιπερ καὶ τὶς ἀπόποοθι πίονα οἶκον γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει. Anglorum ſemper in me ſingularis fuit humanitas, et eorum pleriſque beneficiis, non vulgaribus, ſum devinctus. Praetereo florentiſſimi Regis

gis gratiam, per quam ſane non ſtetit, quo minus ipſe jamdudum omnibus eis ornamentis, quae a fortuna proficiſci poſſunt, ſim ampliter collocupletatus. Impia illa atque inteſtina bella, quibus inſula omnium, quas Sol (quod ſatis conſtat) videt, ſive ſoli genium, ſive gentium praeſtantiam ſpectes, longe princeps et clariſſima, aſſidue concutitur, non prius, quantum conjectura auguror, finem invenient, quam ex duobus regnis unum confletur; aut certe gentes ipſae utrinque in eam, quae Chriſtianos decet, hoc eſt, in ſanctam atque indiſſolubilem quandam adducantur concordiam. Cur autem hoc utriuſque populi interſit, et cur utriſque optandum ſit, et quid me in hanc mentem impellat, niſi intempeſtivum eſſet, priuſquam ulterius progrediar, clariſſimis argumentis commonſtrarem. De altera illa re, quae ad religionem pertinet, te jampridem certiorem factum eſſe arbitror; quemadmodum videlicet non ita multis abhinc menſibus, praeſtantes aliquot ex veſtra Italia viri, ſe ad Germanos eos contulerunt, qui Romani antiſtitis dignitatem, et recepta quaedam apud nos de religione dogmata, multos jam annos, non minore ſucceſſu quam ſtudio, oppugnant. In his eſt Bernardinus Ochinus, vir in concionandi facultate, quantum ad ſacra pertinet, longe omnium facundiſſimus; idemque apud vos religioſae cujuſdam factionis, Scapucinos vulgus vocat, olim facile princeps. Sunt item et Petrus Martyr, et Paulus Laciſa, viri cum linguarum multarum, tum philoſophiae variae atque multiplicis cognitione

 in-

inſigniter inſtructi. Et, quod rationibus noſtris majorem in modum officiat, quodque facile praeſtet, ut, quaecunque ſcribant, ſecundos habituri ſint Italiae populos, et in ſuam pleroſque adducant ſententiam, ſunt omnes natu grandes, nec non ſanctitatis nomine vulgo mirifice commendati. Hic a cordatis viris antiſtitum deſideratur officium, qui ſi ea, quae ſuſtinent, munera fideliter obirent, hoc eſt, ſi faſtu atque luxu poſitis, ἐυαγγέλιον puriter docerent, et Chriſti rationes cariores ſuis ducerent, non exiſterent ejuſmodi defectiones: nec praeclara hoc genus ingenia ad eos, qui pietatis hoſtes Pontificum atque Regum edictis ſunt denuntiati, tam facile ſe aggregarent.

FRANC. Etſi iſtud tuum in patriam ſtudium, et te, qui officium et memorem erga bene meritos animum libenter praeſtare ſoleas, majorem in modum collaudo: non tamen propterea video, cur te tam ſollicitum habere debeant res illae, quas conſtituere aut dirigere in te poſitum non ſit. Scis ſapienti praeter culpam nihil eſſe praeſtandum; qua cum vacat, caetera illi aequiter et moderate ſunt perferenda. Hanc ergo, quae bellorum exitum reſpicit, curam permitte ſuperis. Tibi ſane, qui in doctrinae ſtudiis pene ab ipſis incunabulis verſatus es, non licet, ut te exiſtimes popularem eſſe alicujus definiti loci; quin potius, cum Socrate et Stoicis, omnis hic orbis, qui ab hominibus incolitur, tibi patriae, imo vel unius urbis loco eſſe debet: in qua, ſi ratione aliqua offenſus illi vico, unde ortus

ortus es, ingenii tui dotibus uſui eſſe non potes, proximum aut alium quemlibet pro viribus orna. Patet tibi haec Gallia, patet et Italia noſtra, in qua jamdudum multos tibi amicos habes; plures profecto, ſi eo te rurſus conferas, habiturus: qui quidem in te amando atque ornando, neque Anglis, neque Caledoniis tuis, dicere auſim, ſint ceſſuri. De religione porro, quod ſecundo loco retuliſti, viderint ipſi antiſtites, qui certe non diu impune auferent, ſi quam obtinent provinciam incurioſe adminiſtrarint. Nos, quod ſatius erit, iſtiuſmodi ordinum inſectatione omiſſa, in noſmetipſos, quod aiunt, deſcendamus; et an ipſi noſtrum praeſtemus officium ſedulo diſpiciamus. Non enim illorum negligentia cauſam noſtram, ſi mala erit, adjuvare poterit. Neque tamen haec eo dicta accipi velim, tanquam ipſe pro improbis ac nefariis hominibus propugnationem ſuſcipere cupiam, aut quod de tuo candore quicquam addubitem: ſed quod neſcio quomodo praepoſtera hac quorundam caritate offendar, qui aliena vitia acutiſſime cernunt, in ſuis ſunt talpis caeciores. Si quid ab aliis delictum eſt, id magnae religioni habent, accuſant graviter, et vehementer, ut videri volunt, indoleſcunt; de ſua ipſorum vita, etiam ut inquinatiſſima ſit, corrigenda nihil interim ſolliciti. Itaque ab odioſis his rebus, imo et ab aliis item vernaculis atque quotidianis, ad praeſtantem aliquam materiam, et quae aliquid ſolidae utilitatis ſit allatura, ſermonem traducamus.

Flor. Sunt iſta tibi, Franciſce, et ſapienter et humaniter dicta, quibuſque ipſe audiendis non mediocriter mehercule ſum confirmatus: quocirca magnam a me fateor tibi deberi gratiam. Quodſi oratio mea, ea parte, qua religionis antiſtitum deſidiam carpſit, tibi paulo acerbior viſa eſt, ita ſuperſtes ſim, atque ita mihi propitius ſit Chriſtus, ut ego, quod in hac cauſa vehementior fui, atque gravius in eum ordinem invectus ſum, non malevolentia, aut atrocitate aliqua animi, ſed publicae ſalutis atque dignitatis ipſorum ſtudio ſum commotus. Sed nunc me ad id quod tu flagitas accingo, et quidem lubens: quandoquidem eo abs te vocor, quo ipſe prior ſponte mea cucurriſſe debueram. Macte tu interim animi, qui non ſolum, quod a curis neceſſariis ſupereſt, tempus, ſed etiam hoc quod valetudini curandae impendendum eſt, in hoc aetatis flore, conculcatis juvenilibus deſideriis (quod, adulandi ſuſpicionem inter tot rei hujusce teſtes nihil reverens, dico) in praeclariſſimis hiſce ſtudiis, quibus animi decus acquiritur, immortali tua cum laude libenter conſumis. Verum age, in quibus nos ſermonibus vis verſari, et qua de re vis verba faciamus?

Franc. De quacunque, quae proprie ad componendum animum pertinebit, me ſane auditorem habebis; ſic jampridem affectum, ut opus futurum non ſit apparato aliquo exordio me docilem reddere, vel attentum. At cum ex auditoris uſu ſit, ſi quid aliud, quoties animum dubitatio ſubit, percontandi libertas: illud oro, ut ne

ne grave tibi ſit, ſi vel ego, vel ille noſter Demetrius, qui huc, ut cernis, quo conſuetudinis noſtrae particeps ſit, properanter accurrit, te diſſerentem interdum interpellet: alius, quod ſciam, interventor erit nemo.

Flor. Tu mihi nunc eas das partes agendas, quas tibi ipſi ſervaſſe debebas. Nam in te ad naturae felicitatem, quae plane ſingularis eſt, acceſſit copioſa praecocis cujusdam ſapientiae penus, quam tu perpetua vitae moderatione, quae philoſophandi ratio eſt praeſtantiſſima, tibi paraſti. Sed quia ad qualecunque ingenium videor ipſe tibi doctrinae aliquid atque artis adjunxiſſe, vis ut ipſe diſſerentis perſonam ſuſtineam: faciam id equidem, modo ſciam poteroque; neque eam, ad quam accedere me cupis, (etſi ingenii agitur exiſtimatio), diſputationem defugiam: ea tamen lege, ut tu argumentum ſuppedites. Tantum vero abeſt, ut mihi moleſtum futurum ſit, orationis meae curſum interpellatione veſtra impediri, ut vix quicquam gratius accidere poſſit. Nam etſi vos ſatis alioqui ſcio cupidos docti atque utilis ſermonis, crebro tamen a vobis interpoſitae quaeſtiones majorem facient conſtantis cujuſdam attentionis fidem. Adde, quod contradictione tempeſtiva, ut ferrum ferro acuitur, excitatur acumen diſputantis, et veritas ipſa elicitur facilius, ſi adhibita altercatio modum non excedat. Quare, ſi quid uſus venerit, facite ne interfari, neve contradicere, aut arbitratu veſtro percontari omittatis. Sed quid hoc ſibi vult, quod protinus in altam quan-

 dam

dam cogitationem mihi defixus, atque propemodum jam demerſus videris?

Franc. Nunc mecum tacitus hodierni coeli faciem cum heſterno confero, atque eas res, quas oculis hauſi, ad animi ſtatum traduco. Quod dum facio, caſu in id incidi argumentum, (nam hujus afferendi curam noſtram eſſe voluiſti), quo ego nullum vel uberius, vel fructuoſius, (etiam ſi anxie quaeratur), inveniri poſſe exiſtimo, et quo nullum mihi occurriſſe malim.

Flor. Aveo quam primum ſcire, quodnam iſtuc ſit tibi tantopere gratum.

Franc. Heri dum nubibus, pluvia, et moleſtis illis ventorum flatibus omnia confuſa eſſent et conturbata, quam ingratus et coeli fuit aſpectus? Rerum extinctus decor videbatur, et naturam ipſam luctus quidam occupaſſe. Hodie nec imber cadit, nec fragor aliquis violentior exauditur, nec interpoſita nubes Solis officit fulgoribus, et priſtinus tandem rebus reſtitutus eſt nitor. Unde fit, ut animi etiam noſtri, reducis atque velut poſtliminio redeuntis, hilaritatis ſint participes. Hunc ipſum ad modum triſte, atque in primis inamabile quiddam eſſe apparet mens ignorationum tenebris obducta, atque furioſo iſto curarum ſtrepitu jactata: et contra,

Felix ille animi, diviſque ſimillimus ipſis,
Quem non mendaci reſplendens gloria fuco
Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus.

Sed

Sed tacitos ſinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuae tranquilla ſilentia vitae.

Verſus hos, etſi ſunt recentis cujusdam ſcriptoris, (Angeli, ni fallor, cujusdam Politiani), recitavi tamen libenter, tum quod ad propoſitum pertineant, tum quod tute eos ipſos nudiuſtertius, ſi memini, mihi luculentis verbis dilaudaveris : illud interea, quod mihi magnopere probatur, affirmans; non tam quo tempore, quam quid, et quo modo quis ſcripſerit, referre.

Flor. Iſta commentandi forma animum procul dubio philoſophiae natum reſipit, eſtque inter ea indicia, quibus ſe quis in probitatis ſtudio nonnihil promoviſſe dignoſcat, a Plutarcho auctore ſane non ignobili relata; non ſolum videlicet ex libris, aut ſapientum ſermonibus, ſed etiam undelibet, et ex quavis re obvia, quantumlibet ea minuta ſit, conferendis ſimilitudinibus et exploranda rerum convenientia, locupletandae atque exaugendae virtutis anſam arripere. Sic Socrates rixoſae uxoris jurgia, propter liberos qui ſuſcipiuntur, perferenda collegit; non ſecus ac moleſtos ac nimium vocales illos gallinarum ſtrepitus, propter ova. Sic Diogenes, dum puerum forte conſpicaretur e manu in poculi effigiem conformata bibentem, ad paupertatem inſtructior abiit, et poculum quod in pera circumferre ſolitus erat, ceu rem ſupervacaneam abjecit. Sic Plinius, naturalis hiſtoriae clariſſimus auctor, ex eo, quod a lacrymis et nuditate vitam auſpicemur, coarguit eorum demen-

tiam, et vanitatem caſtigat, qui ſe ab ejuſmodi initiis ad ſuperbiam genitos eſſe exiſtimant. Sic Seneca nos excelſo atque erecto animo contra mortem eſſe debere contendit; propterea quod ſorices, et ignaviſſima id genus animalcula, a natura ipſa ad fugam generata, ubi non patet effugium, ſe convertunt ad hoſtem; et quamvis corpore ſint imbelli, nihilominus ſe ad pugnam animoſe comparant. In ſumma, omnium ſapientum libri referti ſunt hujusmodi collationibus. Et eſt ſane iſta tua concinna in primis, atque ab illuſtri ducta principio, dum horrifico et perturbato rerum vultui ſollicitum animum, et contra laeto atque ſereno eundem, cum eſt tranquillus, comparas. Sed quorſum evadas expecto.

Cap. II. *Num arte aliqua animi tranquillitas parari poſſit. De ſuperandis difficultatibus. Definitio tranquillitatis.*

Franc. Scire ex te cupio, an iſta animi tranquillitas, nullo, ut mihi quidem videtur. non redimenda pretio, ſit ratione aliqua in hac vita parabilis?

Flor. Parabilem eam eſſe omnino, etiam dum hic vivitur, arbitror: et ſi non perfectam, gradum tamen aliquem ejuſdem illuſtrem et minime poenitendum, ſi ad eam laudem gnaviter incubueris, tibi pararis.

Franc. Qui fit ergo, ut in tam numeroſa mortalium turba tam pauci eam aſſequantur? Quo-

Quotus enim quiſque eſt, qui non laboret faſtidio ſui, qui non inexplebili votorum cupiditate torqueatur, qui ſua ſit ſorte aut conditione contentus? Neque opinandum eſt, quenquam uſque adeo ſibi ipſi invifum, ut querulum vitae ſtatum deponere, aut aerumnis carere nolit.

Flor. Expetunt quidem hanc omnes ad unum, nec aliud tot ſudoribus, et tam laborioſo vitae curſu quaerimus omnes, quam tranquillitatem. Eſt enim ea tanquam jucundiſſimae cujusdam requietis portus. Ita enim ſtatuere neceſſe eſt, cum omne negotium otii alicujus cauſa ſuſcipiatur. Verum, quia, vel propter ignorationem non ſatis nobis conſtat, qua in re poſita ſit tranquillitas, aut unde ea naſcatur; vel propter infractionem atque debilitatem animi, viam quae ad eam ducit, etiam ut nota ſit, firmis veſtigiis non inſiſtimus; ſit, ut rariſſimi ſint, qui ad eam perveniant.

Demet. Quomodo eam petunt, ſi ignorant? Num fieri poteſt, ut rem incognitam appetamus?

Flor. Norunt quidem omnes generatim, tranquillitatis voce ſignificari abſolutam quandam animi, nihil ultra, vel certe anxie quaerentis, pacem: caeterum quorum ex bonorum adeptione ea conſtet, aut ea ipſa bona, ex quibus illa procreatur, quemadmodum ſint paranda, non ita vulgo eſt intellectum. Qui morbo affligitur, ſcit quid ſit ſanitas: verum idem quibus ea rebus

bus paretur, et quo modo ſit facienda medicina ignorat. Puer matrem domo clam ſe egreſſam ſequitur, ſed cum ventum eſt ad trivium, atque illa nuſquam apparet, jam animi dubius, et conſilii inops, ſe ad clamores et lacrymas convertit; nunc huc, nunc illuc, iratus et ejulans, furioſa et incerta erratione ſe proripit, ut inveniat. Scit aliquo abiiſſe matrem: verum cum neque quo neque qua ſit eundum expedire aut conſtituere poſſit, ipſe ſe inaniter excruciat. Et profecto nos non multum diſſimiliter, non ſatis in promptu habentes tranquillitatis adipiſcendae rationem, nunc ab hac, nunc ab illa re fruſtra animi expletionem petentes, tota (quod aiunt) erramus via, et nos ipſos perpetuis angoribus conficimus: imo, ſimiles illis qui in labyrintho properant, *quo ſumus in praepoſtero curſu* (ut ait Seneca) *celeriores, hoc ab eo quod petimus longius abſcedimus.*

Franc. Eſt ergo ars aliqua, cujus praeceptionibus in tranquillitate acquirenda dirigamur?

Flor. Eſt ſane. Nam in hoc totius philoſophiae moralis munus poſitum eſt, atque verſatur, ut intelligatur, quae ſint nobis bona maxime expetenda, quorum fructu abſque interventu moeroris oblectemur; et quibus rationibus compeſci poſſint affectuum tumultus, per quos animo non licet inoffenſe perſequi ea, quae vera eſſe bona jam a ratione definitum eſt. Sed ſingularis eſt in hac philoſophiae parte colenda hominum oſcitantia et ſupinitas. Pauci ſunt, quorum

rum interſit aut logicen, aut ſermonis expoliendi artificium didiciſſe. Naturalis pars tota propemodum opinioſa eſt, niſi quum de metiendis corporibus, aut numeris fit mentio. Hic certius quiddam expromitur; reliqua propemodum ſunt (ut facete dixit Lucianus) περὶ τῆς τοῦ ὄνου σκιᾶς pugnae. Et ut indagatio naturae ſit pulcherrima, partis tamen hujus abſolutio in hac vita ſperari non poteſt. Una moralis pars reliqua eſt ad omne hominum genus ſine ulla exceptione pertinens. Nemo enim eſt, cujus non referat placide et tranquille vitam degere: quod cum non aliunde, quam a moralis diſciplinae (quae et bonorum finem, et iter quod eo ducat demonſtrat) cura ſperari poſſit, ſtatim ab ineunte aetate hoc ſcientiae genere imbuendi ſunt adoleſcentum animi, et utiliſſimis vitae praeceptionibus aſſidue perſonandae ſunt juventutis aures. Sic enim facilius reliquae aetatis partes, atque totius vitae curſus, in perſequendis officiis confirmari poſſunt. Nunc quotuſquiſque eſt (quo quid indignius aut deploratius cogitari poteſt?) qui non prius ad vitae terminum veniat, quam, quemadmodum degenda fuerit vita, intellexerit; qui non prius ex luce hac demigret, quam, cur in lucis hujus poſſeſſionem venerit, perſpectum habeat; et ante in ipſo curſu obruatur, quam potuerit portum conſpicere? Diligenter ergo in hanc artem totius vitae atque officiorum magiſtram incumbendum eſt: ſtudioſe diſcenda eſt haec via, cujus ignoratione, aut deſertione, non modo non ad illud otium, quod quaeritur, pervenis; ſed etiam in aerumnas et ineluctabiles

quaſ-

quaſdam difficultates incidis. Opus eſt autem hic praemonſtrator dexter, et itineris dux percommodus. Adeo enim jejune atque frigide, hoc eſt, abſque omni ſuavitate, atque abſque ullis aculeis orationis, a pleriſque traduntur morum praecepta, ut is qui legit aut audit, plurimum inanis, nihil permotus, et abſque ullo fructu diſcedat.

Demet. Finge me eum eſſe (atque utinam re ipſa non forem) qui propter inſcientiam hactenus a via ab errarit. Nam puero mihi, vel mea, vel parentum culpa, non fuerunt haec ſtudiorum genera magnae curae; neqne propter negotia unquam habui ſepoſitum tempus ad diſcendum, et ad dandum operam philoſophis. Verendum eſt igitur, ut videtur, ne ſi nunc, hoc eſt, tam ſero, coner meipſum a vulgari vitae ratione ad hanc ſapientem et felicitatis effectricem diſciplinam traducere, laterem (quod aiunt) lavem aut Æthiopem ſtudeam dealbare; neque, uſque adeo digreſſo, in viam redeundi facultas ſit ulla. Quis enim dedoceri poſſit, quae tam diu didicerit? Quid tu hic faciundum cenſes?

Flor. Ego te, Demetri, neque politioris literaturae, neque humanitatis expertem ſcio: imo ut magni uſus, nec hebetis ingenii hominem ſuſpicio. Sed quia tibi libet modeſtiae cauſa praeſtantiam tuam diſſimulare, tecum in praeſentia colloquar, ac ſi unus aliquis eſſes ex vulgo. Attigiſti tu quidem iſto tuo extremo ſermone,

mone, magna ex parte, quid facto opus ſit: ſed quo res ſit dilucidior, ad eas ipſas quas tute attuliſti, me referam ſimilitudines. Ac illud primum te rogo, ſitne conſentaneum, ut, poſtquam vulgaris via illuc, quo tu tendis, non ducit, alia quaedam ſit tentanda?

DEMET. Iſtuc ſane non minus neceſſarium eſt, quam conſentaneum.

FLOR. Dic et illud; anne aliquando tibi iter facienti uſu venerit, ut offenſus aqua aut ſalebris, a publico et detrito itinere in pratum aut agellum diverteris; atque ubi in viam redeundum fuit, jam toto emenſo ſpatio, coactus ſis incitato equo retro, unde veneras, te referre.

DEMET. Uſu venit quidem hoc ſaepiſſime, et interdum non ſine comitum riſu, qui me animi cauſa, commodioris viae ſpecie falli paſſi ſunt: cum vel agger, vel praealta foſſa, vel denſior aliqua ſepes jam longius provecto exitum negaret.

FLOR. Haud ſecus ei, qui in vitae tranquillitate inquirenda curſum ab initio male inſtituit, faciundum eſt. Neque enim eo ducit iter, in quod ſe vulgus aſſidue dat; neque ejus eſt generis haec tranquillitatis via, ut ab illa vulgari in hanc, deſultoria aliqua tranſitione, commigrare queas: ſed oportet, ut ad ipſum viae caput te referas, et a calce (quod aiunt) ad carcerem reverta-

vertare. Nam in ipſo principii puncto aberratio plurimum contingit; et in eo totius pene profectionis momentum poſitum eſt. Quod ſi conſiliorum atque opinionum mutatione ipſum viae caput tenere poteris, res omnis eſt (mihi crede) opinione facilior: et quod paulo ante inſuperabile videbatur iter, jam ſe tibi commodum et confectu facile exhibebit. Vide nunc, ut iniquiter per difficultatis cauſam, vel officium deſeritur, vel inquirendae tranquillitatis ſtudium intermittitur.

FRANC. Hic mihi temperare non poſſum, quin contra dicam. Semper ego accepi hanc eſſe communem ſapientum omnium ſententiam, quaecunque praeclara eſſent, eadem continuo eſſe et difficilia. Lucae, dum nobis pueris in literario ludo Ciceronis epiſtolae praelegerentur, illud Heſiodi, quod Cicero epiſtolae cuidam infarſit, mihi auditum eſt,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Quibus, ut opinor, verbis ſignificatur, ſudandum eſſe iis, qui ad aliquam virtutis excellentiam contendunt. Sudor autem et difficultas, etſi aliquid differunt, ſunt tamen omnino finitima. Videſis nunc, an recte abs te factum ſit, qui in tranquillitate animi, rerum omnium facile clariſſima, quaeque, quod tute non diffitebere, non niſi per virtutem parari poſſit, acquirenda, non dubitaris facilitatis inferre mentionem. Quid, per Deum immortalem, vel praeſtabilius vel admira-

mirabilius cogitari poteſt, quam humanum animum in hoc imbecillo corpuſculo etiamdum habitantem, ita eſſe conſtitutum, ut etiam ſeptus ab omni parte miſeriis, atque undique fortunae telis impetitus, non modo ſibi conſtare poſſit, ſed etiam intrinſecus, hoc eſt, ex ſeſe incredibiles quaſdam, quibus ſeſe ſuſtentet atque ſoletur, gignat ſuavitates? Nam hoc, ut opinor, in ratione tranquillitatis clauditur. Et nos, ſi ſuperis placet, quieſcentes et ſecuri ad excelſiſſimum hoc rerum faſtigium feremur? Quid decantatius eſt illis Romani poetae verſibus?

——Facilis deſcenſus Averni.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras.
Hoc opus, hic labor eſt. Pauci, quos aequus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Diis geniti, potuere.——

Quid? quod et CHRISTUS ipſe (ſi hominum te non frangit auctoritas) ait, eam, quae ad vitam ducit, viam anguſtam eſſe, et non ab ita frequente turba detritam.

FLOR. Hoc tibi non invitus largior, neque virtutem, neque hoc quod quaerimus mentis otium, neque ullam omnino rem praeclaram, ſine labore aliquo parari. Non enim minus verum quam pervulgatum eſt illud, τὰ καλὰ χαλεπά. Do item et illud; non niſi virtutis ductu ad tranquillitatis arcem ſcandi poſſe. *Semita* namque *tranquillae per virtutem* (ut ait Juvenalis)

 patet

patet unica vitae. Verum, vel virtutis, vel laboris nomen auſpicantibus obtrudere, ex uſu eſſe non arbitror. Eſt *virtus*, fateor, res pulchritudinis incomparabilis: ſed quemadmodum mores duriuſculi in inſigni forma ſolent procos abſterrere, ita ipſa duritas, quam prae ſe virtutis fert vocabulum (eſt enim virtus, quae cum difficultatibus luctatur) efficere poſſet, ut novitii ipſius cultores animum deſpondeant. Caeterum rem ipſam atque vim virtutis tradendam omnino arbitror, et quidem diligentiſſime. Itaque, ut qui pueris, vel qui grandiuſculis, qui delicatiore ſunt palato, medentur; ſi in pharmaco, vel medicata potione multum inſit abſynthii, mellis nonnihil admiſcent, vel poculum a labris dulci quopiam liquore oblinunt, ne ingratus ſapor deprehenſus, ſalutiferi medicaminis ſumtionem impediat; ſic virtutis, qui apparet, horror eſt ipſa tranquillitatis ſpecie obvolvendus, ut non tam ad virtutem, quam ad perpetuam quandam etiam praeſentis vitae jucunditatem, multa ad haec facilitatis ſpe injecta, invitari ſe intelligant mortales: ſic enim et confluent cupidius, et in incepto conſtantius perſiſtent. Ineſt enim in ipſa tranquillitatis appellatione dulce et illecebroſum quiddam, quodque animos ad ſe attrahat atque pelliciat. Habent item et artis praeceptiones, ſi commode tradantur, ſuas quaſdam rationes, a quibus, niſi fero et immani ſis ingenio, valde abhorrere non poſſis. Et ut illa quae medicis dicuntur ἀνώδυνα, tum praecipue habent gratiam, cum ipſa nullum interim afferentia doloris ſenſum, dolorem depellunt; ita praeclararum re-

rum

rum difficultatem imminuiſſe, plane res eſt antiquae laudis.

Franc. Quomodo te hic nobis de vanitate atque impoſtura (quod pace tua dictum ſit) purgabis? Nonne iſtuc eſt alienam credulitatem mendacii aſtructione ludificari, ſi in negotio, in quo plurimum ſit ſudandum, facilitatem polliceare? Fides, et ſimplicitas philoſophos, hoc eſt, morum magiſtros, praecipue decent. Ingredere ergo ad plenius hujuſce ſententiae rationem explicandam.

Flor. Nihil eſt hic omnino fraudis aut impoſturae. Primum, quod ejuſmodi ratione illius conſulatur commodis, quem adjuvandum ſuſceperis; qui propoſitam rerum difficultatem alioqui fortaſſe refugiſſet. Deinde, quod virtus ubi adaucta fuerit, ne veſtigium quidem difficultatis relinquit in eis actionibus, quarum ipſa eſt auctor. Difficile eſt initio obſiſtere libidinibus, refraenare cupiditates, irarum ardores refrigerare; maxime ſi ab uſu firmitudinis aliquid acceperint. Verum poſtquam ad tempus aliquod conſueveris ejusmodi ſapientiae muneribus fungi, libens et ſponte tua praeſtabis, quod aegre antea tibi, et non niſi invito extorqueri poterat. Hoc et Heſiodus in eo ipſo affirmat loco, cujus tu nunc nuper principium citaſti:

——— ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα. Hoc eſt.

 — *Ubi*

——*Ubi in ipſa cacumina ventum eſt,*
Jam facilis facta eſt via, quae fuit ardua dudum.

Haec dum incipias (ut eſt apud Terentium) *gravia ſunt, dumque ignores; ubi cognoris, facilia.* Poſtremo loco, et illud expendendum eſt; etiam quae eſt in principiis difficultatem mirabiliter imminui, ſi legitime, et unde oportet, occoeperis. Si non in limine impingitur, facilis eſt rerum progreſſus. Tolle inſcitiam, tolle exitioſas de rerum pretio perſuaſiones, totius errationis fontem; et expeditus erit ad omnem excellentiam curſus. Jace fidelia virtutis fundamenta: hoc eſt, tanti unamquamque rem aeſtima, quanti ipſa aeſtimari debet ac meretur, et non pluris; et tum quod reliquum eſt molis, videbis pene ſponte ſua conſurgere. Nuſquam vel juſtius vel verius quam hic, illud ejus ipſius, cujus proxime commemini, poetae uſurparis, ἀρχὴ ἥμισυ παντός: quod tantundem eſt, ac ſi dicas,

Dimidium facti qui bene *coepit habet.*

Caeterum quod ex Virgilio allatum eſt, ſolis iis, qui Diis geniti ſunt, conceſſum, ut ab inferis redeant (hoc eſt, ut equidem intelligendum arbitror, ut corporum, et periturarum rerum amore poſito, ad purum et ſtabile illud animorum decus aſſidue rapiantur) ſententiae noſtrae non admodum officit: eo quod nemo noſtrum non ſit ex Divorum genere. Siquidem divus Paulus in Apoſtolorum hiſtoria, illud ex Arato pro-

profert hujuſce rei teſtimonium, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Animus tamen ſaepiſſime culpa ſua, et propter corporis ſocietatem degenerat: quapropter illi ſoli Diis geniti videri poſſunt, qui corpori quam minimum indulgent. Poſtremus ille, quem ex ſacris depromſiſti locus, ad majores res pertinet: et ſingularem eſſe virium noſtrarum imbecillitatem, in iis, quae Chriſtiana pietas exigit, praeſtandis, demonſtrat. Sed et hic quoque, niſi me falſum habent, quaecunque ad hanc ſententiam confirmandam occurrunt, ſudoris multo maxima pars poſita eſt in ipſo limine. Hanc tamen tollit divinus quidam afflatus: qui ubi contigerit, quanta protinus, bone Deus, exiſtit animorum alacritas, etiam in ſummis doloribus perferendis. Hujus rei argumento ſint Apoſtoli, primi Chriſtianae pietatis conditores; atque alii, quorum mentes ſemel ſacroſancta illa de Chriſto perſuaſio imbuerat: qui (ut in naſcentis religionis annalibus proditum eſt) tum potiſſimum gaudere ſoliti ſunt, et hoc nomine ſe maxime deputare felices, quum digni habiti eſſent, qui pro Chriſti Servatoris nomine contumeliis afficerentur.

Franc. Eſt, ut ex ſermone tuo colligo, quaedam parandae tranquillitatis ars, quamvis ea non ita multis ſit explorata. Eſt et eadem, ſententia tua, multo, quam vulgo exiſtimetur, facilior, ſi recte tradita ſit, et idonea cautio in principio adhibeatur. Hactenus bene habet, et pulchre hucuſque proceſſiſti, et nos ſane in magnam ſingularis cujuſdam fructus ſpem erexiſti

facta jam fide imminuendi laboris. Nam rerum eſt difficultas, quae noſtram alacritatem in virtutum ſtadio decurrendo retardat. Faxit Deus, ut caetera tam ſpecioſis principiis reſpondeant. Nunc ipſe, ut quid querar in ſinum tuum deponam, quanquam id do operam, ut inter hos curarum ſtrepitus, in quos non tam de voluntate mea, quam eorum quibus quicquam negare mihi fas non ſit, ſum conjectus, utcunque mihi conſtem: nullo tamen ſtudio hactenus ſic mentis angores, et tanquam vulnificos quoſdam ictus declinare potui, quin, quamvis non confodiar, pungar tamen acriter interdum; et ab optato tranquillitatis portu, tanquam vento quodam reflante, prohibear. Quocirca illud te etiam atque etiam oro, ut expeditiorem iſtam portus hujus contingendi rationem nos doceas: atque hoc exiſtima a nobis afferri argumentum, in quo tractando occuperis. Quae huc uſque dicta ſunt, perquam accommodatae cujuſdam proluſionis locum obtinere videntur. Quod ſi praeſtiteris quod quaerimus, (ut omnino praeſtaturum confidimus) praeclare ſane apud utrumque noſtrum (ut etiam pro Demetrio, quem nondum in Jovis ſinu poſitum arbitror, pollicear) te poſiturum, tibi perſancte confirmo. Poſſe autem te aliquid hac in parte, vel inde ut credam adducor, quod videam te in egregia iſta fortunae tenuitate perpetuo placidum, atque hilarem, et externum hunc rerum ſplendorem magno atque excelſo animo deſpicientem. An iſtuc divinitus, et extra communem hominum morem acceperis, haud ſcio: hoc ſatis conſtat, rem tantam nemi-

nemini fortuito contingere. Naturae item beneficio attribuere non auſim, cum temperatio tua (quod me diuturnus noſter convictus, atque domeſticus uſus abunde docuit) acris ſit in primis, et earum rerum, etiam quae vulgo praeclarae habentur, percupida. Sed tu eam in ordinem cogis, atque velut fraeno quodam moderationis reprimis. Conſequens ergo eſt, ut iſtam animi aequabilitatem arte ac induſtria ſis conſecutus.

FLOR. Ut verum eſt illud Ciceronis, *naturae bonitatem doctrinam imitari;* ut diſtribute atque ex arte collegiſti. Sed ad rem veniendum eſt. Quum eis praeſidiis, quae argumenti dignitas poſtulat, ſatis inſtructus, atque ad rem tantam idonee comparatus non ſim, (magna enim hic requiritur ingenii vis, magna multarum artium diſciplina) eſſetis mihi in praeſentia vos ad illos relegandi ſcriptores, qui hanc ipſam rem ex profeſſo et nominatim tractarunt: ad Senecam, inquam, et Plutarchum, imo et ad Ciceronem ipſum, qui hiſce de rebus in Tuſculano ſuo copioſiſſime diſſeruit. Verum quia fides ſemel data liberanda eſt, quod vultis, efficere conabor; atque apud vos, ſi non eruditionis, certe ſtudioſae voluntatis qualecunque pignus deponam. Dolet mihi hoc, ſed fero, me non tantum ſtudii in bonis literis poſuiſſe, ut poſſim quod petitis cumulate praeſtare. Sed cum ipſe, quicunque tibi videar, Franciſce, communibus hominum infirmitatibus plus ſatis haud dubie ſim obnoxius, atque me mei multo, quam vellem, ſaepius poeni-

teat; me magiſtrum ad hanc rem ſine ſumma arrogantia profiteri non poſſem. Itaque non quae tibi via tenenda ſit, ſed quam, ut ad iſtam quam jamdudum es adeptus animi conſtantiam pervenires, coeleſti quodam ductu, et ingenii felicitate adjutus tu tenueris, communiter tecum inquiram. Interea dabis veniam homini barbaro, hoc eſt, in alia lingua, atque aliis moribus, nempe inter ultimos Britannos nato atque educato, atque doctrina iſta, quae nobis tranſmarina eſt et adventitia, ſero et leviter tincto, ſi in tanto argumento inſcientius verſetur: ſi cruda ſit, et peregrinitatem redoleat dictio: et, ut ſummatim dicam, in crimine mihi non pones, ſi in feſtinato opuſculo apparebit (apparebit autem omnino) vel rerum vel ſermonis egeſtas. Haec eo mihi praedicenda ſum arbitratus, quod, quamvis ingenii opinio nunquam ſit ſtudioſe quaerenda, non tamen propterea eſt negligenda omnino.

Franc. Modeſtiae iſti tuae tandem aliquando modum impone Florenti; et bonis, quod aiunt, avibus orationis tuae vela ventis quam primum expande. Ipſe tuapte natura jejunitatis atque inanis orationis, ut ſemper obſervavi, oſor es; et ipſe ornatum non magnopere requiro, contentus eo ſermone, qui apte et congruenter rem explanet: quapropter, fore ſpero, ut pulchre inter nos conveniat. Nec illud ignoro, tibi proprium hunc eſſe morem, ut plus praeſtes quam pollicearis.

Flor.

Flor. *Tranquillum*, ut arbitror, Romani ſermonis conſuetudine dicitur mare (aut ſi quid aliud eſt, quod ſimiliter agitari ſolet) cum tumidi illi fluctus, quos violentior aura concitavit, conquieverint. Ejus inſtar, ut tute principio recte animadvertiſti, *animi tranquillitas eſt placida ipſius perturbationum tumultu vacans conſtantia.* Vel ſi brevior placet definitio (in more enim poſitum eſt, et diſputationis natura exigit, ut a definiendo principium ſumatur) *eſt aequabilis et rationi conſentaneus animi ſtatus.* Hujus definitionis vim vox Graeca εὐθυμία ſignificanter admodum exprimit. Exiſtit ergo tranquillitas ex affectuum ſedatione, tanquam ex cauſa effectrice. Ipſe affectionum animi ordo quietus et conſtans, eſt ipſa tranquillitas, ex qua continuo perennes vulgoque ignotae voluptates pullulant.

Franc. Apparet ergo perturbationum eſſe flatus, per quos non licet animo eſſe quieto.

Flor. Eſt ſane ut cenſes. Nam momentum omne in iis ſedandis poſitum eſt: iis viribus atque opibus eſt omnibus repugnandum, ſi volumus hoc, quod datur, breviſſimum vitae ſpatium tranquille placideque traducere: ſic, *ut neque ab ira*, ut Ciceronis verbis utar, *igneſcat animus, neque inflammetur libidine, neque deliqueſcat voluptate.*

Cap.

Cap. III. *De appetitu ſenſitivo et rationali. Definitio affectus. Quo ſenſu Deo affectus tribui poſſint. De pugna appetitus ſenſitivi et rationalis. De affectuum concauſis et ſedibus.*

Franc. Operae pretium igitur erit, in ipſo inſtitutae diſputationis veſtibulo, priuſquam in praecipuae partis explicationem ingrediare, de affectuum ingenio, atque diſcrimine diſſerere; et quas habeant ſedes, unde veniant, quis eos denique Æolus immittat; quod commodum atque opportunum erit explicare.

Flor. Faciundum eſt haud dubie ut dicis: ſed quoniam quas propoſuiſti diſputationes, potius ad naturalis philoſophiae genus, quam ad morale, in quo nobis verſandum eſt, pertinent; erunt illae obiter duntaxat, et tanquam in tranſcurſu attingendae. Ergo, quo res omnis ſit dilucidior, primum generatim quid ſit Affectus explicabitur, unde item manet, et quod habeat domicilium. Mox, quot, qualeſque ſint; et profligandine ſint penitus, an duntaxat moderandi. Ad extremum, quae ſit moderandorum ratio, et quas ex ea re utilitates capiamus. Hae partes, ubi ut decet abſolutae fuerint, inſtitutarum inter nos ſcholarum curſus, non incommode, ni fallar, confectus erit. Principio illud intelligendum eſt, Boetium, (virum, quod ad rerum cognitionem pertinet, longe doctiſſimum), ea quae Graeci πάθη vocant, *Paſſiones*, ſed minus Latine dixiſſe. Nos, cum Cicerone et Quintiliano, *Perturbationes*, *Affe-*

Affectus, aut *Affectiones*, dicamus. Ut autem liquido conſtet quid ſit Affectus, operae pretium erit rerum partitionem ab ipſo capite arceſſere. Eorum, igitur, quae extrinſecus et aliunde perfici apta ſunt, cujuſmodi ſunt omnia praeter Deum ipſum, alia ſunt cognitionis omnis prorſus expertia; ut elementa, et inanimum omne ex his conflatum: his et ſtirpes addas licet; quae quidem omnia naturali quadam pronitate, abſque ullo rei congruentis ſenſu antecedente, ad ea quae conveniunt feruntur. Naturalis hic appetitus nonnullis vocatur. Hujus vi ſaxa, et quaecunque pondus habent, ſidunt; levia tolluntur in altum; planta item ſuccum haurit ex humo; et in ſumma, res omnis illud, a quo perficiatur, requirit. Hic cogitatione potius, quam re ab eo cui ineſſe dicitur, eſt diſtinctus. Aliae ſunt res cognitione praeditae, et hae quidem triplicis ſunt generis: quaedam ſenſu duntaxat valent; cujus officium eſt circa res craſſas, et corpora duntaxat verſari: idque fit abſque collatione ſimilitudinum, atque eo diſcurſu, qui rerum ordinem aut nexum videat; quamobrem exiguis quibuſdam finibus totum ejus munus eſt circundatum. Ad hunc ordinem pertinent belluae, quibus omnibus adeſt appetitus, qui *Animalis* dici poteſt, vulgus *Senſitivum* vocat, ſed minus, ut credo, Romane. Eſt autem is facultas ea, qua animans id, quod jam per ſenſum exploratum eſt, perſequitur aut refugit. Alia ſunt intellectus praeſtantia atque puritate uſque adeo inſtructa, ut nihil quicquam corporeum in eorum natura inſit: quod genus res ȣσίας κεχωρισμένας, hoc eſt, *Eſſentias*, ſi

ſi tamen ita loquendum eſt, *ſeparatas*, imo et Deos philoſophi interdum vocant; nobis *Mentes*, *Intelligentiaeque* dicuntur: et pro religionis conſuetudine, quae ad nos ex ſacris defluxit, Graeca voce *Angeli* vocantur. In iis ineſt ſimplicis cujuſdam naturae appetitus, quem *Voluntatem* vocamus, Tertium cognoſcentium genus eſt eorum, quae a natura et ſenſus, et rationis ſeu intellectus dono ſunt locupletata; cujuſmodi eſt ſolus Homo: qui quidem, ut per ſenſum quod in corporibus craſſum eſt percipit, ſic rationis atque ingenii beneficio corporum rationes atque ordinem, quaecunque vel ſupra vel ſubter ſunt, imo et res incorporeas, ac ſub ſenſum minime cadentes, ſagaciter perveſtigat, atque aliquouſque aſſequitur. Huic, propter variam et multiformem naturam, (eſt enim, ut recte a Platone animadverſum eſt, *Homo minor quidam mundus, rerum omnium quae in hoc majore clauduntur particeps*), praeter inclinationes illas ac pronitates, quas *Naturales* diximus, inter quas famem ſitimque referas licet, adſunt altera illa duo appetitus genera; *Animalis*, inquam, qui ſenſus comes eſt, et *Rationalis*, quae *Voluntatis* vocabulo eſt inſignita. Hujus munus eſt, rationem quocunque ea ducat ſequi, atque illi perpetuo obſecundare. Eſt autem inter poſteriores has duas appetendi facultates, (nam de naturali atque infima illa ulterius verba facere non attinet), non leve diſcrimen, tum in ipſis quae expetuntur rebus, tum in ipſo expetendi modo; quod tamen omne ab ea quae antegreditur cognoſcendi ratione varia, et imparibus judicii terminis dimanat. Nam

ut

ut ſenſibus corporum duntaxat agnitio, atque ea quidem craſſa, conceſſa eſt: ſic qui ex illo manat appetitus ſolius corporis commoditates conſectatur, nec ultra ſe porrigere poteſt. Unde fit, ut omnis belluarum cura in perſequendis corporum commodis atque ſuavitatibus ſit poſita. Intellectus, contra, non ſolum res ſenſiles agnoſcit, (nam ſemper ſuperior in cognoſcendo facultas complectitur omnem inferioris virtutem, cum auctario non levi) ſed etiam ſenſilium praetervectus fines, et ſupra ultimas corporum oras volitans, ad res corporaturae prorſus expertes, imo ad inacceſſum illum rerum principem, quae ipſa puritas atque divinitas eſt, quodammodo penetrat. Et hae ſunt res, circa quas excelſior illa appetendi facultas proprie ſe exercere debet: haec illi conſtituta eſt arena; hic attributus campus, in quo exultet. Modus autem utriuſque facultatis diverſus eſt, ex eo quod animalis appetitus inconſiderato impetu et exultatione neceſſaria, ac libertatis experte, ad definitas cupiditates efferatur: Voluntas vero, poſtquam ad rationem de re expetenda aut gerenda relatum eſt, libere ſe in quandam bonorum immenſitatem effundit: quorum alia ad corpus, alia ad animum pertineant; alia ſint praeſentia, alia futura; et alia oculis, alia animo duntaxat cernantur. Eſt enim Voluntas ipſa, quemadmodum et Intellectus, cujus eſt comes, materiae ſua ipſius natura exors. Materiae vero peculiare, (quod iis qui in interioris doctrinae ſtudiis ſunt verſati ſatis liquet), hoc eſt, ut formarum amplitudinem ad particulares rationes et anguſti-

as

as quaſdam adigat. Nam rerum apud nos numerus et partitio eſt ex mole diſſecta: et materiae diviſionem ſequitur diſtinctio rerum in eandem ſpeciem convenientium, ut Ariſtoteles noſter non uno in loco ſubindicat. Itaque quo facultas aliqua a materia longius abſcedit, hoc liberior eſt; hoc porrectiorem habet ad excurſus ambitum: ut nihil mirum ſit, ſi homo, qui per rationem a materia ſuapte natura quam longiſſime remotam, rerum omnium capax eſt, in rem quamlibet citra vel temporum, vel locorum metas, ſtudio atque voluntate feratur: nec ad ullam rem ſe neceſſario applicet, niſi tale aliquod ſit propoſitum bonum, quod intra ſe manifeſte illam bonorum infinitatem complectatur. Nam in hujus generis bonum, quam *Felicitatem* vocant, repudii ratio non cadit. Et hoc ſane non contemnendo argumento eſt, nos ad majora, atque praeſtabiliora, quam in hac vita conſequamur bona, imo ad immenſum quiddam eſſe natos. Ab his diſtinctionum exordiis eſt acris illa et perpetua in homine inter ſenſum et rationem conflictatio. Senſus nos ad id quod adeſt praeſens corporis bonum abripit: ratio contra ſuadet, ut uſque tueamur dignitatem noſtram, ſervemus decorum, quod ſenſus videre non potuit; et ut ad immortalium rerum praeſtantiam nulla facta intermiſſione feramur. Ariſtoteles in ſuis de Anima commentariis tradit, hanc appetituum dimicationem in ea duntaxat animante reperiri, quae temporis certum habeat judicium, et quae, quid inter inſtans et futurum interſit, internoſcere queat. Hominem haud dubie vult intelligi,

qui

qui ſaepe contra quam praeſens corporis affectio ſuadet, propter ſperatas in poſterum commoditates, praeſentium rerum difficultates atque dolores contemnit. Sic morbis laborantium ſanitatis ſpes alios amaras exhaurire potiones, alios ſectiones et cauteria perferre, alios ferro membra crudeliter laceranda tolerare inſtituit. Atque utinam apud nos tantundem poſſet aeternitatis recordatio, atque immortale illud animorum decus, quantum ſaepe poſſe ſolent exiles hujus vitae ſuavitates, non certo venturae, atque ubi venerint certo et brevi periturae. Caeterum belluae (ut illo unde digreſſi ſumus redeamus) ad praeſentis doloris perpeſſionem, venturae alicujus commoditatis ſpe, nunquam excitari poſſunt; propterea quod nulla ſit iiſdem futurorum proviſio. Extruunt quidem nidos aviculae, canis odoratu ferae veſtigia perſequitur, et penus condit *inopi* (ut poetae verbis utar) *metuens formica ſenectae:* ac ne infinitatem perſequar, ſexcentas id genus aſtutias, et multiplicem, tam in terreſtrium quam aquatilium genere ejuſmodi induſtriam deprehendas. Verum, ut philoſophorum doctiſſimis placuiſſe video, fiunt haec omnia, non ratiocinatione aliqua, aut conſilii alicujus de futuro ſolliciti providentia, ſed caeco quodam ſuperioris impulſu atque inſtinctu naturae. Appetitus tam exacte, quam nos jam fecimus, diſtinxiſſe priſcis illis philoſophis curae non fuit: nobis tamen, qui non tam ratione, quam religionis auctoritate adducti, animum a corpore diſſociabilem, et ſeparatae cujuſdam eſſe naturae, certo nec immerito conſtituimus,

tuimus, ſecus facere non licet: ne cum is corpore liber erit, ſuis videatur ſpoliatus facultatibus et inſtrumentis, atque adeo ad inertiam quandam et ſepulturam, quam natura maxime in praeſtantibus rebus refugit, adactus. Nunc appetituum diſtinctione (quae quidem neceſſario commemoranda fuit) abſoluta, ad Affectus definitionem veniamus. Vox ipſa *Affectus*, etſi latius patet, tamen ſignificatio, quam nos in praeſentia tractandam ſuſcepimus, aliud non eſt, quam appetitus humani ex rei alicujus jucundae vel moleſtae ſenſione ſuſcitata commotio. Etenim ut in viſu, quod exempli cauſa dicitur, admoto colore, ſi non deſit lux, exurgit ea vel actio vel affectio, quae *viſio* nominatur; ſic eo, quod vel convenit vel diſconvenit animanti, per ſenſum aut rationem propoſito, protinus exiſtunt in appetitu motus quidam adlubeſcentiae aut averſationis; hoc eſt, amores, irae, gaudia, metus, aegritudines, reliquique ſub hos ſubjecti, aut iis finitimi perturbationum greges. Uſurpare cogor interdum voces fortaſſe apud principes illos Romani ſermonis auctores non temere inventas: ſed hoc facio, ut quam maxime ſignificem quid velim, et rerum declaratio atque intelligentia ſit facilior: quandoquidem illa effectus atque fructus eſt ſermonis omnis, et ad quem tanquam ad ſcopum omnis tum dictio, tum ſcriptio jaculari debet; et a qua ſi aberres, etiam ſi ipſa ſis facundia, infacundus es. Erit ergo operae pretium interdum ſubtilitates cogitationum communibus verbis et uſitatis explicare; quanquam, ut ingenue quod verum eſt fatear, licentioſum ſermonem,

monem, maxime qui a forma Romanae orationis valde aberrat, non exiſtimem eſſe probandum. Sunt ergo in hominibus, ut illo unde abii me referam, duplices affectus: alii craſſiores, homini cum belluis communes, quos animales dixi; alii ſubtilioris cujuſdam naturae, qui proprie ſunt ejus facultatis, quam voluntatem dicimus: qua parte eſt nobis proxima cum ſeparatis illis mentibus cognatio.

Franc. Duplex hic me habet ſcrupus, uterque quidem ex tuis verbis ortus: Prior eſt ex eo, quod amorem atque gaudium inter affectus, dum obiter quoſdam recenſeres, retuleris. Hoc ſi verum eſt, cum affectus idem ſit quod perturbatus quidam animi motus; qui fieri poteſt, ut in Deum, aut in eas quae ſecundum Deum primae ſunt dignitatis, mentes amor aut gaudium cadere poſſit? Magnus eſt (ut a vobis, quos perpetua habet naturae perſcrutatio, accepi) eruditorum in eo conſenſus, atque inter philoſophos omnes conſtare illud audio, principem illum motus auctorem neceſſarie prorſus, et ab omni parte immotum eſſe, adeoque et perturbationis omnis immunem. Gaudium autem aut amorem, ſi Deo, aut reliquis coelitibus detraxeris, atque eos hominum gratia et caritate teneri negaveris, non ſolum ſacrae, ſed et profanae quoque literae, ſi tamen ullae profanae ſunt, te mendacii et coarguent et damnabunt. *Carior eſt* enim *illis* (ut profano cuidam poetae, ſed minime profane dictum eſt) *homo, quam ſibi.* Unde nobis eſt vita ipſa, unde nobis ſunt tot ani-

mi atque corporis inſignes dotes, niſi Dei immortalis beneficio atque conceſſu?

Demet. Quae poſſet vel Deo, vel cuiquam eſſe vita, quae nulla ſit vel amoris vel gaudii ſuavitate reſperſa?

Franc. Alter hujuſmodi eſt: Poſtquam voluntas praeſtantioris animae, quippe ejus quae rationalis dicitur, facultas eſt; qui fit, ut perpetuo tam turpiter ſuccumbat, et in omni pene lucta ab appetitu illo animali vincatur? Apparet igitur, aut nullam eſſe, aut certe otioſe adjectam, cum a ſuo ſibi munere perpetuo ferietur, nec nobilem illam et praeclaram ſuam vim expromat uſquam. Quotuſquiſque eſt in hominibus, qui ſplendidas illas immortalitatis rationes perſequatur; qui non vel totus ſit in libidinum coenum demerſus, vel a ventoſis laudibus in inanitates abreptus; qui non denique ſic praeſentis temporis commoda quaerat, ut virtus, ut probitas, ut ſuperi inania videantur vocabula, et quibus nulla prorſus ſolida ſubſit ſignificatio; ſed tantum philoſophorum commentatione ſupervacua ſint in hominum ſermonem inducta?

Flor. Vos abundantia quadam acuminis me obruitis; et, ut mihi quidem videtur, uterque alteri conſtituiſtis in me oppugnando eſſe ſubſidio. Danda ergo mihi terga forent, niſi nobis pueris deguſtata eſſet Dialectica, a qua non parum eſt adjumenti ad argumentationum difficultates tollendas. De Deo breviter ſic habitote,

nam

nam me hic tanquam dilemmate quodem tenere viſi eſtis: Affectuum alios eſſe, qui illi non niſi μεταφορικῶς, hoc eſt, per translationem quandam atque ſimilitudinem tribuantur. Sic et iraſci, et furere quoque dicitur; quod genus locutiones etiam in ſacris admodum ſunt frequentes. Nam cum ii in ſe difformitatem quandam cohibeant, proprie in illum convenire non poſſunt. Recte itaque illud a Theologis praeceptum eſt; ut quoties quippiam apud nos inventum, oratione noſtra in Deum transfertur, ſi vox una ſecum deforme aut imperfectum aliquid afferat, cogitatione animi omnis deformitas amputetur atque detrahatur. Ira ergo, aut furor, in illo non ſunt turbidi motus, ſed ſedatiſſimae juſtitiae cogitationes, quibus ex poenae acerbitate irae atque furoris nomina imponuntur. Alii ſunt qui proprie in illum competunt: cujuſmodi ſunt, quos proxime commemoraſti, amor et gaudium; et quaecunque ejuſmodi ſunt voces, nihil ſecum indignitatis afferentes. Verum tanta eſt rerum omnium illius exſuperantia, ut tam hi, quam ſuperiores illi, quorum tranſlatitiam eſſe rationem diximus, alieniſſimae cujuſdam ſint a noſtris, cum illi tribuuntur, naturae; atque ab omni eo, quod mobile aut turbulentum eſt, penitus ſegregatae. Caetera extra Deum in ſe varium quiddam habent ac multiforme. Deus ipſe ſimplex quaedam eſt, et uniuſmodi res, nihil in illa rerum infinitate concretum habens, eoque Theologi voces Deo hominibuſque communes, inter eas quae ὁμώνυμα dicuntur, hoc eſt, quae diverſae ſint in ſignifi-

cando rationis, repoſuerunt. Noſtri ſermonis inopia non poteſt attingere ineffabilem illam Dei omnipotentis majeſtatem: et tanto intervallo ab illa rerum excelſitate abeſt haec noſtrarum rerum humilitas; ut noſtra, ſi cum illo componantur, picturarum aut imaginum, vel verius umbrarum, quam rerum ſolidarum locum teneant. Quocirca prae illius gaudiis, atque ea vitae beatitudine, qua ille fruitur, quicquid eſt apud nos vel voluptatum vel laetitiarum, moeroris atque doloris pene rationem accipit. Et, ut finitima illa de Angelis quaeſtio paucis abſolvatur, (nobis enim propoſitum eſt, non mentium illarum ingenium aut mores excutere, ſed animi noſtri vitiis mederi) obſervandum eſt illud, quod Peripateticae factionis philoſophi concorditer tradunt, motus rationem proprie non niſi corporibus convenire: proinde affectus tunc, et non alias, motus rationem accipere, cum in ea inſunt re, quae ex animo corporeque conſtat. Inferiores ergo illae mentes, etſi infinito intervallo a principis illius mentis puritate abſunt, quia tamen corporaturae prorſus ſunt expertes, ſubtiliter et illae, atque citra ullam motus turbulentiam, afficiuntur. In nobis vero utrique affectus motus induunt rationem: ſed alteri, hoc eſt, animales, id ex ſua natura habent; voluntarii vero non item. Omnis enim affectio animalis, ſenſilem quandam corporis immutationem habet adjunctam: in gaudio ſanguis et ſpiritus quidam alacres ſuaviter circa praecordia diffunduntur: in metu et aegritudine, contra, eorundem fit moleſta contractio; quam et oris pallor comi-

comitari ſolet: in ira ineſt bilioſus quidam fervor, et immodica ſanguinis excalefactio; unde et vultus exiſtit figura minax, atque oris torvitas: verecundantibus facies rubore perfunduntur: neque in caeteris eſt diſpar ratio. Adde quod ipſe appetitus animalis, unde hi motus proxime fluunt, conſiſtere non poteſt, niſi corpori ſit affixus. Voluntas vero, quamadmodum et intellectus, cujus ductu nititur, non ſic eſt in corpus demerſa, neque inter appetendum neceſſarie ſecum affert has corporum commotiones. Siquidem ut quiſque eſt prudentiſſimus, atque animo maxime ſedato, ita minime eſt ejuſmodi turbulentiis obnoxius: ut cernere ſit interdum quoſdam, in quibus nullum, etiam dum ulciſcuntur delinquentes, irae appareat veſtigium; et qui in magna rerum trepidatione de priſtini vultus conſtantia nihil remittant. Verum quia plurimum, cum voluntas ipſa vehementius concitatur, nexu atque redundantia quadam prope naturali, contingit et animalem appetitionem una cieri; etiam voluntatis affectiones non ſunt prorſus motus et perturbationis expertes: quod ſi eaedem rationis praeſcriptum fuerint praetergreſſae, tunc et morbi vocantur. Rationem autem deſeri inter appetendum fere uſu venit, propter res eas, in quas fertur proprie animalis appetitus, hoc eſt, propter ſuavitates corporis, cujus facibus ad omne nefas inflammari ſolemus: ante enim dictum eſt, animalem appetitum ea quae ad corpus pertinent quaerere: quod dum facit, cupidius pro corpore contra rationem pugnans, ſaepe etiam voluntatem ad fidem

ſceleratae conſenſionis mirifica quadam ſocietate abducit. Itaque cum affectus noſtri non temere vacent motu, et motus non ſit niſi in corpore, cujus contagione etiam animus impellitur ad turpia, non immerito Plato perturbationes morboſque animi omnes in corpus, tanquam in fontem et originem confert: ſic ut tum primum perturbari incipiat animus, quum in tam inſolitum et perturbatum immigrat domicilium; et tum demum, et non aliter, beatus futurus ſit, cum relicto corpore, cupiditatum atque aemulationum erit expers. Hac ipſa de re inſignis eſt ille apud Virgilium locus qui ex Platonis officina totus eſt depromptus:

> *Igneus eſt ollis* (de animis loquitur) *vigor et coeleſtis origo*
> *Seminibus quantum non noxia corpora tardant,*
> *Terrenique hebetant artus moribundaque membra.*
> *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras*
> *Reſpiciunt, clauſae tenebris et carcere caeco.*

Huc pertinet, quod Socrates jamjam cicutam devoraturus juſſit Phaedoni, ut perſoluto Æſculapio gallo, ſe voto liberaret: nimirum ſenſit, non longe abeſſe ſanitatis beneficium; cum jam corpus, unde vitia ſcatent, relinquendum foret. Et profecto quadam naturae acerbitate factum videri poteſt, ut nobiliſſimus hominis ſpiritus putri et infecto corporis trunco tam miſere jaceat obſtrictus. Eodem pertinere poſſe videtur et illud divi Pauli, etſi longe divinior hic ratio ſub-

ſubeſt : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed video me nimium diu in hujus loci tractatione habitaviſſe. Nunc veniendum eſt ad pudendam illam animalis appetitus victoriam ; atque unde illius calamitatis ortus ſit, explicandum eſt. Qui totus ex humana pendet ſapientia, nec divinitus et ex oraculis eſt veritatem edoctus, id eo, ut opinor, accidere dicet, quod cognitio veritatis, et incorruptum de veris bonis judicium, non niſi poſt longum tempus, et per plurimam mentis exercitationem eruatur. Hac enim una ratione apparantur animi lumina ; quibus purgatiſſimis opus eſt, ut conſpiciamus incredibilem illam pulchritudinem, quae in honeſto ineſt : quae niſi nos rapiat, ad falſam bonorum ſpeciem neceſſe eſt delabamur. Jam vero nos, ſimul atque in lucem editi et ſuſcepti ſumus, corrupta excipit educatio ; ſolius corporis ſuavitatibus adſueſcimus : vulgi et ad vitia conſentientis multitudinis exempla, et foecunda haec culpae ſecula nos corrumpunt ; efficiuntque ut pecorum ritu ſequamur antecedentem gregem ; non quo eundum eſt, ſed quo itur pergentes : falſiſſimis, de iis quae expetenda fugiendaque ſunt, protinus imbuimur opinionibus ; ſic *ut errorem* (quemadmodum ait Cicero) *cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſe videamur.* Senſim enim uſque adeo a via deflexit, eoque deducta eſt conſuetudo, ut omnes hominum coetus, omnis hic orbis, quocunque eas, ſcelerum ludus et nequitiae quaedam communis officina videatur. Quid hic facias, ubi prius improbitas callum duxit, quam, quid probitas eſſet, ratio

potuit dijudicare? Itaque matureſcentibus annis, quamvis ratio admonitionibus ſapientum excitata paulum expergiſcatur; voluntas tamen, ſenſus imperata facere jamdudum adſueta, jugum difficulter excutit, et tardis admodum rudimentis ad nativum coaleſcit vigorem. Videmus ut medicata lana colorem alte imbibitum, ſe ſalva, exuere nequit: ſic profecto contracta ab ineunte aetate vitia aegre curationem admittunt: nec facile eſt rationem in regno ſuo, in cujus poſſeſſionem jam olim ſenſus involarunt, e ſervitute aſſertam denuo collocare. *Num Æthiops*, ut eſt in ſacris, *mutare queat colorem ſuum? Sic et vos recte facere qui poteſtis, quum male agere didiceritis?* Hinc eſt, quod conſpicimus eos, qui ad rectorum conſiliorum rationes ſe convertunt, mirifiec in initiis laborare; quemadmodum et illi qui diu aegrotarunt, etiam dum ſanari incipiunt, vacillant. Languet igitur in nobis illa voluntatis potentia; rationis vires ſunt conſopitae, et vulgi prius oppreſſae opinionibus, et vinculis depravatae conſuetudinis impeditae, quam ratio ipſa ſomnum, a quo, cum primum in corpus ingrederetur, eſt correpta, potuerit excutere. Adde quod haec corporis bona, ex quorum appetentia omnis dignitatis noſtrae ruina exiſtit, praeſentia et ad manum adſunt: animi vero bona vel futura ſunt, vel alte repoſita. Et cum ad hoc, ut aliquid expetatur, non parum interſit futurumne ſit, an adſit praeſens (languidius enim nos comparare ſolemus ad ea, quae non oſtenduntur, aut apparent praemia) deſertis illis alte poſitis, aut futuris rebus, praeſentia amplectimur,

Con-

Conſiſtentiae enim perfectio adauget appetitionis rationem, hoc eſt, ipſam bonitatem. Sed haec diſputatio ſubtilioris cujuſdam eſt curae. Reſponſum hoc, etſi phyſicae explicationis plenum eſt, nec a veritate omnino alienum, tota tamen rei ratio non inde eſt. Aliam oportet eſſe mali hujus originem; cujus vis tanta eſt, ut mortalium nemo a generis ortu inventus ſit, a quo pure ſit officium cultum, aut qui quicquid humanitatis leges poſcunt praeſtiterit. Multae ſane ſunt res, eaeque opinione praeclariores, quae ad honeſti abſolutionem concurrunt: neque ulla potuit unquam inſtitutio, quamlibet ſtudioſa, nec poterit, hoc homini largiri, ut non in intima natura reſideant quaedam perverſitatis fibrae, unde perpetuae cujuſdam impuritatis, pus profluit. Chriſtiana igitur diſciplina ſola nobis, qui eſſent hujus mali fontes, oſtendit. Hac magiſtra intelligimus, principem illum noſtri generis parentem, poſthabita ea, quae Deo omnium regi et Domino debebatur obedientia, cupiditatem quandam praeſentem (quod nos facere intermittimus nunquam) ſcelerate ſecutum. Hujus autem temeritatis vis atque contagio tanta fuit (ne quis exiſtimet leve Dei immortalis imperata parvi facere) ut omnis ab eo ducta poſteritas ſit a primo illo vulnere ſaucia atque proſtrata. Hinc ſunt haec naturae noſtrae toxica: hinc ſunt caligines animi, per quas non licet Dei vel magnitudinem, vel bonitatem expendere: hinc eſt pietatis oblivio atque neglectus: hinc eſt praepoſterus, imo impius noſtri amor: hinc eſt virium noſtrarum infirmitas et debilitatio: hinc

 eſt

eſt rationis error: hinc item eſt et languor voluntatis. Negare autem in nobis ineſſe has omnes defectiones atque imbecillitates, imo et impietatem, qua nihil eſt execrabilius, perpetuam, eſt negare Solis lucem. Deus enim ipſe, hoc ipſo quod Deus eſt, ſuo ſibi jure illud vindicat, ut in eo amando atque colendo omnis pene noſtra opera atque cogitatio ponatur. *Eſſe enim praeſtantem aliquam aeternamque naturam, et eam ſuſpiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum coeleſtium* (ut ait Cicero) *cogit confiteri.* Quod ſi per nos id praeſtare potuiſſemus, extitiſſet aliquando in tanto hominum numero, et tam longo ſeculorum decurſu, ejuſmodi aliquis vir, qui ad hanc officii integritatem perveniſſet. At cum nemo ejuſmodi extiterit, citra peculiare numinis auxilium, (quod facile Annales te docere poterunt) qui vitae innocentiam cum vera pietate conjunxerit: omnino confitendum eſt, naturam ipſam modo aliquo vitiatam eſſe et infirmam. Non tamen humano generi divina defuit bonitas, quae per eum ipſum CHRISTUM, cujus beneficio morbus agnitus eſt, morbo ipſi medetur. Sed doctrina haec non penitus invadit, niſi in illorum animos, qui omni ſui fiducia abjecta, ſe totos ad coeleſte convertunt auxilium. Hic mihi in mentem venit non inutilis illius narrationis de quodam, qui in profundum puteum ceciderat, qui ab alio quopiam caſum miſerante interrogatus, quomodo illuc decidiſſet, reſpondit; illud non referre: hoc potius agendum, qua ratione poſſet educi. Ita in praeſentia nobis praecipue ad hoc enitendum eſt

eſt, ut poſtquam nos ſentimus fractos, atque uſu ipſo certo comperimus magnitudinem imbecillitatis noſtrae in eo quod potiſſimum praeſtare nos convenit, ſtudeamus CHRISTI auxiliis niti, atque undique rationes conquirere, quibus noſtri muneris integritas conſtare poſſit.

FRANC. Sic, quas propoſui, quaeſtiones diſſolviſti, ut in praeſentia nihil amplius requiram: hocque gratior certe fuit rerum explicatio, et auditio jucundior, quod, quemadmodum pium hominem decet, in religionis laude deſiveris. Sed illud, priusquam ad inſtitutum redeas, dic, princeps ille noſtri generis auctor Adamus, quomodo potuit tam turpiter ab officio recedere, cum nondum natura illius eſſet vitiata: ab illo enim naturae vitium deſluxiſſe ais.

FLOR. Sane non fuit ante lapſum ejus natura vitiata, ut noſtra eſt: ſed infirmum eſt omne quicquid eſt extra Deum, maxime ſi ſuo ſit permiſſum ingenio; et ut aperte tibi, quod mihi quidem veriſſimum videtur, dicam; illa naſcentis mundi, et de Adamo hiſtoria, huc tendere videtur, ut intelligamus, etiam eas res, quae praeſtantiſſimae apparent, et quarum gratia aliae conditae ſunt (ne quid nobis arroganter aſſumamus), in loco maxime lubrico conſiſtere, et divinae opis potiſſimum egere, et ad divinum auxilium aſſidue confugere debere. Dii enim eſſe cupimus, et nobis videmur, et tales exiſtimari petimus: (Quis eſt, qui non poſtulet ſe primum eſſe ubique, quod in ſingulari quadam

dam divinitatis participatione poſitum eſt?) et ſi cum rebus brutis] compararemur, pene tales ſumus; ſed hae ignorationes et lapſus noſtri, qui clam nobis (ſi vel paululum oculos aperuerimus) eſſe non poſſunt, ſatis declarant, nos fruſtra vel divinitatem, vel magnitudinem ullam veram, niſi in illo, qui ſolus vere magnus vereque Deus eſt, agnoſcendo atque reverendo, ſperare.

Franc. Iſtuc mihi et phyſice, et Chriſtiane, hoc eſt, pie, dictum videtur. Sed (ut idem, qui tibi aberrationis fui, ſim et reditus auctor) nunc illud declara, an praeter res ipſas, et appetendi facultates a rebus oſtenſis permotas, ſint aliae affectuum cauſae?

Flor. Sunt ſane; ſed quae eos augeant potius et confirment, quam efficiant. Eſt craſis, hoc eſt, corporis temperatio, quae elementorum qualitatibus potiſſimum nititur: eſt et conſuetudo, ſive habitus homini ex conſuetudine ingeneratus. Quid hac in parte polleat craſis, indicio eſt eorum, qui aduſta bile redundant, in iram proclivitas ſingularis: ſanguinis multa hilaritas ad laetitias et amores impellit: pituita hebetudinem et tarditates parit: quibus plurimum eſt atrae bilis, ſuſpicionibus et timoribus urgeri ſolent. Imo animi mores a corporis manare temperatura, edito etiam ea de re libello, Galenus auctor eſt. Accipiunt et affectus pro aetatis gradibus mutationem. Abeunte enim illo aetatis vigore, qui ἀκμὴ dicitur, et fracto intenſo illo mediae aetatis calore, ſeneſcunt ardo-

res

res libidinum, et, ut Horatius ait, *Lenit albeſcens animos capillus:* creſcunt tamen una cum annis pleraeque aliae ſordidae aviditates: ſic ut nulla ſit aetatis pars, ſive adoleſcentia ſit, ſive juventae flos, ſive ſenium, hoc eſt, avi faeces, quae non ſuis quibuſdam ſit irretita vitiis, et affectibus obnoxia. Huic ſententiae finitimum quiddam habet poeticum illud figmentum, tam ab Ariſtotele, quam Platone in ſcriptis relictum, quo quorundam hominum compoſitioni auri plurimum admiſtum eſſe traditur; alios vero eſſe, quorum maſſa ex argento potiſſimum conſtet; alios denique reperiri, qui ferro plumboque onerentur. Hujus allegoriae vis in hoc, ut arbitror, poſita eſt, ut alii aliis in rebus a natura intelligantur eſſe habiles, et magnas eſſe ingeniorum diſſimilitudines. Huic ambitioſa eſt et irrequieta indoles: huic ſedata et facilis: hic eſt ex eo ſanguine, in quem cadit ſapientia, atque ad magnas res gerendas eſt idoneus: hic ad quandam rerum mediocritatem eſt aptus: hic ad opificia et functiones humiliores eſt ablegandus. Cicero ſtatuit quoſdam ita naturae muneribus ornatos eſſe, *ut non nati, ſed a Deo aliquo ficti videantur.* Et ſunt illi ipſi,

——*quibus arte benigna,* (ut Juvenalis ait)
Ex meliore luto finxit praecordia Titan.

Qui aſtrorum notionem profitentur, praeter ſuam cujusque ex elementorum confuſione emergentem conſtitutionem, aliam quandam afferunt, quae ab ipſo ſiderum poſitu, eo ipſo quo in lucem

cem edimur momento, in corpora noſtra defluat. Et cum coelum ſit elementis potentius, inde iidem effici volunt, ut is, quem elementorum miſtura avarum, mulieroſum aut imbellem effecerat, ab horoſcopo, hoc eſt, a natalitii ſideris aſpectu habeat, ut ſit benignus, ut ſit belli ſtudiis deditus, ut ſe caſtum integrumque ſervet, et quam minima ſit illi cum corporibus contagio. Non inficior equidem ad pleraſque res aſtrorum valere poſitum, atque ea re in ſingulis vel minui vel augeri cupiditates. Verum hic nobis duo ſunt conſtanter retinenda. Prius eſt, neque Craſim, neque Aſtra vim animis noſtris afferre poſſe, et eam quae eſt in rerum delectu, tollere libertatem. Quamvis enim corpus nos aſtrorum ſubjiciat dominatui, et corporis temperatio propenſiones acres nobis indiderit; ratio tamen *aſſerit nos manu* (ut Terentii verbis utar) *liberali cauſa*, ut non in naturalibus cauſis, ſed in voluntate poſitum ſit, ut ad hoc vel illud ipſa ſe applicet.

Alterum eſt, naturae pravitatem piis et honeſtis ſtudiis potius, quam ſideris cujuſquam beneficio corrigi. Zopyrus phyſiognomos (quod eſt apud Ciceronem) Socratem hominem ſtupidum, bardum, et petulantis ingenii dixit: quod cum riſu ab Alcibiade et aliis, quibus viri integritas et ſapientia explorata erat, exciperetur; ipſe Socrates, ad quem offenſio pertinebat, Zopyrum humanitus ſublevavit, ingenueque faſſus eſt, ſe talem a natura factum, qualem dixerat Phyſiognomos; ſed induſtria ſe alium evaſiſſe, et

vitio-

vitioſam naturam a ſe edomitam atque compreſſam doctrina. Conſuetudo, ut ad eam partem veniatur, vim quandam ſuam obtinet in ciendis affectibus. Hanc Ariſtoteles, ex Eveni cujuſdam poëtae ſententia, πολυχρόνιον καὶ τελευτῶσαν φύσιν εἶναι, hoc eſt diutiſſime permanere ſolere, et tandem in naturam abire ſtatuit. Etenim, ut ea quae a natura inſunt funditus tolli, atque extirpari non poſſunt; ſic et illud depulſu eſt difficile, quod a diuturno uſu inolevit. Et, ut nihil eſt nobis negotii aut ſudoris in viſione, auditione, caeteriſque id genus actionibus, quas naturae vis profert; ita conſuetudo in omni re gerenda tum facilitatem, tum firmitatem praeſtat ſingularem. Siquidem ex conſuetudine, hoc eſt, iteratione actionum ad aliquod prolixius tempus, exiſtit ea qualitas quam Graeci ἕξιν, nos habitum vocamus. Etenim quemadmodum tangendis crebro ut oportet fidibus, aut ducendo penicillo, manus promptitudinem quandam accipit ad fidium vel pingendi ſcientiam pertinentem: ſic et uterque hominis appetitus habilitatibus quibuſdam ex ipſa aſſuetudine informatur, unde facile et expedite operatur. Quam aegre ſe in offenſionibus reprimunt, quam ſunt inexorabiles, quam facile item irritabiles, quibus nunquam fuit curae ejuſmodi furores compeſcere. Et contra, alios videas, qui, quamvis ingenio ſint iracundo, quia tamen ſoliti ſunt ſapientiae praeceptis ſeipſos fraenare, nullo negotio aut diſſimulent aut contemnant injurias. Nec aliter ſe res habet in amore caeteriſque animi perturbationibus. Eſt ergo habitus, ſi vitioſus fuerit, ſceleris, ſi ad probitatem

tatem pertineat, virtutis tanquam quaedam maturitas. Et quoniam ex habitu forma aliqua neceſſitatis in actionibus exiſtit, ſummo adnitendum eſt ſtudio ne turpitudini alicui adſueſcamus. Ægrotus non poteſt pro arbitrio ſibi ſanitatem reſtituere; nec qui ſemel lapidem projecit, jactum revocare: quem ſane ad modum, ut ait Ariſtoteles, *qui vitioſo aliquo habitu imbutus eſt, non poteſt ſe ad bonam frugem recipere.* Non tamen propterea neceſſitas haec vitio patrocinatur: eo quod de principio homini integrum fuit, ſe ad probitatem vel improbitatem applicare; ſicut lapidis erat jactus, priuſquam e manu eſſet emiſſus; et morbus ipſe culpa ejus contractus, qui legitimam et praeſcriptam a medico victus rationem neglexit. Hoc tamen, quod hic ab Ariſtotele de neceſſitate dictum eſt, per ὑπερβολὴν intelligendum arbitror, et neceſſitatem difficultatem interpretor. Nullus ſane eſt habitus humana partus induſtria, quem non pari ratione, ſi ad hoc totus incumbas, demoliare. Nemo tam alte in vitiorum coenum eſt demerſus, ut non poſſit emergere, atque ad bonam frugem ſe recipere: quandoquidem et naturae malignitatem pertinax opera vincit. Affert quidem ut in corporibus, ſic et in animis quoque, inveteratio difficultatem: citius enim repentinus oculorum tumor, quam diuturna lippitudo ſanatur: improbo tamen ſtudio nihil hic non eſt expugnabile. Sub conſuetudine continetur educatio: cujus quantum ſit ad virtutem adipiſcendam momentum, Laconicarum legem conditor Lycurgus, noto illo catulorum exemplo abunde declaravit. Duos is edu-

educaverat, quorum alter erat ex ignobili canum genere, quales ſunt qui ad aedium aluntur cuſtodiam, hunc ad venatum exercuit; alter generoſus erat, quem domi paſſus eſt inter ollas otioſum et inertem deſidere: utrumque ſpectante populo produxit in forum, in quo hinc ſpinae poſitae erant, illinc ollae eſcis refertae. Cumque emiſſo lepore, uterque canis ad aſſueta procurreret; Videtis, inquit Lycurgus, educatione nobilem naturam degeneraſſe; et contra ignobilem effectam generoſam. Quamobrem hoc vobis perſuaſiſſimum ſit, etſi genus ab Hercule habetis, niſi res ejus geſtas aſſiduo ſtudio imitemini, vos brevi turpiter per ignaviam degeneraturos. Itaque ex Platonis ſententia ſtatim ab infantia inſtituendi ſunt ad virtutem omnes. Corrigit enim ingenii pravitatem educatio recta; et ingenitam malitiam ſi non ſtirpitus evellit, mirifice tamen eam retundit ac debilitat. Et quoniam, ut ait Horatius,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu:

teneri illi, atque quocunque volueris (ut arbuſcularum rami) flexiles anni accurandi ſunt, ut ſupra dixi, diligentiſſime; et ad hoc inſtituendi ſunt, priuſquam ſe proferat lanugo, adoleſcentes, ut animum inducant credere, Honeſtatem ſemper pluris quam vitam ipſam faciendam.

DEMET. Accepi ego, Ariſtotelem veterum juventutem a civilis, atque totius moralis diſciplinae ſtudio abercere; tanquam parum idonei

ſint, qui in illud, ubi mores traduntur, admittantur auditorium. Quod ſane non tam cum doctrina] tua, quam cum ipſa veritate pugnare videtur.

FLOR. Ariſtoteles, vir plane maximi atque acerrimi judicii, non cenſet negligendam eam aetatem; quin potius ſtudioſiſſime, etiam ex Platonis ſententia, in ſecundo eorum qui ſunt ad Nicomachum libro, colendam ſtatuit. Ejus verba ſunt haec: ὄυ μικρὸν ἂν διαφέρει τὸ ὅτως ἢ ὅτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἄλλα πάμπολυ μάλλον δ᾽ὲ τὸ πᾶν· hoc eſt, *Non parum, imo plurimum, intereſt; vel potius in eo omne momentum conſiſtit, nos ab ipſis protinus incunabilis ſic aut ſecus aſſueſieri.* Quod autem in eorundem librorum limine ſtatuit, Juvenes non eſſe idoneos moralis ſcientiae auditores, alio pertinet: nempe huc, ut intelligatur, illos propter rerum imperitiam non aſſequi rationem praeceptorum vitae. Nam paulum admodum adhuc temporis illis in vita conſumptum eſt. Efficit item affectuum impotentia, ut in ejus doctrinae ludo non libenter verſentur. Etenim, cum adhuc recens ſit in illis natura, *in eo duntaxat* (ut docte ſcribit Euſtratius) *occupata eſt, ut ſit, non ut bene ſit.* Quare omnes ejus aetatis cogitationes conſectantur ſolum eas res, quae vitam hanc communem cum belluis ſtabiliant; perinde atque ingenii fructus non adhuc, ſed iam conſtituto corporis habitu ſit ſperandus. Itaque cum adhuc (ut ita dicam) ſemibelluae ſint, nihil mirum eſt, ſi prae libidinum furore, ſapientum de inſtiuenda recte vita praecepta contemnant. Et quo-

quoniam interea quidam callus malitiae ducitur, poſt multum faceſſitur negotii praeceptoribus, qui aegre vel conſiliis, vel contumeliis, vel denique verberibus adhibitis, eos ad diverſam ſtudiorum rationem traducere poſſunt. Quapropter, quo illa aetas vehementius a ſalutaribus conſiliis abhorret, hoc ſunt vigilantius admonendi, et ſolicitius adhortandi. Paulatim enim cura miteſcent, et dicto audientes atque bene morati evadent. Plutarchus in libello de liberis educandis, quamprimum optimos magiſtros accerſendos cenſet: Platonemque adducit vetantem, ut ne nutrices frivolas aut turpes fabellas in puerorum aures inſtillent; quod inde aliqua animi corruptela in illo ineuntis aetatis pudore exiſtere poſſit. Verboſior, fateor, in hac parte fui, ſed non omnino ab re: propterea quod pene tota conſequentis vitae ratio ex educatione dependeat. Priuſquam tamen hujuſce rei mentionem deſinam, hoc addam: Me vehementer cupere, eam adeſſe induſtriam parentibus, ut eos liberis eligant praeceptores, qui ea ſint ingenii dexteritate, ut Laconis illius paedagogi more hoc praeſtare ſtudeant, ut fidei ſuae commiſſi pueri a teneris etiam unguiculis, et delectentur honeſtis, et offendantur turpibus. Tantum enim nobis natura ſuavitatis ſtudium indidit; ut ſi aliquis ejus guſtus acceſſerit, puerorum mentes multo facilius ad virtutem, atque ad omnem humanitatem fingantur. Hactenus de affectuum cauſis diximus: nunc eorundem ſedes et nidi oſtendendi ſunt. Naturales appetitus per omne animantis corpus ſparſi ſunt: verum illi, qui ad animam, unde vivendi vigor eſt, peculi-

ariter pertinent, certis in locis liquidius ſe proferunt. Fames enim et ſitis tum exiſtunt in ventriculo, quum hepar inde ſolitum alimenti penſum flagitat, quod mox in venas, et deinde in membra diſtribuatur. Libido naturalis etſi alibi ſe exerat, hepati tamen a pleriſque tribuitur. Animales affectiones omnes in cor, et φρενὰς, hoc eſt, praecordia ſunt conjectae; propter manifeſtum illum, qui illic inter appetendum, ut ſupra commemoravimus, intervenit, ſtrepitum. Voluntatis motus ſunt in animo rationali; nec certam aliquam corporis partem, quemadmodum nec Intellectus, aut Voluntas ipſa, unde proxime fluunt, ſibi vindicant. Ne tamen nimium a vulgata ſermonis conſuetudine diſcedamus, poſſunt et ii in corde collocari. Sed hic obſervandum, quaſdam eſſe actiones, quae non proxime a voluntate manent, ſed ab ea duntaxat imperentur: cujuſmodi eſt Inceſſus, aut Auditio, Cogitatio item: hae pertinent ad vires, vel organa unde proprie oriuntur: pedibus enim incedimus, auribus audimus, per rationem meditamur. Aliae ſunt, quas ipſa ex ſe elicit: cujuſmodi eſt ipſum Velle, aut nolle; quorum ipſa, ut nuperrime dictum, eſt ſedes.

Franc. Poſtquam et ipſe animus corporis quaedam forma eſt atque perfectio; quae vel ratio, vel religio vetat corporis partes etiam a praeſtantiſſimis illis animae viribus perfici? niſi fortaſſe dicere velis, animae vires, hoc eſt, Intellectum et Voluntatem, purioris et dignioris eſſe naturae quam ſit ipſa anima. Cur non rationem

tri-

tribuimus cerebro, et voluntatum cordi? Plane nec cor nec cerebrum habere videntur, qui concifim inanitates quaſdam perſequentes, vulgatam ſtatuendi conſuetudinem reformidant.

Flor. Acutis iſtis tuis quaeſtionibus pene efficis, ut credam te Patavii, aut Bononiae, in florentiſſimis illis Italiae Academiis in ſcholaſticis concertationibus eruditum. Sed id agamus quod inſtituimus. Hic ſe nobis offerunt plurimae res quae in diſceptationem quaeſtionemque vocantur. Plato quicquid eſt praeter animum, id omne extra hominis eſſentiam (ut voce utar philoſophica) hoc eſt, veram ipſius naturam eſſe autumat: eumque corporis eſſe hoſpitem duntaxat ſtatuit, atque inibi tenere locum, quem in navi navarchus obtinet. Ariſtoteles ex animo et corpore hominem componit: verum quoties de intellectu aliquid ſtatuendum eſt, timide dubitanterque incedit: et licet paſſim τὸν νοῦ, hoc eſt, mentem, aut intellectum magna veneratione dignetur; implicatae tamen orationis forma, in qua plurimus ille eſſe ſolet, lectori non mediocres offundit tenebras. Quocirca neceſſe fuit novas Peripateticorum tandem aliquando profeminari familias, et crebra doctrinarum fieri divortia. Itaque ex recentioribus nonnulli tres, in uno eodemque homine, animas ineſſe ſtatuerunt: quarum ſuprema, quae rationalis dicitur, non ſit proxima atque intima hominis forma; ſed hoſpes, et perfectio quaedam adjuncta, atque exemptilis. Duas reliquas, hoc eſt, eam unde ſenſus venit, atque eam unde vivendi vigor eſt corporibus, formas eſſe ſtatuunt in corpora altiſſime de-

demerſas et caeteroquin non ſuperfuturas. Alii qui Ἀριςοτελικώτεροι videntur, unam duntaxat animam ſingulis tribuunt hominibus, quae tamen trium munere fungatur; hoc eſt, Vitam, Senſum, et Intelligentiam, homini praeſtet. Verum neque iſtis inter ipſos convenit, cum de pleriſque aliis rebus, tum de hac, quod alii non re, ſed cogitatione, aut paulo admodum grandiore diſcrimine, Intellectum atque voluntatem ab ipſa anima diſtinguunt. Alii animae vires inter ea, quae Graeci συμβεβηκότα, hoc eſt, accidentia numerant, et in qualitatum claſſem rejiciunt. Mire tamen iidem ſe torquent in eo explicando, ut res materiae prorſus expers propria queat eſſe corporis forma. Sed illud nos recordari atque expendere volunt, animam, non quatenus intelligit, ſed quatenus ſenſum motumque ſuppeditat, corporis eſſe formam: eoque nihil mirum videri debere, ſi intellectus nulli definitae corporis parti (ut videndi facultas oculis, atque audiendi auribus) ſit tributus. Non autem eſſe abſurdum, res molis expertes etiam in corpora imprimi, docent illae exuviae atque ſpecies, quae a corporibus ad ſenſus aſſidue defluunt: idemque non paulo liquidius conſtat in illis rerum imaginibus innumeris, quarum citra ullam loci occupationem, aut de ſedibus contentionem, conditorium et theſaurus eſt ipſum cerebrum. Et quando huc ipſo orationis curſu pervecti ſumus, hanc ipſam ob cauſſam non gravate fateamur, Cerebrum eſſe ingenii ſedem, et Cor voluntatum. Sunt ſane haec multis involuta difficultatibus, et vix mihi hic impero, ingenii quadam ambitione invitatus, quin me diu-

diutius in hoc argumento volutem. Sed quia rerum tanta eſt obſcuritas, ut non poſſit facile verbis illuminari; neque res ipſae ab illis conciſis et anguſtis diſputationibus, quibus illigatae tenentur, ad liberiorem et popularem orationis formam, et velut ex vepribus in apertum campum evocari queunt; non invitus eam tractationem praetermitto, quae etiam praeterquam quod intempeſtiva eſt, plus oſtentationis habet, quam utilitatis. Hoc tamen non reticere viſum eſt, triplex illud animarum genus ſe gradatim ſupra corpora attollere, atque eadem ſenſim velut exuere. Vegetatrix facultas in profundum demerſa, paulum ſe profert auctibus quibuſdam rerum atque defectu innoteſcens. Senſus mediocriter ſunt erecti, et accipiendis ſubtilibus illis et corporaturae expertibus rerum ſimulacris, incipiunt cum incorporeis rebus habere commercium. Intellectus ipſe jam prorſus in aethera emerſiſſe videtur, et tanquam puncto tenus (ut ita dicam) ſubjectum corpus contingere. Sane imaginum uſus in cauſa eſt, quo minus divinitatis cujuſdam libertate fruatur. Sed quid tandem refert, qua in parte agri noſtri deliteſcant hae populatrices ferae: ubiubi ſunt, extrudendae ſunt, aut certe a damnoſa depaſtione compeſcendae. Poterat ſane totus hic locus, qui eſt de Affectuum ſedibus, ſine vitio praetermitti: niſi quod ut jucundiſſima eſt ea naturae tractatio, quae morale quiddam interdum admiſtum habet; ſic et mores dum traduntur libenter interim naturae loci aliquid concedunt.

Cap. IV. *Affectuum diſtinctio, recenſio, qualitas. Diverſae philoſophorum ſententiae.*

Jam prima totius inſtitutae diſputationis pars eſt abſoluta. Nunc ad ſecundam, hoc eſt, Affectuum tum diſtinctionem, tum recenſionem, tum qualitatem, accedamus. Et ne infinitatem, aut ſuperfluas partitiones conſectemur, eorum praecipui duntaxat brevibus quibuſdam deſcriptionibus a nobis percurrentur. Diſtinctio generalis, quae et ſupra attacta eſt ex Ariſtotelis ſententia, ſumi poteſt ex ſubjectis viribus, e quibus oriuntur, et in quibus conquieſcunt. Nam alii ſunt voluntatis, alii ſunt animalis appetitus: hos Ariſtoteles duabus vocibus Irae atque Concupiſcentiae complectitur omnes, illis dat ipſum Voluntatis nomen. Alia eſt diſtinctio, quae ex rebus objectis, circa quas verſantur, accipienda. Et hoc perpetuum eſt Peripateticis, virium animae atque facultatum diſcrimina ex officiis et propoſita materiae varietate derivare. Sic Guſtus ſenſus eſt qui ſapores diſcernit, ut Auditus ſonos, et colores Viſus. Affectuum ergo alii ſunt, quibus in id quod eſt, vel apparet ſaltem, bonum ferimur: Alii ſunt, quibus a malo reſilimus. Sed ad hanc confuſam diſtributionem addenda eſt ea, quae tum ab arduitate boni vel mali, tum a temporum differentiis proficiſcitur. Hanc rem, quas jamjam ſubjiciam deſcriptiones, melius explicabunt. Sit itaque *Amor* prima illa appetitus commotio, ex rei bonae atque complacitae approbatione nata. *Deſiderium* pars quaedam amori ſubjecta apparet; aut enim amor eſt; aut animi ad rem ama-

amatam, nondum tamen adeptam, adlubeſcentis, atque tanquam ad complexus ſe comparantis, procurſus. *Gaudium* videtur eſſe titillationis cujuſdam ſuavitas, ex rei adamatae praeſentia, vel certe indubitata ſpe, quae praeſentiae inſtar eſt, in animo nata. *Odium* eſt affectio amori contraria: cum animus poſt ingratae rei aſpectum frontem velut contrahit, atque corrugat. *Abhorritio*, atque *Fuga*, ex odio exiſtit; dum malum nondum inhaereſcens, ſed impendens, ſolicite devitamus: Et eſt haec affectio contraria deſiderio aut cupiditati. *Ægritudo*, ſeu *Triſtitia*, eſt animi dejectio, ac velut luctus quidam ex praeſente malo natus; et opponitur gaudio, ſive laetitiae. *Spes* eſt appetitio boni, praeſertim ardui, quod aliquando affore ſibi animus perſuaſit. *Deſperatio* contra eſt, cum malum inſuperabile videtur, aut bonum adeo difficile adeptu, ut inde animi deſponſio quaedam exoriatur. *Timor* eſt animi contractio levior quam deſperatio, cum malum impendens difficultatem praefert; et eſt tanquam quaedam mentis praemoleſtia. *Fidentia* aut *Fiducia* eſt quaedam animi firmitas, ex mali ſuperandi opinione profecta. *Ira* eſt affectus miſtus ex triſtitia et ultionis ſtudio, cui opponi poteſt animi lenitas. Reliqui affectus omnes cadunt ſub hos, quos jam recenſui, et pene ſingulis partes ejuſdem generis plures ſunt ſubjectae. Verbi gratia: *Invidentia* ſub triſtitia collocatur; eſt enim moeror ex alterius rebus ſecundis nihil quicquam incommodantibus veniens: Et haud ſcio, an ſit quicquam in homine ignobilius. *Miſericordia* quidem et ipſa triſtitia eſt, ſed minime vituperabilis, ut quae ſit ſaepiſſime

 cum

cum humanitate et ſtudio opitulandi conjuncta. *Afflictatio* eſt aegritudo cum vexatione corporis. *Exanimatio* eſt ſub metu. *Superbia* ad amorem pertinet: eſt enim ea immodicum propriae excellentiae ſtudium, ex ignoratione ſui profectum. Finis non erit, ſi ſigillatim ſint explicandi affectus. Cicero, qui multus eſt in hac parte, ex Stoicorum ſententia quatuor facit praecipuos: ex opinato quidem bono praeſente *Laetitiam;* ex opinato bono futuro *Libidinem;* ex opinato malo praeſente *Ægritudinem;* ex opinato malo futuro *Metum.* Duo ex toto grege ſuperſunt, qui ſui cujuſdam videntur eſſe ordinis atque naturae, *Dolor* et *Delectatio.* Reliqui pene omnes animum videntur propius attingere, ex eo quod una cum opinione atque cogitatione mentis et ſumi et deponi poſſunt. Hi non nituntur opinionibus, quod ad eos pertineant ſenſus, qui omnium ſunt craſſiſſimi; hoc eſt, aurium, oculorum, tactionum, odorationum, ſaporum. Neque enim, ut ſola mali opinio metum, vel boni ſpem affert; ſic cruciatus opinio nuda dolorem arceſſit, aut deponenda cruciatus opinione cruciatum ipſum ſuſtuleris. Dedit enim nobis natura animos uſque adeo corporum doloribus congruentes, ut in poteſtate noſtra non ſit, fodicante cruciatu, diſſimulatio, vel oblivio. Hujuſce rei ratio in hoc poſita eſt, quod quo propius ad mentis naturam accedit affectio, hoc aptior ſit ut rationis imperio corrigatur. Metus ſane oritur ex cogitatione, ideo et cogitatione depelli poteſt: Dolor non ex cogitatione, ſed ex tactus, ſenſus infimi, et qui nulli non animanti ineſt, quique ſaepe in eo invenitur in quo nulla ſit cogitatio

(ut

(ut in tineis et vermiculis cernere licet) offenſione fit. Extra ergo animi regnum paulatim abſcedunt ſenſus, ut mirum non ſit, non eſſe illius libertatem ubique parem. Eſt autem Delectatio aut Voluptas jucunda externi ſenſus affectio, ex convenientia temperamenti rei admotae ad ſenſum ipſum orta. In Dolore contra eſt, cum, quod admotum eſt, temperamenti modum egreditur: unde conſequitur in ſenſione offenſio, et nonnunquan ſenſus, aut organi dilaceratio. Ineſt enim in craſſis hiſce ſenſibus, vel, ut verius dicamus, in eorum organis, quae *ſenſoria* nonnulli vocant, modus quidam qualitatum earum, quae ad organorum compoſitionem adhibentur; hoc eſt, calidi, humidi, frigidi, ſicci, et ſimilium, ſi quae ſunt, a natura ipſa praeſcriptus. Hunc modum atque contemperationem objectae rei exuperantia corrumpere ſolet. Sic oculorum aciem Solis fulgor hebetat: ſic illa Nili Catadupa accolis auditionis ſenſum extinguunt: ſic ignis fervor proxime admotus tactionem demolitur. Verum in Intellectu (ut ait Ariſtoteles) contra uſu venit. Nam is a quamlibet praeſtantium rerum meditatione vegetior exurgit, neque unquam in ſuo munere delaſſatur. Et ſi qua contingit cogitationum debilitatio, hanc ſenſuum famulantium, quibus eſt corporaturae aliquid, infirmitas efficit. Siquidem quo quodque a corpulentia longius abſceſſerit, hoc minus eſt illi periculi ab eis affectionibus, quae corruptionem aut interitum afferunt; hoc propius ad vigoris infinitatem accedit. Ex quo manifeſte conſequitur, omnem libertatem atque dignitatem hominis eſſe ex animo: et contra ſervitutem atque abjectio-

jectionem ex corpore. Sed deerrationi modus eſto. Non clam me eſt, pleraſque ex eis vocibus quas jam definivi, multiplicem et ancipitem admittere ſignificationum: ex quo factum eſt, ut a Ciceronis definitionem formis etiam interdum de induſtria diſcrepentus. Voluntas vocatur quae quid cum ratione deſiderat: Libido eſt cupiditas effraenata contra rationem. Eſt Amor et motus ille appetitionis brevi abiens, qui proprie eſt affectus: eſt item et habitus in ipſo amante ex multa appetitionum iteratione generatus: accipitur et interdum pro ipſa re adamata; ut quum poëtae dictum eſt,

Nymphae noſter amor Libethrides. ——

Odium item nunc eſt brevis averſatio alicujus rei ingratae; nunc eſt inveterata ira: dici ſolet et odium is cui vehementer invidetur ab omnibus. Atque hoc modo ſaepe idem vocabulum et affectui, et habitui, et rei circa quam habitus aut affectio verſatur, eſt commune: quod genus loquendi formas paſſim apud omne ſcriptorum genus, et in omni ſermonis conſuetudine invenias, quarum ratio atque excuſatio ex Grammaticorum atque Rhetorum ſchematis eſt petenda. Hucuſque de numero dictum ſit. Nunc nos affectuum qualitas ad ſe vocat. Stoici in ea ſunt haereſi, ut affectus nihil aliud eſſe ſtatuant, niſi depravatas de rebus expetendis atque fugiendis opiniones. Quod ſi verum eſt, neceſſario conſequitur, omnes non quidem moderandos eſſe, (quis enim poſſit eſſe in ipſa ignoratione modus?) ſed funditus tollendos.

Ava-

Avaritiam (ut eſt apud Ciceronem) definiebant vehementem opinionem, et penitus inſitam, de pecunia, tanquam de re vehementer expetenda; laetitiam, opinionem praeſentis boni, in quo efferri rectum eſſe videatur; metum, opinionem impendentis mali, quod intolerabile appareat, et in quo contrahi conſentaneum ſit. Hanc ſententiam conati ſunt aſtruere Socratis, et ſimilium ejus exemplo, quibus mors terroris nihil, quod tamen vulgo ſolet, incuſſit; propterea quod mortem non ſint opinati eſſe malum. Timor ergo mortis apud hos eſt opinio fallax, quae mortem in malis numerat. Verum hoc inſtituto, (ſi ad verbum accipiatur) nihil eſt abſurdius; neque quicquam illarum argumentationum laqueis, quibus id colligunt, eſt fragilius. Etenim, ut alia facultas eſt intelligentiae, alia voluntatis; ita aliud eſt noſſe, aliud velle aut appetere. Opinio autem manifeſte pertinet ad intellectum; eſt enim intellectus aſſenſio imbecillior. Et quis eſt tam caecus, ut non videat, aliud eſſe noſſe, aliud amare? Sed neque illud, quod de Socrate allatum eſt, plus habet dialectici acuminis. Non enim ex eo, quod illi volunt; ſed contrarium, atque id quod nos ſponte noſtra confitemur, conſequitur. Opinio enim ſtatuens mortem eſſe malum, non eſt mortis timor, ſed timoris origo atque cauſa. Et ſane vitioſi affectus omnes ex depravatis manant opinionibus. Socrati adverſus mortis terrores pectus communitum fuit praeceptis philoſophiae. Nihil ille in malis ducendum, aut magnopere extimeſcendum exiſtimavit, praeter unam turpitudinem: at mors turpitudo non eſt, ſed diſſolutio fragilis

hujus

hujus commiſſurae, quae irrevocabili quodam naturae decreto ſuo tempore provenit. Scivit item idem bonos viros Deo curae eſſe, et nihil mali illis accidere poſſe; eo quicunque ſunt ſapientes viri, Socratis inſtar, ad has fatales neceſſitates ſe hilares atque libentes accomodant. Jam quod de iiſdem non circumcidendis aut amputandis, ſed penitus extrahendis praecipiunt, non minus ridiculum eſt. Nihil enim tollendum eſt prorſus, praeter id quod malum eſt. Affectus autem non per ſe malos eſſe, hoc argumento ſit certiſſimo, quod illos nobis natura inſeverit atque ingeneraverit (ſunt enim et Plutarcho auctore σύμφυτα τὰ πάθη) naturam autem mali auctorem quis niſi impudens dixerit? Sed quid hic opus eſt auctoribus? Nonne uſus ipſe nos abunde docet, eos vel invitis nobis erumpere ſolere; neque quemquam eſſe ea ſapientia praeditum, ut non exorientes illos animi motus vel nolens perferat? Non inficior omnes turpificati animi foeditates in affectibus ſitas eſſe: attamen multitudinem promiſcue propter quoſdam facinoroſos damnare, et eodem crimine inſontes cum ſontibus involvere, crudele eſt et in primis iniquum. Noſtra itaque ratio ſic eſt: vocum alias eſſe, quae vel auditae continuo turpitudinem indicant; ut ſtuprum, furtum, idque genus aliae complures. Aliae contra ſunt, quae officium praeferant; ut pietas, moderatio, et reliquae virtutum appellationes. Aliae tandem mediae ſunt, et indifferentis ſignificationis; hoc eſt, quae pro materia, conſilio, ac temporibus, nunc in laude, nunc in vitio ponantur: cujuſmodi ſunt vigilia, ſermo, inceſſus: contingit enim et recte

et

et ſecus incedere, ac loqui. Brevior ſi placet explicatio; Ægrotatio mala habetur, Sanitas in magnis bonis ducitur; valetudo et bona dicitur, et mala. Sic affectuum alii ipſo auditu ſunt turpes, ut ſuperbia, invidia; quibus, cum ſuapte natura modum non admittant, fruſtra modum, ut Ariſtoteles ait, adhibere coneris. Omnis enim, etiam minima, ſuperbia in vitio eſt: neque quiſquam appoſite dixerit, honeſtam meretricem. Alii ſunt quibus et ipſa appellatio gratiam conciliet; ut ſunt, humanitas, lenitas, miſericordia, caritas. Alii in utramvis partem ſunt inclinabiles; cujuſmodi ſunt generales hae voces, amor, ſpes, gaudium, ira, timor. Quae quidem affectiones nudae, nondumque veſtitae temporibus, quas vulgus circumſtantias vocat, neque bonae neque malae cenſentur. Et ſi probe accepi, hujus generis eſt officium medium apud Ciceronem; cui depoſitum reddere, ad officium commune pertinet; recte reddere, ad recte facta, et perfectius officium. Mediae ergo cum ſint aliquae, ut res et actiones, itidem et appetitiones; ferendi non ſunt Stoici, qui promiſcue affectus omnes in turpitudinis parte collocant. Multo igitur aequior atque humanior eſt Ariſtoteles noſter, qui nos ad ejuſmodi naturae ignotas anguſtias non adigit; nec hic ςέρησιν, hoc eſt, privationem, ſed μετριότητα, hoc eſt, mediocritatem, retinendam praecipit. Tantum vero abeſt, ut hoc nomine de natura queri poſſimus, tanquam ea nobis res damnoſas indiderit; ut, eodem auctore, affectus utiliter adjecti ſint, velut materia quaedam, in qua tractanda atque fingenda vires ſuas ipſa animi virtus expromat. Quod

ſi

ſi materiae naturam parum tractabilem eſſe cauſere, in mentem tibi veniat, ea ratione maxime inclareſcere artificis ingenium; et catulos etiam ferarum diſciplina cicures fieri. Plurimae ſunt arbores, quae abſque cultura degenerant, nihil non acidum et agreſte proferentes; eaedem, ſi cultoris accedat induſtria, ſuaviſſimos fructus ſuppeditant. Quocirca et virtutibus aliquid auxilii eſſe ab affectibus, ab Ariſtotele Homeri teſtimonio confirmatur: dum θυμὸν, hoc eſt, iram cotem eſſe fortitudinis, et aculeum ad adeunda pericula, oſtendit. Exprobrant hic Stoici Peripateticis bellatricem iracundiam, et rabioſam quandam fortitudinem, qualem et vinolentia praeſtare ſolet: ſed ſane non acceperunt, quod Peripatetici ſtatuunt. Vinum quidem utile eſt, etiam ad res fortes gerendas, ſed non vinolentia: et profecto alacrius exequimur quod ratio imperat, cum ea corporis impetu adjuvatur. Cicero hic impenſius Stoicis favet, et Peripateticorum, (quibus tamen nihil uberius aut eruditius eſſe fatetur,) tum rationem, tum orationem, mollem et enervatam vocat, quae perturbationum mediocritatem perſuadere fruſtra conetur: eoque ait, oratorem iraſci non debere, ſed hiſtrionum in ſcena more iratorum atque dolentium geſtus atque voces imitari et ſimulare debere; et ad eum demum componi modum, quo ipſe fuit, cum tranſactis rebus orationes irarum plenas ſine ira ſcriberet. O levem gravis viri vocem! num veritas tam imbecilla eſt, vel potius fallax, ut ipſa impoſturae ac vanitatis patrocinio defendi poſtulet? Hic procul dubio Cicero calamo nonnihil indulſit. Siquidem idem, dum

dum oratorem informat, ex Antonii ſententia oſtendit, non parum intereſſe ad cauſam obtinendam, atque ad judicum permovendos animos, ſi ipſe orator prius miſericordia ſit captus; quam judicibus miſericordiam commovere adnitatur. *Neque parum refert*, ut eſt apud Terentium, *ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de induſtria.* Fatetur et idem Cicero, Democrito atque Platone auctoribus, ſine inflammatione animorum, et quodam afflatu quaſi furoris, bonum poëtam eſſe neminem. Non fuit ergo Ciceroni illa Stoicorum ἀπάθεια, tam acriter propugnanda.

FRANC. Eſt mihi crebro exaudita iſta vox, Graecam eſſe arbitror, ea quid ſibi velit explica.

FLOR. Vacuitatem ab affectibus ea ſignificat, et imperturbationem, ſi Romani ſermonis uſus toleraret: Imperturbatus enim Romane dicitur; Imperturbatio, ut ego quidem arbitror, non item. Eam propriam eſſe ſapientis aiunt Stoici, qui nihil neque cupiat neque metuat. Ex deſiderio enim atque metu neceſſe eſt oriri aegritudinem; quae cum mentis quaedam ſit inſanitas, in ſapientem, ut illis videtur, cadere non poſſit. Eum enim demum ſapientem eſſe ſtatuunt, qui (ut poetarum verbis utar) *nec doluit miſerans inopem, nec invidit habenti: quemque etiam, ſi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae.*

FLOR. Haec ſaxi, aut ſtipitis, vel certi Dei cujuſpiam, non hominis eſſe apparent. CHRISTUS unus procul dubio omnis officii atque ſanctitatis magiſter, vult nos more patris noſtri, hoc

E eſt

eſt, Dei, rerum omnium regis et domini, miſericordes eſſe; atque reverentia tum adverſus ſe, tum adverſus homines uti.

Flor. Quaedam hic paulo altius repetenda ſunt. Plotinus ex Platonis familia philoſophus non ignobilis, quatuor conſtituit virtutum ordines. Primus eſt civilium, quarum officium eſt affectus moderatiores reddere. Alter eſt τῶν καθαρτικῶν, hoc eſt, earum quae purgatrices dicuntur; quarum munus eſt omnes cupiditatum flammas prorſus extinguere. Tertium genus eſt animorum uſque adeo purgatorum, ut ne memoria quidem cupiditatum ſuperſit. Poſtremae dicuntur exemplar quoddam divinitatis exhibere, et individuam cum Deo praeſtare conjunctionem. Magnifica ſane eſt haec oratio, et ſatis conſentanea iis, quae a Paulo noſtro de futurae vitae conditione ac dignitate diſſeruntur: qui fore ait, ut animale hoc corpus aliquando ſit πνευματικόν, hoc eſt, ſubtilioris atque divinioris cujuſdam naturae. Apparet hunc Plotinum, aut Chriſtianae doctrinae codices evolviſſe, aut certe a religionis antiſtitibus multa didiciſſe: neque temporum ratio repugnat; ut qui Galieni, Claudii, Taciti, et Probi temporibus floruerit. Vir fuit ſingulari continentia, adeoque, Porphyrio ejus auditore teſte, quaecunque ad corpus pertinerent eſt averſatus: adeo hujus vitae illum puduit, ut nunquam aequo animo ſit paſſus exaudire parentes, aut patriam ſe in terris habere; quippe qui ſe totum ad animorum dignitatem converterat. Inerat ſane in ejuſmodi inſtituto rarae cujuſdam excel-

Digitized by Google

excellentiae ſpecies, ſed quae, me judice, multum habuerit delirii admiſtum. Poſtquam enim ita divinae providentiae ordo ſanxit, ut animus hic noſter aliquandiu in hoc corpore vel exulet, vel habitet; noſtrum eſt, ubique aequanimitatem praeſtare, toleranterque ferre quae praeſentis vitae condito affert, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamur. Quocunque nos ilie mittat, ubicunque collocet, nihil eſt muſſandum: imo ingentes illi ſemper non ſolum pro proſperis et ad votum fluentibus, ſed etiam pro adverſis gratiae ſunt agendae. Etenim ille pro ſua immenſa, tum ſapientia, tum bonitate, rebus noſtris longe melius proſpicit, quam ipſi vel cogitare vel exſpectare poſſimus. Sapientius igitur multo fecit ille noſtrae, hoc eſt, verae pietatis ſignifer Paulus, qui, quamvis ad Chriſtum abeundi deſiderio vehementiſſime flagraret, neque illius ſpes ullam haeſitationem in ſe clauderent; tamen prae humanae ſalutis atque propagandae religionis ſtudio dubius animi fuit, eſſetne hic in terris ſibi diutius commorandum, an abeundum extemplo ad Chriſtum, *καὶ τὶ αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω*, inquit, hoc eſt, *utrum eligendum ſit, non poſſum ſatis conſtituere.* Sed jam aberrans ad ſuum callem eſt oratio revocanda. Hominem ab animali (ut ſatis conſtat iis, qui vel primis philoſophiae rudimentis imbuti ſunt) ne cogitatione quidem diſtraxeris. (Sciunt enim pueri, hominem eſſe ζῶον λογικὸν) ex animali autem natura neceſſario ſuppullulant affectus. Quamobrem tres poſteriores illius Plotinicae diſtinctionis ordines hujus vitae non ſunt. Neque ipſi Stoici negare poſſunt, viſiones et ſubita-

rios formidabilium rerum occurſus nonnihil concutere etiam ſapientem. Non enim ex ſilice nati ſumus, et, ut ait Pindarus, ἐν γὰρ δαιμονίοις φόβοις φεύγουσι καὶ παῖδες θεῶν, quod eſt, *in panicis terroribus fugiunt et divorum filii.* Ἀδύνατον ergo eſt, ut inquit Plutarchus, τὸ ἀπαθὲς ἐπὶ ἀνθρώποις. Non eſt inficiandum tamen, extitiſſe aliquot heroas, qui vel divinitus adjuti, vel rara quadam naturae felicitate praediti, etiam primos illos concitati animi motus (quod ad ſecundum ſupra allatae diſtinctionis ordinem quidam pertinere volunt) multo tardiores reddiderint. Ad Heroicam hoc arbitror pertinere virtutem; cui et Ariſtoteles immanitatem vel feritatem contrariam facit: medium idem locum dat virtutibus humanis. Supergreditur ergo aliquando homo communes humanae facultatis metas, dum mirifice ſtudet eam excolere partem, qua nobis eſt cum ſuperis cognatio. Attamen ex ejuſmodi hominum praerogativa et laude ſingulari, non ſequitur vituperatio eorum, qui moderate civiliterque vivunt. Etenim naturae ingenium exuere, hoc eſt, primos animorum praeſtare impetus, et ne commotiunculas quidem ullas ſentire, divinae cujuſdam facultatis res eſt. Sed cum jam ſatis ſuperque Peripateticorum diſputationibus exploſa atque profligata ſit haec Stoicorum ἀπάθεια, ſupervacaneum erit contra hanc diutius pugnare.

Franc. Si vera ſunt iſta, non eſt (ut appa-ret) quod ſperemus animi tranquillitatem.

Flor. Quamobrem?

Franc.

Franc. Tranquillitas mentis quaedam eſt quies: ex quietis autem ratione potius eſſe videtur, prorſus non commoveri, quam aliquouſque commoveri. Adde, quod aegritudo, metus, et reliqui affectus, morbi mentis eſſe dicuntur: et, ut morbi non ſint, certe mens tranquilla non eſt quae in metu aut moerore eſt. Si mihi das, affectus morbos eſſe (quod vel gallus Æſculapio a Socrate perſolvi juſſus oſtendit) quis non videt, vel leviſſimum morbum accurate depellendum; et multo ſatius eſſe, omnino non aegrotare, quam leviter, et ad praeſcriptum aliquem terminum aegrotare? Quaecunque enim creſcentia pernicioſa ſunt, eadem ſunt et vitioſa naſcentia. Ægritudo ergo, caeteraeque perturbationes, cum amplificatae peſtiferae ſint, etiam ſuſceptae continuo in peſtis parte verſantur. Neque unquam is ſanus dicendus erit, qui vel leviter aegrotat: dicitur enim ira inſaniae initium. Ergo qui iraſcitur, i ſanitatis aliquid habet. Hic tibi vigilandum eſt, ne ſuſceptam Peripateticorum cauſam deſeras, vel admittas; intelligis tibi cum valentiſſimis philoſophis, hoc eſt, Stoicis, eſſe luctationem.

Flor. Attigiſti tu quidem breviter pene quicquid pro Stoicis dici poteſt. Verum praecipua propoſitio, qua totius pene argumentationis ductus nititur, veritate ſubnixa non eſt. Sic enim eorum incedit argumentatio, tanquam conſeſſum ſit, affectus omnes morbos, hoc eſt, vitia eſſe. Ita enim ſi haberet ſe res, eſſet illis victoria in manu. Quocirca, ut res omnis ſit dilucidi-

cidior, quaedam altius paulo ſunt repetenda. Hoc itaque in primis nobis conſtituendum eſt, Vitii aut virtutis rationem non cadere niſi in actiones humanas. Actio autem humana cenſeri ea nequit, ubi nullum potuit rationis (quae homini propria eſt) officium intervenire. Nunc illud aſſumendum eſt, eum eſſe in appetitionibus ordinem a natura inductum, ut prius res in ſenſum, quam in rationem incurrant. Ex eo autem incurſu ſtatim excitatur animalis appetitus: et quamvis mens ipſa natura ſua ſit velociſſima; propter tamen imaginum, quae in ſenſibus inſunt, conformationem, ſine qua judicium a ratione reddi non poteſt, morae aliquid omnino interponitur, priuſquam quid facto opus ſit, mens conſtituere poſſit. Offert ſe oculis (ut res exemplo colliqueſcat) blanda aliqua ſpecies, quae tamen niſi cum dedecore appeti non poteſt; ea ad ſe pellicit: inimicus a quo inſigniter laeſus ſis occurrit, ſtatim ſequitur ſanguinis quaedam commotio: verum nec haec commotio, nec celer ille animi ad rem blandam appulſus, ante natus quam deliberationi locus eſſet, humana, hoc eſt, voluntaria actio, eſſe dicetur: cum nihil, ut jam dictum eſt, voluntarium ſit cenſendum, de quo ratio ante cognoſcere nequivit. Sed faciamus eſſe rationi ſpatium ſe colligendi, atque dijudicandi otium; adhuc tamen nec voluntatis, nec animalis facultatis appetitiones vitii rationem accipient, niſi adſit rationis aſpernatio. Rationem autem affectus dicuntur aſpernari, vel cum ad res turpes ſe accommodant, vel cum negliguntur tempora, vel cum animi conſilium ſine aliquo inhoneſto propoſito] eſt corruptum. Si

pro-

propter amorem puellam ad ſtuprum ſolicitas, amor turpis eſt: ſi amicum aut ſodalem beneficio afficis, ut tibi ſit ſocius vel adjutor in aliquo ſcelere, amicitia abuteris: ſi propter metum enuntias commiſſum, aut in generoſo incepto conſcios, vel officium quodcunque prodis, etiam ut capite pericliteris, metus in vitio eſt. Et contra, affectus ſi ad res honeſtas obſervatis temporibus ſe applicant, quantumlibet intenti etiam ſenſiles illi cordis motus ſint, in laude ponentur.

Franc. Si intenſionem affectuum in rebus honeſtis recipis, fieri poſſe videtur, ut motus magnitudine oblivio quaedam adducatur officii; et caeco quodam velut impetu raptatus, rationis terminos vel invitus, vel inſciens praetervehare.

Flor. Et haec Stoicorum eſt objectio, quam Plutarchus exemplo diluit: hoc perinde eſſe dicens, ac ſi quis curſum vituperaret, quia poſſet intervenire lapſus; ac jactum, quia contingat ultra ſcopum jaculari. Voluerunt quidem Stoici nos, cum irae, aut cuicunque perturbationi indulgemus, non amplius eſſe ſpontis noſtrae. Num lapis (inquiunt) ubi ſemel projectus eſt, poteſt revocari? aut ubi quis ſe ex edito loco praecipitem dedit, ſe cum velit ſuſtinere? Sed non ſunt ſatis aptae hujuſmodi ſimilitudines. Feruntur gravia natura ſua deorſum; neque rationis aut voluntatis imperium exaudire nata ſunt: motus vero omnes cordis noſtri et in nobis inſunt, et ex opinionibus noſtris manant. Et quoniam integrum eſt rationi, opinionum pravitatem cum volet corrigere,

rigere, ſemper ſub rationis ditionem cadunt affectus. Atque, ut qui equo inſidet currenti, fraeni adductione curſum inhibere poteſt; ſic perturbationum impetum ſemper poterit ratio ipſa comprimere. Non me praeterit, ſupra cum de habitus viribus mentio fieret, illud de lapidis (poſtquam ſemel e manu emiſſus eſſet) jactu neceſſario, etiam ex Ariſtotelis ſententia allatum eſſe: verum quomodo illa neceſſitas temperanda ſit, eo ipſo in loco eſt demonſtratum; et infra, cum res poſtulabit, finitimum quiddam tractabitur. Ergo ut tota haec ratiocinatio concludatur, ſoli illi affectus, qui turpes ſunt, in morbis ſunt numerandi: quod iis ſolis violetur illa mentis integritas, quae in hoc poſita eſt, ut nihil niſi quod honeſtum eſt, ſaltem conſulto et cogitato, vel geramus vel appetamus. Quocirca ſi turpitudo abeſt, ſemper pacati eſſe intelliguntur animorum motus. Porro autem tranquillitati non officere leniores flatus, ſatis nos docet hic ſuaviter inter has, quae nos tegunt, frondes ſpirans Favonius, qui lucis hujus jucunditatem non imminuit quidem, ſed, ut videtis, exauget. Elyſii illi campi, quos Homerus, ingeniorum fons habitus, beatitudinis voluit eſſe domicilium, non norunt nivem, aut hiemem, aut imbres, *ἀλλ' ἀεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας·* hoc eſt, *Sed ſemper Zephyri ſpirantes molliter auras.*

Franc. Ego quidem manibus pedibuſque, quod aiunt, in ſententiam tuam eo: verum (ut credere convenit) non de nihilo eſt, quod tot praeſtantes viri deinceps rem ſupra hominum captum, tam ſtudioſe nobis commendarint. Neque

que

que enim credibile eſt, eos fugiſſe, quanta eſſet humanarum virium infirmitas. Quid hic cauſae fuiſſe putas?

Flor. Nulla unquam extitit philoſophorum factio, cujus doctrina non fuerit ſuis quibuſdam tanquam maculis reſperſa, imo et gravium quorundam errorum denigrata lapſionibus. Pythagorici ſuam habent μετεμψύχωσιν· Platonici ideas, numerorum compoſitionem, et monſtroſas Reipub. formas: Peripatetici infinitam ſeculorum aeternitatem, et vacillantes de animorum duratione ſententias: Academici in contrarias partes de omni re diſputant, ridicule etiam a manifeſte veris aſſenſionem abſtinentes, σκεπτικοὶ idcirco dicti. Nec ego nunc de his loquor philoſophis, quorum dogmata cum natura, ant virtutis dignitate pugnant, cujuſmodi fuerunt ex voluptariis illis philoſophis nonnulli; ſed de iis, qui praecipuae ſunt apud omnes dignationis. Nihil ergo mirum videri debet, ſi et Stoici, ſanctum ſane philoſophorum genus, ſuas habeant doctrinae abſurditates. Sed cum complures inſignes viri ex ea familia extiterint, in quibus ſunt Zeno, Cleanthes, Cato Uticenſis, Epictetus, et graviſſimus ille morum magiſter Seneca: inſignium autem virorum errores et lapſus, ſemper ſint cum aliqua honoris ac reverentiae ſignificatione refellendi; imo, ubi pietatis non intereſt aliter fieri, excuſatione aliqua liberali elevandi: quid eos in eam ſententiam adduxerit, breviter (ut mihi quidem videtur) aperiam; et eum me in praeſentia eſſe facio, cui illi cauſam ſuam agendam vel ludo permittant.

FRANC. Rem et nobis gratam, et ingenio atque conſuetudine tua dignam facies.

CAP. V. *Explicatio et defenſio indolentiae Stoicorum. Qua ratione affectus nobis in virtutis ſtudio adjumento eſſe poſſint.*

FLOR. Mediocritas iſta, quae a Peripateticis in perturbationibus praecipitur, ſignum eſt ad quod perpetuo eſt collimandum, et ſcopus ad quem omnis morum diſciplina ſtudia ſua dirigit: nam in eo attingendo virtutis perfectio conſiſtit. Verum quum medium illud punctum inter duo extrema, hoc eſt, inter plus et minus poſitum, indiviſum ſit, atque ex accurata rerum circumſtantium expenſione aeſtimandum; aberratio (ut quae ultra citraque late pateat) facilis eſt, ſcopi vero attactus difficilis: non ſecus ac in iis videmus, qui ſagittas dirigunt, aut jacula ad ſignum aliquod contorquent. Abjectis armis mortis metu ſigna deſerere in proclivi eſt. Multi ſunt qui rabioſa feritate in nihil commeritos incurrant: ſed animo praeſenti, ubi, quantum, et quando ratio poſtulat, (quod ad fortitudinis laudem pertinet) pauci ſunt qui utantur. Praeter vero communem hanc difficultatem, ex indiviſa medii puncti ratione magna ex parte ortam, accedit alia, ex eo quod nemo noſtrum non ſit in alterutram partem pro ingenii qualitate propenſior. Quamobrem ſi eodem voluntas tendit, quo naturae fert impetus, facile (quod aiunt) ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶμεν, hoc eſt, *ultra ſepta tranſilimus*: jam enim inclinatis adventitia vis incumbit. Sic

ira-

iracundus, quum non ira ſibi interdictum, ſed nimietate ejuſdem intellexerit, ingenio fretus, ultra punctum medium, hoc eſt, rationis metas effertur, et pro virtute vitium amplexatur. Quod ſi quis ita eſſet a natura factus, ut quoties inambulare inſtituiſſet, ad curſus raperetur celeritatem, huic haud dubie perpetuo teſtudineus quidam gradus eſſet conandus. Profuerit igitur non mediocriter ei, qui iracundo ſe eſſe ſentit ingenio, cum laceſſitur injuriis, ſtupiditatem aut lenitudinem conari: ei, qui in amores eſt proclivior, non modo formarum vitare aſpectus, ſed etiam ſe in formarum odium adducere tentare: ei, qui liguritionibus, temulentiis, et cupediis eſt deditus, ſe fame atque ſiti interdum excruciare. His rationibus fiet, ut dum ratio a complacitis rebus prorſus avocat, et affectus alio nos vehit (nam affectus aliquid interea lucrifacit) medium a ratione propoſitum aſſequamur. Eſt et haec diſciplina Ariſtotelis; qui in cupiditatibus moderandis nos idem facere vult, quod illi, qui (ut illius verbis utar) τὰ διεστραμμένα τῶν ξύλων ὀρθοῦντες ποιοῦσιν· Hi enim ligna incurva in contrariam partem deflectunt, ut tandem in medio, unde figurae aequabilitas eſt, cum id ab extremis non extumeſcit, conſiſtatur. Plus enim nimio ſemper nos ad enervatas, et eas quae affectibus noſtris blandiuntur ſententias nos dociles praebemus; et multo facillime in hac parte, quae cum natura noſtra conſpirat, peccamus. Sed quorſum haec? aies. Audite: Hoc mihi et Stoici dabunt, affectus quo vehementiores fuerint, hoc periculoſiores eſſe; et quo turpiores fuerint, hoc ſolicitius tollendos.

Illud

Illud rurſus ſatis conſtat, flagrantiores in nobis eſſe eos, quos affert temperatio, et nos in illis dirigendis potiſſimum delinquere ſolere. His jam addamus id, quod ab Ariſtotele de deflexione ad alterum extremum eſt conſultum; aliis verbis, ſed pari pene ſenſu, a Stoicis praecipi, dum perturbationes has prorſus exterminatas volunt. Natura tibi indidit perpetuam curſus celeritatem, quae tamen ſit refraenanda; Ariſtoteles vult, ut tarde incedas: Stoici volunt te quieſcere, ut acerbitate quadam praeceptionis augeatur in praecavendis vitiis induſtria. Verum hanc excuſationem fortaſſe non omnes accipient; quamobrem aliam afferam, quam fortaſſe Stoici ipſi non repudiarent: ſed eget illa ſubtilioris atque longioris explicationis.

FRANC. Nos ejuſmodi de rebus percupide, ut vides, audimus. Tuum erit, pro ingenii dexteritate perficere, ut ne rebus vel obſcuris lux, vel prolixis compendium deſit.

FLOR. Faciam equidem, non quantum vos petitis, id enim majoris eſt cujuſdam facultatis; ſed quoad ipſe poſſum, et temporis ratio ſinit, vel quod in buccam venit effutiens. Nam ſi occaſio ſineret, ut ſtudioſius in cauſam incumbam, et qualiſcunque induſtriae vires in rem intendam, ſatisfacerem vobis plenius. Igitur, ut ad rem aggrediamur, ſic ſtatuo: Si, quod Stoici de ponendis omnino affectibus praecipiunt, de animalibus illis perturbationibus accipiatur, plus habet illorum cauſa aequitatis quam vulgo exiſtimetur. Et pro-

profecto, dum ipſe mecum rem totam reputo, perpauculis me ſentio paſſibus in eorum academiam deductum. Subeſt autem hic ratio duplex, quarum tamen utraque *aurificis* ipſius potius, quam *populari ſtatera* (ut Ciceronis verbis utar) *ſit examinanda.* Prior in hoc poſita eſt, quod, quo minus affuerit ejuſmodi perturbationum, hoc minus in ipſo rerum delectu erroris ſoleat intervenire. Altera hujuſmodi eſt, tum majorem eſſe officii et puritatem et laudem, cum abeſt in officio praeſtando ille commoti corporis impetus. Haec ut dilucidiora faciamus, mutuanda ſunt nobis quaedam ex inſtructiſſima illa Peripateticorum officina. Neque vos habeat admiratio ulla, ſi me videtis frequentem in citando Ariſtotele. Non nego, illum interdum lubricum et obſcurum, interdum redundantem, interdum vanum denique deprehendi: ſed certe acumine atque methodo in excutiendis ſubtiliter rerum naturis, longe omnibus qui hactenus vel in Graeca vel in Romana lingua ſunt exorti, (neſcio quid habeat ultima Indorum barbaria) praeſtitit. Huic, in de Anima commentariis, et in eis libris, qui principem philoſophiae partem, quam ille τὰ μετὰ φυσικὰ, vocat, tractant, *νοῦς πᾶς ὀρθός ἐστιν· ὄρεξις δὲ καὶ Φαντασία, καὶ ὀρθὴ καὶ οὐκ ὀρθή·* hoc eſt, *Intellectus ubique rectus eſt: appetitionem vero et Imaginationem contingit et rectam eſſe et ſecus.* Quae ſane verba (ut Themiſtius et Ioannes Grammaticus celeberrimi ejuſdem interpretes enarrant) huc tendunt, ut intelligamus, intelligendi vim ſuapte natura erroris non eſſe affinem; adeoque quicquid uſpiam ab homine delinquitur, corpori ac ſenſibus, quibus intellectus alligatus eſt, aſſignandum eſſe.

eſſe. Siquidem aſſidue ſuffitum quendam noxium et tenebricoſum ad mentem uſque exhalat corpus, cujus interventu liveſcit plurimum ingenii fulgor, et judicii acies hebetatur. Sed hic intelligendum eſt, hanc perturbationum vehementiam interdum conſequi ſolere mentis deliberationes: quod dum fit, hominem duntaxat in priſtina ſententia, ſive ea ſtudioſa, ſive prava fuerit, confirmant affectus: itaque in hac parte minus eſt periculi. Eadem interdum antecedit conſilium, et tum dupliciter animo noceri contingit; hoc eſt, tam in ipſo judicationis initio, quam progreſſu. In initio quidem, quia ſemel excitati hi motus animantis corpus varie afficiunt, animanti vero aliter affectae alia conveniunt. Nam nunc flagrante canicula umbram quaerimus, frigidis potionibus indulgemus; qui, dum ſol in brumali fertur ſigno, focum accendimus copioſum, parcius, quod ſitis abiit, bibentes. Et cum plurimum ex praeſente corporis affectione ratio, dum commoditates vitae quaerit, bonam judicii partem mutuetur; fit, ut ea pene ſemper amplectamur, ad quae nos propellit ipſa corporis affectio. Juveni tibi (verbi gratia) ſe offert inſignis aliqua forma, vel jam rem attentius curanti aurum, aut amoenus atque fructuoſus ager: hic protinus pro temperationis modo celerius, vel tardius, ſaepe vel ex ſola ea vi, quae φαντασία dicitur, exiſtunt animales illi motus, qui rationem, jam tum de optione ambigere incipientem, ad ſententiam a ſe abſque prorogatione dicendam importunis advocationibus ſolicitant. Itaque, ut, quod per vitrum colore aliquo infectum conſpicitur, vitro concolor apparet, (hinc

pupil-

pupillae nullus eſt ſuus color, qui ſi eſſet, unius omnia viderentur coloris); ſic nos res illae fallere ſolent, de quibus cum vehementer affecti ſumus, et velut praejudiciis corrupti, ſtatuimus. Huc pertinet illud Charini adoleſcentis apud Terentium, *Facile omnes, cum valemus recta conſilia aegrotis damus: tu ſi hic ſis, aliter ſentias.* Quoties ergo cunque externa rerum ſpecies nos afficit et delectat, omnia nobis ſuſpecta eſſe debent, tantiſper dum maturrima accedat judicatio; ipſique nobis interea ſubinde ſumus admonendi notis illis Virgilii verſibus,

Qui legitis flores et humi naſcentia fraga,
Frigidus (o pueri! fugite hinc) latet anguis in herba.

In progreſſu vero nocent affectiones, propterea quod, cum vehementes ſunt, adeo hominem ſibi ſurripiunt, ut aliam rem nullam extra eam, ad quam illi ferunt, affecto cogitare libeat. Hinc temporum, et eorum quae ad officii integritatem concurrunt negligitur ponderatio, et omnia inconſiderata temeritate geruntur. Faceti ſunt illi Martialis verſiculi, de Rufo quodam Naeviam efflictim depereunte; et, quia ad propoſitum noſtrum faciunt, afferre non gravabor:

Quicquid agit Rufus, nihil eſt niſi Naevia Rufo:
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur:
Coenat, propinat, poſcit, negat, innuit, una eſt
Naevia: ſi non ſit Naevia, mutus erit,
Scriberet heſterna patri cum luce ſalutem,
Naevia lux, inquit, Naevia lumen ave.

Hinc

Hinc ſunt et apud Virgilium incenſae illius Didus ſolicitae cogitationes, dum,

Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos, haerent infixi pectore vultus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.

Hujus rei gratia rhetores praecepta tradunt de perturbandis judicum animis; maxime ſi orator cauſae ejus, quam agendam ſuſcepit, aequitati diffidit. Sic enim fiet, ut in judicibus perpaululum loci ſit rationi, et veritas ante praeterlabatur quam ſit recepta. An autem id fiat oratori ex aequo et bono, non eſt praeſentis diſquiſitionis: hoc ſatis conſtat, omnes, qui de rebus dubiis conſultant, hoc melius munere ſuo functuros, quo longius ab irae, amoris, odii, gratiae, et ſimultatum vehementia, abfuerint. Jam quod de officii puritate dixi (fuit enim haec altera extirpandorum affectuum ratio) hoc nititur fundamento, quod, poſtquam judicium illud de re gerenda non eſt prorſus (ut ita dicam) indigenum, hoc eſt, non totum a ratione proficiſcitur, ſed partim a corporis affectu, et perinde ab adventitio eoque bruto impulſore, minorem obtinet dignitatem, et propter nonnullum corporaturae interventum impurius eſſe cenſetur. Haec autem ipſa judicii impuritas deinceps redundat in delectum; ſic, ut minus liberum habeatur illud, quod non eſt ex pura ratione profectum: unde manifeſte in actione tum bonitatis, tum malitiae, adeoque et laudis ac vituperii, imminutio quaedam conſequitur. Finitimum quiddam huic ſententiae verſabat (ut opinor)

nor) in animo Cicero; cum ſtatueret ea beneficia, quae temeritate et repentino quodam quaſi vento atque impetu incitati animi in aliquem conferuntur, minoris aeſtimanda eſſe, quam ea quae judicio et conſtanter conſiderateque ſunt delata. Et ut ratio omnis paucis concludatur verbis, non poſſum vituperare virilem atque animoſam Stoicorum ſententiam; qui volunt, ut poſtquam divinitatis non mediocriter ſumus participes, perpetuo ſtudio conemur deferere id, quod nobis cum belluis eſt commune, corpus, et divorum conſortionem atque ſimilitudinem perpetuo meditari.

Franc. Sane aequitatis aliquid habet tam generoſa excuſatio: attamen cum permulta ſint cur eam non accipiam, ex permultis pauca quaedam commemorabo. Si affectus antecedens judicii puritatem, atque adeo arbitrii (ut tu mihi ſtatuiſſe viſus es) libertatem impedit; apparet, nec mala vitio nobis verti debere, nec bona laudi eſſe, quae affectibus impulſi gerimus. Tum enim vel te, vel certe Stoicis auctoribus, non ire ſed protrudi videmur. Huc accedit, quod in hominum more poſitum eſt, voluntatis, adeoque et facinoris magnitudinem, ex illis indiciis quae affectus intenſionem indicant, metiri. Ex vultus enim inflammatione, ac torva figura, colligitur ardor voluntatis; ex ejuſdem dejectione, perpetua deſperationis cujuſdam offenſio. Et fortaſſe vocis ἐτυμολογίαν ſi perſcrutemur, *Vultus* vocem a volendo ductam inveniemus; quando et Cicero vultum tacitum quendam mentis ſermonem appellat; quod ſane

 con-

conſtare non poſſet, ſi affectus, ex quibus vultus varietas exiſtit, voluntatis rationem impedirent.

Flor. Affectus, qui ſequuntur conſilia et deliberationes, non adeo (ut jam dixi) judicii puritati officiunt, ex eo quod jam ſuperveniant judicio facto; verum ex iis documentum capitur et pravae et ſtudioſae voluntatis: propterea quod voluntas flagrantior etiam in animalem partem aliquid fervoris ſui infundere ſoleat. Qui vero antegrediuntur, ſi adeo vehementes ſunt, ut prorſus omnem mentis uſum tollant, (quod in furioſis ac mente captis uſu venit) adimunt pariter et laudis et reprehenſionis rationem. Siquidem *qui ita affectus ſit, eum dominum eſſe rerum ſuarum XII. tabulae* (ut ait Cicero) *vetant*, et leges plurimum culpa liberant. Poteſt et haec nimia atque monſtroſa inflammati animi potentia etiam poſt conſilia exſurgere; ſed ſemper ejus vis fere uniuſmodi eſt, hoc eſt, ut ex homine pene belluam factam intelligamus. Sed quoniam plurimum intereſt, an lucidum fontem immanis ſaxi injectu funditus conturbes, an lapillo leviter demiſſo undam ad tardos quoſdam circulos adigas: ita multum eſt diſcriminis inter eam mentem, cujus tota lux ſit extincta, et functio ingenii omnis impedita; et eam, cui offuſa ſit duntaxat nubecula quaedam praetenuis, et nullius prope corpulentiae. Et certe, ut doctiſſimis quibuſque placere video, mitiores hae perturbationes, quae paulum ingenii luminibus officiunt, ſi non ſint de induſtria accerſitae, quamvis libertatem prorſus non tollant, detrahunt tamen aliquid ponderis crimini, et veniae aliquid

delin-

delinquentibus conciliant. Itaque eorum, qui perturbatione victi peccarunt, facilius miſeremur. Non enim in caede par eſſet Ajacis et Ulyſſis conditio: et in iis ipſis quoque, qui animi ſunt impotes, naturae impetus major expendi ſolet. Verum cum humana conjectura non ſemper ad amuſſim aſſequi queat, antegreſſane ſit perturbatio conſilium, an poſt acceſſerit, (Deo enim ſoli haec nota ſunt) certum de principio flagrantis voluntatis documentum non ſemper ex ea, aut ejuſdem indiciis capi poteſt. Hoc tamen ſatis confeſſum eſt, in eo qui a natura inſigniter factus eſt ad perturbationem aliquam, ſolere illam non ſolum conſequi, ſed etiam antevertere judicium, unde eſt illa libertatis ſupra commemorata imminutio. Sed et in officio quoque praeſtando, qui puro mentis ductu, et non ſuavitate temperaturae ad humanitatem fertur, egregiam ſane et ſingularem meretur laudem; et praeſtantior (ut videtur) eſt eo habendus, quem natura prope officioſum fecit. Nam videas quoſdam tanta ingenii bonitate, ut ſimul atque aſpexerint aliquem in calamitate poſitum, humanitus condoleſcant, et quamprimum ſubvenire cupiant; more illius Menedemi Terentiani, qui hominem ſe eſſe meminit, et humani a ſe nihil alienum putavit. Alios cernere eſt, qui ad aerumnas alienas ne hilum quidem commoveantur. Hi ſi ratione alio non ducuntur, ſed ingenio obſequi pergunt, et miſeris aut victis inſultant, immanis et deterrimae ſunt naturae homines. Poſſem huc, ad confirmandam hanc ſententiam de imminuta per perturbationem libertate, afferre acutos aliquot Theologos; qui ideo cen-

 ſeant

ſeant actiones ex habitu profectas minus eſſe liberas, quod habitus naturae inſtar ſit ad turpia vel honeſta ferentis: ſed modus eſt rebus omnibus adhibendus.

Demet. Si recte obſervavi quae tibi proxime dicta ſunt, vitandi ſunt (ut apparet) hi ſenſiles cordis motus, et ratione duntaxat pura utendum eſt, cum ſuccurrendum eſt afflictis, vel pie aut humaniter aliquid faciundum. Siquidem liberales eſſe poſſumus, et opem ferre ſine illa tali, qualis inter miſerandum intervenit, aegritudine. Quorſum enim ipſi propter alios ſuſcipiamus inutiles aegritudines, ſi in promptu ſit ſine aegritudine ſubvenire? praeſertim cum et alios, ſi poſſimus, levare aegritudine debeamus?

Flor. Subit animum recordatio dicti cujuſdam nobilis in primis, et Equeſtris ordinis viri Franciſci Briami; quod quidem mihi acutum viſum eſt, et cum argumentatione tua concordare. Cum Christi celebratur Natalis dies, luditur alea apud Britannos prolixius: jam ſors ipſa (ut interdum fit adverſante fortuna) Gulielmo cuidam Picringo, homini ſane generoſo, et qui Regi ipſi merito carus erat, perierat. Hoc Rex ubi reſcivit, aegre ſibi eſſe, atque ſe Picringi dolere vicem dixit. Tum Briamus, qui cum Rege familiariter colloqui conſueverat (eſt enim Rex ipſe, ut omnibus aliis virtutibus, ita et comitate affabilitateque ornatus) Noſtrum, inquit, O Rex, eſt, qui cupientes ſubvenire non poſſumus, non tuum, condoleſcere: nequetibi ob aurum illi deperdi-

tum

tum triſtitia ulla ſuſcipienda eſt, cui in promptu ſit illum vel Croeſum quendam jam nunc efficere: aurum ubi illi largitus fueris, ſublata erit aegritudinis cauſa. Probat Rex, ut eſt prudentiſſimus, Briami ingenium; et Picringum paulo poſt munificentiſſime et ad honores et opes evexit. Nunc (ut ad inſtitutum redeam) hujuſmodi curioſitatis me, nec auctorem nec ſuaſorem habebitis. De re ipſa cum in utramque partem diſputari poſſe vidiſſem, tantum oſtendere volui, Stoicos non omnino temere rigidum illud τὸ ἀπαθὲς in hominum ſermonem invexiſſe: quamobrem quae pro illis a me dicta ſunt, definitionis aut ſententiae vim ut habeant non poſtulo. Leniorem illam viam tenendam arbitror: et cum veſtro nutu in laudatam aliquam rem propendebitis, accipite quod natura dat, remittite fidenter fraenum, exultate audacius, et ad illud unde flatus oſtenditur vela dare ne formidetis. Qui pura ratione in ſingulis electionibus utatur, equidem phoenice rariorem exiſtimo. Atque utinam mihi natura copioſiſſime largita eſſet illam ingenii ſuavitatem, ac φιλανθρωπίαν illam, quae etiam corporis temperatione adjuvatur; ut facile alios perferam, nemini temere ſim adverſus, nemini me invidioſe praeferam. Amabo me et miſericordia deliqueſcere, et opitulandi omnibus pro virili ſtudio me capi mihi multo erit jucundiſſimum. Tanta enim eſt in officiis praeſtandis noſtra infirmitas, ut nunquam nimium multis vel rationibus excitari, vel excitati praeſidiis confirmari poſſimus. Habeat itaque nos amor quamlibet vehemens, dummodo ſit rerum praeſtantium atque honeſtarum. Expaveſcamus,

mus, ſed id potiſſimum, ne in turpitudinem aliquam delabamur. Iraſcamur item; ſed nobis ipſis, ſi quando nos ſentimus ſcelerum blanditiis ignavius obſiſtere; aut ea cupide conſectari, quae cum hominis dignitate pugnent. Hac enim ratione tandem aliquando fiet, ut omnes affectuum cohortes, qui libentius fortaſſe in turpitudinis caſtris militant, ad honeſtum transfugiant, atque ſub virtutum ſignis faciant ſtipendia. De Xenophonte quodam Lagi, ſi bene memini, filio proditum eſt, ut cuidam timiditatem exprobranti, quod ſecum teſſeris decertare non auderet, reſponderit; Se nihil laborare, quam timidus eſſet ad ejuſmodi res aggrediendas, quae vel inutiles, vel indignae eſſent: imo id ſibi unice in votis eſſe. Quam praeclarum eſt illud Ageſilai, qui cum maleficum conſtanter toleraſſe cruciatus intellexiſſet, perquam miſerum eum hominem eſſe pronunciavit, qui ejuſmodi animi vigorem non in patriae aliquod tempus et res honeſtas, ſed in flagitioſas conſumpſiſſet. Quae ideo recitavi, ut liquido conſtare poſſit, affectus pleroſque non ſuo ſibi ingenio, ſed noſtra culpa exitioſos et vituperabiles eſſe.

FRANC. Iſthaec ſi, ut tu dicis, ſe habent, eodem, ut apparet, identidem revolvimur; eodem urgebimur incommodo; ac in id, quod remis veliſque (quod aiunt) effugere ſtudemus, perpetuo incidimus. Nam iſthac ratione non modo non tolluntur perturbationes, imo ne imminuuntur quidem; ſed in eo ipſo, quo eſſe ſolent, intenſionis gradu atque magnitudine alio derivantur. Permit-

mittis mihi, ut meis ipſius vitiis iraſcar, ut extimeſcam, ne quando mihi laedatur officium, ut honeſti conſcientia gaudeam et exultem: juſtiores, fateor, ſunt hic multo irarum, formidinum et exultationum cauſae: interea tamen in iris atque formidinibus non deſunt moleſtae illae contractiones et angores, quibuſcum mentis otium commode copulari nequit. Siquidem et vulnus fortiter, et pro patria acceptum, ingratum quendam doloris ſenſum ſecum affert. Improbabilis ergo apparet hic, quem tu inſtituis, perturbationum uſus.

Flor. Ego te eo ingenii acumine et memoriae fidelitate praeditum ſcio, ut ipſe tuam objectionem, licet acuta ſit, ex iis quae nobis ſupra dicta ſunt, facile, ſi velis, queas infringere. Sed fortaſſe extrahendae diſputationis gratia, novos ſemper argumentationum nodos innectis. Dicendum ergo et hic erit aliquid, praeſertim cum objectio tua occaſionem praebeat explicandae cujuſdam ſcitu atque explicatu profecto non indignae difficultatis. Atqui voluntatis bene inſtitutae hoc proprium eſt, quae honeſta ſunt propter ſe, vel certe ideo ut Dei immortalis voluntati mos geratur; et non propter utilitatem aut voluptatem aliquam adjunctam complecti (quanquam ita a natura cautum eſt, ut nunquam ſolida et confirmata bonitas animi jucunditate vacet, nec vera jucunditas a bonitate ſit divulſa) et contra, turpitudinem fugere non damni aut doloris metu, ſed quia ipſa per ſe fugienda ſit; vel potius, quia cum eis, quae divinitus ſancitae ſunt, legibus, quibus nos

 omni-

omnino parere convenit, ex diametro pugnat. Ita ſecum ſtatuat oportet, cuicunque ſolida probitas cordi eſt. Hic enim eſt omnium officiorum fons; hoc fundamentum eſt omnium, quaecunque ex aequo et bono fiunt, adeo ſtabile et illuſtre, ut nemini vel exiliter erudito ignotum ſit illud,

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine poenae.

Hoc patrium eſt potius (ut eſt apud Terentium) *conſuefacere filium ſua ſponte recte facere, quam alieno metu.* Et Seneca timidos, non innocentes vocandos cenſet, qui propter timorem ceſſant a malis. Idemque vult nos colere amicos; non ut habeamus, qui nobis infirmis aſſideant et ſuccurrant; ſed potius, ut ſint quibus a nobis aſſideatur et ſuccurratur. Semper enim virtus magis propter ſuam dignitatem, ſplendorem et puritatem; quam propter fructum, voluptatem, aut mercedis aliquod lenocinium expetitur. Et ut exemplo res prope manu tentetur: Tu patrem tuum praeſtantiſſimum civem et magnum Reipub. veſtrae ornamentum Bonaventuram, non tam ſtudioſe colis propter commodum ullum, ac tam amanter obſervas; nec quam diutiſſime ſalvum vis et incolumem; quia ille longiore vita rem familiarem auctiorem, aut patrimonium locupletius ſit relicturus; aut quia ex domeſtica cum illo conſuetudine ſis percepturus voluptatem: ſane ἐπικάρπιον quiddam eſſet hoc, et tuum agere negotium; teipſum, non patrem adamare, et tuis tandem velificari

com-

commodis; quae omnia nefarie fierent, et accuſabilem quandam turpitudinem continent. Cur ergo? Quia officii et pietatis fructus in ea re poſitus eſt, dum illam virtutum, quae in eo ineſt, praeſtantiam, in quocunque inveniatur admirandam, veneraris; dum ſuus origini habetur honos, et divinis obtemperatur legibus. Sed quorſum, aies. tam longa propoſitio? Ut intelligatur, pari ratione voluntates et animi ſtudia, aut res ad quas illa ferunt, nec perſequendas propter utilitates aut laetitiam, quae in ſuavi cordis motu conſequi ſolet; nec fugiendas propter doloris quoſdam morſus, quos praecordiorum affert contractio. Reſipit enim hoc (ut diximus) delicatam Epicureorum diſciplinam, atque animi mollitiem, ab ipſa virtutis dignitate maximopere abhorrentem. Erit ergo et ratio cur refugiendae ſint hae corporum commotiones, non moleſtia aliqua corporis, quam illae afferre queant; ſed quod nos ſolicitent interdum, ut flagitioſe ab honeſto deſciſcamus; quod nos ad turpitudinem, niſi vigilemus, adducant. Itaque quantaecunque ſint, ſi abſit turpitudo, intelligendum eſt, commotiunculas illas eſſe nihil quicquam tranquillitati illi, quae humanitus parari poteſt, officientes. Sed hic operae pretium eſt obſervare, quam benigne nobiſcum hac in parte natura egerit. Hic vos, ut attentiores ſitis, et animum diligentius advertatis, niſi id jam ſponte veſtra faceretis, majorem in modum adhortarer. Dixi extimeſcendas eſſe turpitudines; dixi iraſcendum nobiſmetipſis, ſi ad officium deſides inveniamur; conceſſi aegritudinem ſuſcipiendam, cum nobis incuria noſtra

aliqua turpitudinis macula inuſta eſt aut accrevit: porro metus, ira, aegritudo, affectus ſunt, qui cum tranquillitate manifeſtius pugnant. Verum, ſi ob ejuſmodi res duntaxat, quae ſane ſolae ſunt, propter quas merito ſuſcipiendae ſunt, quas recenſui, perturbationes, perturbemur; nunquam profectu erit uſus, ut vel diu id, vel magnopere fiat. Et cur ita, inquies? Quoniam ſemper in nobis ſitum erit, primo quoque tempore arbitratu noſtro ejuſmodi affectiones, adeoque et moleſtias cordis ex eis prognatas deponere. Ratio locuples et firma admodum in promptu eſt: cum, ut in te haereat turpitudo, vel honeſtate ſpolieris, ex voluntate tua proficiſcatur. Siquidem in voluntatem, ad quam unam proprie et virtus et vitium pertinent, nulla cadit coactio. Nam, ut eſt apud Horatium,

Juſtum et tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriae,
Nec fulminantis magna Jovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Ergo ut ratio concludatur, ejuſmodi dolores honeſti noſtrae ſunt ditionis, et noſtro tum accipiuntur, tum deponuntur arbitrio: unde nihil eſt ab illis animi tranquillitati impedimenti. Multo ſecus eſt in triſtitia, temere et praeter rationem ſuſcepta: nam ſi amiſſam defles pecuniam, id de-

fles,

ſes, quod non potes ipſe tibi, cum voles, vel dare, vel adimere. Hic tibi negotium eſt cum fortuna, atque eis rebus, quae non cadunt intra fines ditionis tuae. Hic aliqua quaedam medicina adhibenda eſt, de qua nobis infra dicetur. His ipſis de rebus in Epicteti Enchiridio, quod Arrianus conſcripſit, utiliter quidem, ſed nimis conciſim diſputatur. Quapropter volo ipſe vobis in praeſentia locum quendam ejus libelli, qui ſtatim a principio occurrit, quadam explicationis luce illuſtrare. *Ἂν μὲν οὖν μόνα ἐκκλίνῃς τὰ παρὰ φύσιν, τῶν ἐπὶ σοί, οὐδενὶ ὧν ἐκκλίνεις περιπεσῇ. νόσον δ᾽ ἂν ἐκκλίνῃς, ἢ θάνατον, ἢ πενίαν, δυστυχήσεις. Ἆρον οὖν τὴν ἔκκλισιν ἀπὸ πάντων τῶν οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν, καὶ μετάθες ἐπὶ τὰ παρὰ φύσιν τῶν ἐφ᾽ ἡμῖν.* Haec ut perſpicua ſint, opus eſt illud meminiſſe, quod idem in capite ſtatuit: eorum quae ſunt, alia in nobis eſſe; alia non item. In nobis eſſe dicit (hoc eſt, in noſtra eſſe poteſtate) Opiniones, et Appetitiones, atque declinationes rerum; quae ſunt functiones animi, quarum alterae ſunt ingenii, alterae voluntatis. Quicquid eſt praeter has, hoc eſt, quaecunque vel ad corpus pertinent, vel a fortuna dependent, extra nos ſunt; neque cuiquam mancipio dantur. Nunc Epictetum Latine explicemns. *Si igitur ea ſola declinas, quae ſunt praeter naturam eorum quae ſunt in te;* hoc eſt, ſi ſolum fugis atque extimeſcis opiniones depravatas, atque indecoras appetitiones (ſunt enim hae utraeque praeter naturam, cum ejus integritatem diſſolvant; ſunt item et ex numero eorum quae in nobis ſunt) *nunquam futurum eſt, ut in illorum aliquod incidas;* propterea quod tibi ſit in eas res imperium

um. *Quod ſi morbum, mortem, vel paupertatem fugis, continuo es infortunatus:* nam haec cum ſub dominatum tuum non cadant, tibi vel invito accidere poſſunt. *Aufer igitur declinationem ab omnibus quae in nobis non ſunt;* hoc eſt, ne magnopere fuge, aut extimeſce haec externa; quoniam ſic eris in perpetuo metu, et tibi ipſi ſtruis iter ad miſeriam, cum illa perpetuo impendeant, atque accidant vel nolentibus nobis: *et transfer eam ad ea quae ſunt adverſaria naturae eorum quae in nobis ſunt,* hoc eſt, turpes appetitiones, et perverſam rerum aeſtimationem devita. Videtis ut hic locus conſentaneus ſit iis, quae a nobis paulo ante ſunt definita. Addite quod honeſtum hoc genus irarum et aegritudinum, quod vobis indulſi, ſemper ſoleat ſolidam quandam animi voluptatem procreare. Quis enim tam ſtupidus invenitur, qui non laetetur conſcientia dignitatis ſuae? Cujus hoc profecto argumentum eſt minime fallax, indigne atque iracunde ferre, ſe labe aliqua turpitudinis deformari, et ſemper metuere, ne nativae nobilitatis florem vitii marcor aliquis corrumpat. Sed video me jam in illud Chryſippi et Stoicorum incidiſſe vitium; qui (ut ſcribit Cicero) de animi perturbationibus diſputantes, magnam partem in iis definiendis ac partiendis ſunt occupati; orationis paulum admodum ad animorum curationem, quae ſola in morali diſputatione quaerenda videtur, accommodantes. Curſum igitur nunc flectamus, et ad tertiam totius tractationis partem aggrediamur; quae tota compeſcendis ac moderandis his, quos jam definivimus atque diſtinximus, animi tumultibus jure erit tribuenda. Ineptum ſane eſt illud medicorum

rum genus, quod coram aegroto flente, lachrymiſque levationem poſcente, ſubtiliter de morbo diſputat, eruditionis venditandae gratia; et in Hippocrate, Galeno, Paullo, Celſo, et Avicenna citandis tempus conſumit, quod fuit in adhibenda medicina terendum. Verum in hac de curandis animis diſciplina prodeſt proprio curſu excuti, atque a ſcopo remotiora quaedam tractare; quod hic, ſecus atque eſt in corporum morbis, quiſque ſibi medicus eſt, noſque ipſi neceſſe eſt ut teneamus artis praecepta, ſi animos probe curatos volumus.

Franc. Non eſt quod te excurſionis cujuſdam poeniteat. Nam ſic ſemper in excutienda perturbationum natura et cauſis es verſatus, ut oratio tua perpetuo Ethologiam reſipuerit: neque mihi unquam vel argumenti, vel perſonae immemor es viſus. Perge itaque ad extremam hanc partem abſolvendam; in qua ſi talem te praeſtiteris, qualis es in ſuperioribus viſus, certe (ne quid amplius dicam) nobis abunde ſatisfeceris.

Cap. VI. *Amoris ad rationis normam directione facile nos reliquos affectus moderari poſſe. Voluntatis pravitatem ex judicii errore originem trahere.*

Flor. Multi ſunt (ut conſtat) vitioſi affectus, quorum quiſque ſuam medicinam expoſcat. Porro de ſingulorum remediis ſeparatim ſcribere, res eſſet operis propemodum infiniti; nec nos provinciae huic idonei ſumus.

mus. Generatim vero ea ipſa de re praecipere, et utiliter ſimul, multo eſt difficillimum. Quis enim uno pharmaco cujuſcunque generis morbis medeatur? Niſi forte ſe hic nobis offerat herba illa Ulyſſi a Mercurio contra omnia Circes veneficia data; quam, ut eſt apud Homerum, *μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ*, aut tale aliquid, quale eſt apud Galenum illud Philonium ad tot uſus accommodum, pharmacum invenire poſſimus.

FRANC. Quia eſt, qui non mallet illo, quo cupit compendio, quam longo itinere, modo periculum abſit, pervenire? Quamobrem oramus, ut ſi tibi ſit communis aliqua ratio, qua omnes animi morbi depelli poſſint, ne iſtam diutius clam nobis habeas.

FLOR. Ne gratis exſpectationem veſtram producam, jamjam vobis compendium citra anxiam diſputationis partitionem, cui etiam nec lux deſit, commonſtrabo. Pleuritis morbus eſt vulgo ſatis notus: in hoc qui coſtarum inflammationem (ut a medicis accepi) morbi cauſam ſuſtulerit, una eademque opera et *δύσπνοιαν*, hoc eſt, reſpirandi difficultatem, et febrem, et tuſſim, agnatos et appendices morbos profligabit. Non ſecus in affectibus (animum huc advertite ſtudioſius) qui unum amorem ad rationis normam direxerit; in reliquis omnibus moderandis paulum admodum, aut nihil prorſus eſt habiturus negotii. Ex amore enim alii omnes, quotquot ſunt, non aliter atque rivuli ex fonte, oriuntur. Deſideramus bonum, ſed quod antea ſit complacitum, hoc eſt, adama-

tum

tum: fugimus et extimeſcimus mala; et iraſcimur iiſdem; propterea quod ſint inimica et contraria bono adamato, aut quia ab ejuſdem adeptione nos prohibeant. Speramus bonum adamatum: moeremus, et in luctu ſumus, abducto aut oblaeſo bono adamato: exultamus vel ſola ſpe potiundi bonum adamatum. In ſumma, inſanimus et uſque fatigamur, non ob aliud, quam bonum adamatum: neque malum ipſum nobis diſpliceret, niſi in natura poſitum eſſet ut placeat bonum. Quiſquis igitur rivos in canales excurrentes purgatos cupit, neceſſe eſt ut a fonte incipiat: et profecto illud hoc in loco non ab re uſurpatur,

Arte leves currus, arte regendus amor.

Franc. Tu ſic Amoris hujus leges et diſciplinam trade, ut cum eo ipſo poëta', quod ille dixit in re infami et vetita, ipſe in laudata dicere queas,

Typhis et Automedon dicar amoris ego.

Flor. Ei, qui non ſuo ſibi ductu et conſilio, ſed aliena ſententia fretus, rem aliquam eſt geſturus, opus eſt eo duce atque conſiliario, qui in eo genere, cujuſcujus modi ſit, ſit ſapiens et fidus: quoque caecior eſt qui ducitur, hoc oculatiorem oportet eſſe ducem. Nunc cum voluntas per ſe bruta ſit, omniſque cognitionis expers, ejus directio atque ductus neceſſario pendet a ratione: atque ut appetitus animalis eſt duntaxat animantis propenſio ad res ſenſibus arridentes; ita

ita voluntas hominis eſt propenſio ad id, quod rationi placet. Quapropter, ſi volumus, ut ad nihil voluntas feratur, hoc eſt, ut nihil ametur, niſi quod re vera bonum eſt; gnaviter ad hoc eſt incumbendum, ut nihil probetur a ratione pro bono, niſi quod re vera bonum eſt; et ut nulla interveniat caligo, aut infirmitas aciei, quae efficiat; ut id quod malum eſt, bonum videatur. Ex rationis enim incolumitate tota prope ſalus actionum humanarum exiſtit: neque hic incommode illud Virgilii dici poteſt,

——— Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo rupere fidem. ———

Nam menti et rationi totius animi regnum a natura tributum eſt: ideo qui exiſſe e poteſtate dicuntur, idcirco dicuntur, quia mentis judicio atque ſapientia non regantur. Quod ſi ratio in dijudicando non aberraverit, nunquam (ut Ariſtoteli et Peripateticorum doctiſſimis placere video) a voluntate peccabitur, nunquam ſe voluntas ad rem turpem applicabit. Atque ut, cum ſanguis eſt corruptus, aut pituita redundat, aut bilis nondum eſt extracta, morbi aegrotationeſque in corpore naſcuntur; ſic opinionum pravitas atque repugnantia eſt, quae animum ſpoliat ſanitate. Opinionum ergo vel prima debet eſſe cura.

Franc. Dixiſſe mihi viſus es voluntatem nunquam diſcrepare a ſententia rationis. Quid ego hic audio? Quomodo tunc voluntas libera dici poteſt, et ſui juris, ſi ea ſolum imprimat veſtigia, que ſunt a ratione praeſcripta; ſi ſe non poſ-

ſit,

ſit, etiam contra rationis judicium, tam ad malum quam ad bonum applicare? Nullum hoc pacto apparet eſſe voluntatis regnum; imo ſervitus et neceſſitatis cujuſdam anguſtia in illius rationibus verſatur. Illane tibi contra quam ſentiret velle videtur, cui dictum eſt,

———————*aliudque Cupido,*
Mens aliud ſuadet: video meliora, proboque:
Deteriora ſequor.

Deinde, qui potuit exiſtere in coeleſtibus illis animis, quos Angelos vocamus, illud execrabilis ſuperbiae vitium; ſi peccatum omne ab ignoratione, vel a depravata opinione proficiſcitur? Quomodo potuit coeleſtis illius ingenii ſplendor ad eam mentis perduci obſcuritatem, ut ſperare poſſet rem cum tota natura manifeſte pugnantem, hoc eſt, parem cum immenſa illa divinitatis infinitate dignitatem? Unde tam ſuperba rivalitas? Quomodo cecidiſti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris? Certe non, ut apparet, ignoratione id factum eſt. Et ſi tu tibi conſtare vis, neceſſe eſt hoc fateare; qui ſupra ex Ariſtotele tuo docueris, in intellectum illum, qui a corpore ſit ſegregatus, nullum cadere erroris genus. Poſtremò, ut a doctis accepimus, ſcelerum alia ſunt quae in ignorationem, alia quae in perturbationem, alia quae in malitiam, conferantur. Quae ſane diſtinctio locum, ut videtur, non haberet, ſi in omni peccato interveniret ignoratio. Neque ergo omnis voluntatis error eſt ex ratione; neque voluntas ſic rationi eſt obſtricta, ut non poſſit ali-

orſum ab ea deflectere. Haec tibi ante explicanda ſunt, quam ad illud quo intendis proficiſcare.

Flor. Vos, molibus quibuſdam in via, quas neceſſe ſit ſuperare, diſpoſitis, properationem meam impeditis. Sed quia ad fidem meam pertinet boni iſtam veſtram induſtriam conſulere; locum hunc ignorationis, quo vix alius in morali philoſophia vel uberius vel acutius tractari poſtulat, curſim attingam. Prius tamen ſententiae noſtrae rationem afferam: mox ad ea quae objecta ſunt breviter reſpondebo. Sed et hic fundamenta quaedam jacienda ſunt; quorum hoc ſit caput: Neminem quicquam appetere poſſe, a quo non vel vere, vel opinionis errore perfici poſſe videatur. A natura enim nobis tributum eſt, illud quaerere quod conveniat et incolumitatem tueatur; et fugere id quod corruptionem aut interitum afferat. Hoc naturae ingenium non citius, quam naturam ipſam exueris. Nunc, cum a malo nihil perfici poſſit (niſi forte tam plumbei aut ſtipites ſumus, ut credamus, nos ab ipſo frigore caleſcere, aut nigreſcere ab albore) malum cur appetatur, nihil quicquam in ſe claudit; quin potius tanta ejus eſt indignitas, ut procul ab ſe appetentiam omnem abſterreat. Hoc Plato in Phaedro, ex Socratis ſententia prolixe demonſtrat; qui vocis ἔτυμον curioſe exquirens, καλὸν, id eſt, *bonum*, vel *pulchrum*, a καλέω, quod *voco* vel κηλέω, quod *mulceo* ſignificat, dictum putat. Unde eſt proverbium, κόρος ὐδεὶς τῶν καλῶν· magna enim bono, magna item et pulchro, et in pelliciendo et in deliniendo, incantationis vis ineſt; imo

imo incredibilis, niſi nos uſus doceret, in quae ſe dent pericula, qui vehementius aliquid amant, vel oderunt. Idcirco apud philoſophos ἐφετὸν καὶ ἀγαθὸν, hoc eſt, *expetendum* et *bonum* aequabiliter diffunduntur, et mutuam atque reciprocam quandam obtinent converſionem: ſic, ut quicquam bonum et pulchrum eſt, idem continuo expetendum ſit; et contra. Epictetus cum vellet commonſtrare, in rerum natura non ineſſe malum, ſed ſolum in noſtris perverſis voluntatibus, hac uſus eſt ſimilitudine, ὥσπερ σκοπὸς οὐ τίθεται πρὸς τὸ ἀποτυχεῖν; οὕτως οὐδὲ κακοῦ φύσις ἐν κόσμῳ γίνεται· hoc eſt, *Quemadmodum ſcopus non figitur, ut ab eo deficiatur; ita nec mali natura in mundo eſt.* Quicquid enim fit in rerum orbe, fit in uſum aliquem; adeoque ad illud tanquam ad ſcopum aliquem aliquo modo collineandum eſt. Et cum res ſe ad hunc modum habeat, perridicula eſt illorum doctrina, qui hic ingenio et literis abutuntur; dum captioſius, quam verius oſtendere conantur, voluntatem etiam ad malitiae amplexus ſe extendere poſſe. Quiſnam illud appetit, quod non aliquo modo judicet appetendum? Si appetendum videtur, certe continuo idem et bonum (quemadmodum ex ſuperioribus liquet) apparet.

Demet. Quid ergo eligunt illi, qui peccare eligunt; qui furta, qui fraudes, qui interdictas libidines moliuntur, qui impietates meditantur? Haec ſi mala non ſunt, quid quaeſo malum eſt? Non deeſſe autem qui ejuſmodi implicati ſunt cupiditatibus, quis ignorat?

FLOR. Haec objectio et Franciſco, verbis paulum mutatis, eſt commemorata: quamobrem commune erit reſponſum. Nemo adhuc poſt homines natos, neque impos, neque compos animi conſpectus eſt, qui gratis omnino peccaverit; hoc eſt, qui nullo adductus emolumento, aut nulla evocatus ſuavitate, animum atque conſilia ab honeſtarum rerum curſu, ad improbitatem et ſcelera traduxerit. Non enim avarus quaerit fraudem, quae eſt in turpi quaeſtu; ſed aurum aut facultates, quod ex illis adeptis copiam ſibi quandam, atque quietem, licet falſo, polliceatur. Nec adulter, aut ſcortator, turpitudinem quae eſt in ſtupris et libidinibus, ſed ſenſuum voluptates requirit; quas licere vellet, atque improbitate, ſi fieri poſſet, vacare. Itaque, quicunque ſe ad improbitates applicant, hoc faciunt propter utilitates aut ſuavitates quaſdam; res ſane per ſe bonas, ſed quibus ſit aliqua turpitudo adjuncta. Cernere eſt, fateor, quoſdam, qui gaudeant inferendis injuriis, etiam gratis: ſed inde voluptatem capiunt, dum depravatione quadam naturae fit inferenti opinio excellentiae cujuſdam, dum videt ſe alium impune conculcare: cum tamen ad veram magnitudinem non obeſſe alii, ſed prodeſſe pertineat. Neque hoc eſt ex ratione libertatis, ut poſſit voluntas in bonitatem et malitiam juxta ferri: ſed quod infinita bonorum varietate propoſita, ad id quod lubet ſe accommodat, nulli uni rei (ut nobis ante eſt explicatum) addicta. Rem exemplo declarari ſi requiritis; videte, ut guſtus praeter ſaporem nihil agnoſcit:

variae

variae tamen ſunt ſaporis ſpecies, quarum diſcretio ad guſtum pertinet; cujuſmodi ſunt dulce, amarum, acerbum, ſalſum, auſterum, acre, acidum, unctuoſum. Par ratio eſt in viſu, qui non niſi lucem aut colores cernit: at colorum variae ſunt formae: verum id quod nec lucidum eſt, nec coloratum, ut videatur eſt ineptum. Solum ergo quod vel vere bonum eſt, vel boni ſpecie veſtitum, nos permovet.

Demet. Cur ergo voluntas prava dicitur, ſi ſemper bonum appetit? Non enim malum eſt appetere bonum; cum in natura poſitum ſit, ut bonum appetatur, et ut voluntas id quod bonum eſt appetat.

Flor. Voluntas dum peccat in actionibus, fertur in rem malam; ſed non quatenus mala eſt. Malum enim in moribus plurimum nihil aliud eſt, niſi claudicatio quaedam in actione; quae ſi eſſet directa, ad officium pertineret. Haec autem claudicatio, hoc eſt, defectus ejus ordinis, qui fuit adhibendus, tanti eſt momenti, ut actio ipſa, quae in ſe alioqui bona eſt, nunc mala cenſeatur. Certe et honores, et facultates, et conjunctiones naturales expetere, contingit citra vitium: ſed cum praetermittitur ordo, quem honeſtatis leges inſtituerunt, turpitudinem et clauditates accipiunt actiones. Expetit ergo voluntas, etiam dum delinquit, res quae bonitatis aliquid habent; quae tamen, propter adjunctas foeditates, malae ſunt et reſpuendae. Quod vero voluntas in ea re non omnino diſcrepet a judicio rationis, nec prius in voluntatem, quam in rationem caedat error, vel

inde agnoſcere potes, quod nihil amplectimur, niſi quod aliquo modo placet; quicquid autem placet, boni rationem quandam accipit: neque quicquam uſquam expetimus, quod non prius, ut jam dixi, expetendum videatur. Sed operae pretium eſt hic conſiderare, errorem judicii, qui inter peccandum intervenit, non eſſe uniuſmodi. Alia enim eſt ignoratio, quae vulgo juris dicitur: cum quis inſcius eſt, et rudis praeceptorum, quae neceſſaria ſunt ad vitam honeſte degendam: ut ſi quis neſcit ſcortationem in turpibus eſſe. Et haec bimembris eſt: nam interdum adeſt quaedam pervicacia animi, contemnentis inquirere quid ad officium pertineat. Hoc ignorationis genus, quod affectatum aut ſponte arceſſitum dicitur, haud dubie criminis rationem exauget. Interdum ignoratio a deſidia quadam animi, ab eo labore qui eſt in veri inquiſitione abhorrentis, proficiſcitur. Atqui haec ſupina ignorationis forma non prorſus culpam tollit; cum honeſtarum rerum ſcientia in primis ſit accuranda: tamen aliquid de pondere crimini adimit, et paulum veniae maleficio impetrat. Alia eſt ignoratio, quae quidem non ſit juris, ſed facti; quae quidem in optimum et ſapientiſſimum quemque cadere poteſt: cum nulla hominum diligentia ſit tanta, ut eventum praeſtare queat, aut omnium meminiſſe. Haec erat ignorantia Æmylii (ut eſt apud Plutarchum) adoleſcentis; qui deliteſcentem inter vepres uxorem, cervum ſuſpicatus eſſe, ſagitta confixit. Hac ignoratione tenetur, qui oblitus diem eſſe eum, qui Veneris dicitur, avem eſitat inter nos Chriſtianos. Quod ab hac ignoratione manat factum, nun-

nunquam cuiquam ponitur in fraude capitali; eo quod invitus feciſſe exiſtimaris, quicquid non feciſſes, ſi affuiſſet rei gerendae cognitio; qua tamen nulla tua ſupinitate aut culpa caruiſti. Argumentum autem locuples, eas actiones non eſſe voluntarias, hoc eſt; quod ſimul atque conſtat de errore, in poenitentias incidimus. Siquidem Æmylius ille, ipſe ſibi prae moerore, ubi, quid accidiſſet reſcivit, manus intulit. Caeterum, qui perturbationibus impulſi delinquunt, praediti eſſe poſſunt omni et juris et facti agnitione. Conſilia item iiſdem recta, et deliberationes honeſtae ſunt: ſed cum ventum eſt ad uſum, labaſcunt; propterea quod ſuperveniens perturbatio judicium corrumpat. *Ejiciunda hercle haec mollities animi, nimis me indulgeo: Tandem ego non illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum?* ait Phaedria apud Terentium. *Egone illam? quae illum? quae me? quae non? ſine modo: mori me malim: ſentiet qui vir ſiem.* Sed *haec verba una falſa reſtinxit lacrymula:* totuſque tremit atque horret, ubi aſpexit hanc, moſqne continuo gerundus fuit Thaidi. Sic et Medea, cujus verba recitaſti.

Dixit, et ante oculos rectum, pietaſque, pudorque
Conſtiterant, et victa dabat jam terga Cupido,
Et jam fractus erat pulſuſque reſederat ardor,
Cum videt Æſonidem, extinctaque flamma reluxit.

Hoc genus errantem Ariſtoteles ἀκρατῆ, hoc eſt, *impotentem*, vocat; quod nequeat affectibus imperare. Sed ubi, dices, intervenit error? Habet hic multiplices atque involutos, imo et contrari-

os ſyllogiſmos; *atque animum* (ut poëtae verbis utar) *nunc huc celerem, nunc dividit illuc.* Scit fugiendum eſſe ſtuprum; eoque et illud, quod in praeſenti offertur, cum ad ſtuprum pertineat, omnino devitandum eſſe. Sed hic occurrit protinus alia quaedam ratiocinatio adverſaria; dum ſtatuitur, quaecunque ſuavia ſunt, convenire naturae; adeoque et praeſentem ſtupri voluptatem amplectendam. Hic affectus, qui interea in homine dominatur, efficiet, ut illo ſyllogiſmo de fugiendis turpibus omiſſo, aſſumptio ad eam propoſitionem pertineat, quae ſtatuit ſuavia convenire; dum ſtatim colligitur, hoc ſtuprum in ſuavibus eſſe, adeoque perſequendum. Quae ſyllogiſmi complexio eſt poſtrema, a qua ſtatim ad facinus proſilitur.

FRANC. Hic, ut apparet, in eodem animo inſunt contrariae et pugnantes aſſentiones: quod tamen non poſſe uſu venire ratio ipſa docet. Nemo enim eundem hominem et ſanum et aegrotum una eſſe fatebitur; aut eandem aquam calidam et frigidam. Hic tamen impotens hoc facinus turpe eſſe ſtatuit; quia ſtuprum ſit, eoque fugiendum: et bonum eſſe ſtatuet idem, adeoque perſequendum, quod ſit voluptarium.

FLOR. Vera contradictio et pugnantia eſſet, ſi in eodem temporis puncto animus apud ſe ſtatueret, eandem rem aut actionem, nihil immutatam, et bonam et malam eſſe. Verum hoc nuſquam accidit. Nam dum is fluctuat, et imagines celeriter mentem percutiunt, nunc in hanc, nunc in illam partem, inclinat victoria: itaque, non niſi

niſi poſt. intervallum aliquod contingit contraria ſtatuere. Sed quia celerrimus eſt cogitationum ultro citroque diſcurſus, haec temporis intercapedo non apparet. Atque Ariſtoteles confitentes ſe improbe facere, et res pravas ſectari, eo ipſo momento, quo prave eligunt, deliros eſſe cenſet; et eorum inſtar facere *οἱ ἐν τοῖς πάθεσι ὄντες ἀποδείξεις, καὶ ἔπη λέγουσι ἐμπεδοκλέους;* qui (ut Latine reddam ejus verba) *inſania laborantes, demonſtrationes, et verſus repetunt Empedoclis.* Ergo, illo auctore, non ſerio et ex animo ſentiunt ad malas ſe res applicare; ſed contra ſtatuunt pro eo tempore bona et expetenda eſſe quae expetunt: quod cum ſecus ſit, manifeſtum eſt mentis intervenire errorem. Hi eidem non plane improbi ſunt, quod, etſi patiuntur humanum quiddam tantiſper dum affectus remittant; facile tamen, ubi fractus erit perturbationis impetus, ad ſe redeant, et lapſiones ſuas deteſtentur; et generalia honeſtatis praecepta cum fide aliqua atque obſervantia colant. Malitioſe vero peccare cenſentur aliqui; non quod per ſe malitia placeat (oſtenſum eſt enim rerum naturam hoc non pati) ſed quia apud ſe, nullo in praeſentia perturbationis exortu perpulſi, conſtituerunt perſequi res, quas malas eſſe, aut legibus vetitas norunt. Verum horum mihi videtur biformis eſſe ratio. Deteriores ſunt illi, quibus certum eſt, per omnem vitam, quo jure, qua injuria, quod ipſis videbitur utile procurare. Nihil hi, vel perpaulum, virtutis aut religionis auctoritatem reverentur, dummodo id clam aliis fore, et ſe impune ablaturos ſperent. Apparent hi perditiſſime, hoc eſt, circa

ipſa ſalutis principia errare. Nam plurimum Deo non eſſe res mortalium curae, animos totos interire, et virtutem denique nomen eſſe inane credunt: et his freti tenebris, in animum induxerunt, perinde eſſe utut vivas, dummodo legum humanarum multas effugere poſſis. Longe minus mali ſunt alteri, qui habitu et depravata conſuetudine tracti, vitae hujus jucunditates, etiam cum injuria conjunctas, aſſidue conſectantur: vacant tamen illis peſtiferis erroribus, et a maximis ſceleribus temperant; nec omnem honeſtatis ſpeciem aut rationem abjecerunt: imo interdum ingemiſcunt, ſe non poſſe ex illa diſſolutae vitae ratione, et vitiorum coeno emergere. Hi proximi ſunt ab illis, qui impotentes vocantur; et Ariſtoteli ſunt (ut opinor) ἀκολάςοι hoc eſt, *intemperantes.* Hos habet hic error pene perpetuus, quod plus tribuendum voluptatibus aut utilitatibus cenſent, quam honeſto: et ſunt multo difficiliores curatu quam impotentes; tum propter judicium perverſius, tum propter habitus neceſſitatem quandam. Siquidem in his pravitas eſt velut παθητικὴ ποιότης, hoc eſt, *durabilis affectio* aut *qualitas;* quae in impotentibus πάθυς, hoc eſt, effluentis et minime diuturnae commotionis habet rationem. Videtur mihi Juvenalis, poëta ſane elegans et ſententioſus, utrumque hoc proximum genus hiſce verſibus complexus:

Sunt qui in fortunae jam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.

Eſt

Eſt alius metuens ne crimen poena ſequatur:
Hic putat eſſe Deos, et pejerat, atque ita ſecum:
Decernat quodcunque volet de corpore noſtro
Iſis, et irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel caecus teneam quos abnego nummos.
Ut ſit magna, tamen certe lenta ira deorum eſt.
Sic animum dirae trepidum formidine culpae.
Confirmat. ———

Jam ex his, quae nobis dicta ſunt, liquere arbitror, periculoſiorem eſſe inſcientiam ejus qui malitioſus eſt, quam ejus qui vel per impotentiam, vel etiam per ignorationem labitur. Itaque vel nullum, vel leve eſt eorum crimen, qui per ignorantiam non arceſſitam, aut eam quae facti eſt, delinquunt. Perturbatis item ignoſcitur facile. Sed malitia illa, quae plurimum contemptum adjunctum habet, ſeveriter et graviſſime eſt vindicanda. Et ſane hic contemptus videtur eſſe illud quod malitioſum ab impotente diſſeparet; etſi a malitia abſit etiam ſubito nata illa perturbationis furia. Hanc ignorantiae diſtinctionem facile ego praeteriſſem, niſi vos mihi principes atque auctores fuiſſetis hujuſmodi ſermonis ordiendi.

FRANC. Poſtquam paſſim intervenit judicii error, cur non, ut his qui impotenter labuntur in errore eſt aliquid praeſidii, itidem et illis ſit, quos malitia occaecat?

FLOR. Non poteſt, ut ſaepe jam diximus, induſtria noſtra praeſtare ne cooriantur perturbationes, nec ubi coortae fuerint, de repente cohibere.

bere. Itaque cum ante natum motum deliberatio eſſet honeſta, et eo abeunte ad honeſtum facile redeatur, ab illa rationis caligine aliquid eſt auxilii lapſo. Verum ſecus ſe res habet in eo, qui meditatus et cogitato turpis fit. Abeſt ab hoc perturbatio, et ad rem ſceleratam non protrudi ut ille, ſed ire ſua ſponte quodammodo videtur.

FRANC. Perturbatio omnis quaſi ebrietas quaedam apparet rationis. Hinc (ut opinor) admonemur, de ſicca ebrietate cavenda. Verum ſi ebrietas ad punctum temporis durans maleficio nonnihil patrocinatur, videtur illud ipſum majore de cauſa convenire debere ebrietati quae ſit perpetua. Jam is qui malitia fretus delinquit, videtur perpetuo et aſſidue perturbari nimio amore ſui, et quadam temperaturae perverſitate. Praeterea adeſt illi et habitus, qui novae perturbationis vice eſſe poſſit.

FLOR. Et immodicus ſui amor, et temperationis pravitas etiam in illo impotente ineſt. Sed fortaſſe inſtabis, ut inaequabiliter ſtatuantur eſſe participes pravae temperationis. Ad haec dico, condonari nonnihil poſſe pravitati naturae: miſeretur enim et noſtri Deus, non ignarus cujuſmodi figmentum ſumus. Sed quia temperatura non adeo nobis moleſta eſt, ut, perturbationum vehementium more, tollat pene mentis uſum (vides ingenioſiſſimos eſſe malitioſos, atque acutiſſima mente uti in ſtudiis ſuis) et ſemper reſideant in animo generales quaedam ſententiae de honeſto, unde eliciendi veri copia ſit prolixa; non poteſt

hic

hic interveniens ignoratio ſceleri ſuffragari. Quod de habitu vitioſo additum eſt, ſatis ex ſuperioribus conſtat, quonam ſit pacto diſſolvendum. Hic ego non nego, ab una pietate Chriſtiana corruptae naturae purgationem exſpectandam: tantum id obiter attingo, quod contra deſidiam noſtram afferri poſſit, dum naturam noſtram potius quam voluntatem aut rationem gravius, quam par ſit, accuſamus. Sed jam veniendum eſt ad malum illud Angelorum facinus; cujus ut modum et rationem explicent, mirifice ſe torquent Theologi noſtri, qui Peripateticam philoſophiam cum religione copulare conantur. Turbidum aliquem aut craſſum errorem illis non largiuntur, ſed tantum inconſiderantiam quandam; qua effectum eſt, non ut omnino Deo pares eſſe concupierint (nam hoc erat nimium abſurde ſentire) ſed ut conjecti ſint in quandam mentis elationem ſua ipſorum ſpecie ac dignitate expendenda, abſque hoc, quod quam primum Deo auctori quod acceptum eſt ſit relatum. Hiſce de rebus ſi curioſius ſcire vultis, adite Theologos ipſos. In hujuſmodi enim altiſſimis atque difficillimis quaeſtionibus, cujuſmodi ſunt et illae de ineffabili Triade, de aeterna immutabilitate divinorum conſiliorum circa ſalutem hominum, quam praedeſtinationem populariter vocant, de modo quo humana natura ſit in CHRISTO divinitati conjuncta, qua ratione animi corporum expertes torqueantur ab ignibus, aliiſque hujus generis compluribus, libenter me cum Paulo abdo in illam ignorationis confeſſionem; et exclamo, *O altitudinem divitiarum ſapientiae et ſcientiae Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, et viae nulli*

per-

perveſtigabiles! Hoc nobis ſatis ſit in preſentia; illud ſolius ejus rei, quae ipſa norma eſt, (nec erubeſco bis dicere, quod nunquam ſatis dici poteſt) id eſſe proprium, ut a recto nuſquam deflectat. Norma enim ſi enormis ſit, jam non amplius norma eſt. At Deus ipſe norma eſt; caetera autem omnia, cum ex iis nihil ſit ipſa norma, neque ejuſmodi ſunt, neque ejuſmodi eſſe aut fingi poſſunt, ut non ſuapte natura ſint labentia et caduca. Eatenus ergo integra conſiſtunt, et recta permanent caetera omnia, quatenus ab ipſo Deo, nunquam ſine religioſiſſimo tremore nominando rerum principe, et conſervantur et diriguntur. Sed quomodocunque habeant mentium illarum ſeparatarum res, nos homines re ipſa experimur noſtri fundi calamitatem eſſe ex ea pugna, quae eſt inter τὸ λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον, hoc eſt, inter *intelligentem et brutam* noſtri partem; ut nobis amplius dubium eſſe non poſſit, voluntatis pravitatem ex ratione per corpus infecta manare: cum nihil quicquam unquam appetamus, quod non aliquo pacto expetendum, adeoque et bonum judicetur. Videte quaeſo, quantum ſoleamus obtendere velorum; quantum praetexere excuſationum; quoties ipſi nobis indulgere volumus; et ſi ſuperis placet, uno eodemque tempore et turpes et honeſti eſſe. Neque ego hic de perditiſſimis illis ingeniis loquor, quibus pro ludo eſt et ſuperos contemnere: ſed de iis, a quibus multum, ut apparet, tribuitur honeſto. Sic enim noſtra ratio eſt. " Quod me nunc ad ſe vocat, " res eſt commoda et ſuavis: plerique hanc accu- " rate quaerunt, nec adipiſcuntur: imo princi-

" pes

pes viri et magiſtratus, tam ſacri quam profa-
„ ni, magno ad hanc ambitu contendunt. Tur-
„ pitudo ſi qua in ea ineſt, non ita magna eſt.
„ Superi ſunt faciles, et ignoſcunt libenter: aetas
„ et occaſio praeceps ut ita faciam ſuadent: ne-
„ que ego ſolus in crimine ero; quis non ita fa-
„ ctitat? In tot laboribus neceſſe eſt ut perſen-
„ tiſcam aliquod praeſens praemium: arduum ni-
„ mis eſt, ad ſola futurae vitae ſolatia intende-
„ re: deſinam aliquando, et quod contractum
„ eſt culpae reſipiſcentia diluam, et damnum da-
„ tum multis rationibus quae in promptu ſunt
„ compenſabo. Aliquid facultatum in monachos
„ aut egenos erogabo: extruam aram alicui divo:
„ redimam nummis fidem, hoc eſt diploma Pon-
„ tificis; unde mihi integrum erit eligere ſacer-
„ dotem, a quo non ſolum ſceleris, ſed etiam
„ poenae commeritae (ubi conſilium mutare, et
„ ad poenitentiam confugere viſum fuerit) con-
„ donationem ſpero. His ego rationibus aevum
„ molliter exigam, et paucarum horarum cura
„ ad extremam vitam (quod fatui iſti, et ſtipites,
„ et ad fallendam Nemeſin parum ingenioſi, con-
„ ſequi nequeunt) perficiam, ut ex deliciis ad
„ delicias transferar." En ut vetulum et putidum ſcortum, hoc eſt, actionem turpem, tot oblinimus fucis, tot aſcititiis ornamentis, ipſi nobis (quod indigniſſimum eſt) imponentes, conveſtimus; ut facile pro ſpecioſa virgine, quae in primo ſit aetatis flore probet. Quocirca, quoties eſt deliberandum, omni (quod aiunt) pede ſtandum eſt; et ad hoc omni contentione incumbendum, ut ne aliquis in judicio ſit error; et ut non ſolum

ubi

Digitized by Google

ubi plus eſt mali quam boni, ſed etiam ubi quicquam omnino mali, hoc eſt, turpitudinis eſt, id totum abjudicemus atque rejiciamus. Nam ſic nihil jucundum aut formoſum apparebit, quod re ipſa tale non ſit. Hucuſque ſi ſemel ſcandere poterimus, rem omnem ex ſententia conficiemus. Semper amor rectus et honeſtus erit: qua una ex re, ut ſupra conſtituimus, aliorum affectuum omnium et bonitas et pax dependent.

Cap. VII. *De imperio intellectus in voluntatem, virtutiſque praeſtantia ſemper ante oculos habenda.*

Franc. Non tam ſaepe te properantem retardarem, niſi (ut mihi apparet) haec diſputationis pars ad ipſam officiorum ſtirpem pertineret. Quocirca ut res penitus ſit excuſſa, mihi libet aliquot, quae ſupereſſe videntur, difficultates afferre.

Flor. Nihil jucundius eſt animo bene conſtituto earum rerum indagatione, quae ad bene beateque vivendnm pertinent: neque ulla diſputatio poterit eſſe nimium prolixa, unde perpetua quaedam utilitas effluit. Quamobrem dic quaeſo, quis hic te ſcrupus habeat?

Franc. Quamvis ratio exacte teneat quae ſint vera bona, neque quicquam in judicando labatur aut vacillet; non tamen propterea conſequens erit, voluntatem ad illud bonum ſe neceſſario applicare. Conceſſi quidem tibi propter ſupe-

ſuperioris diſputationis vim, voluntatem neque malitiam propter ſe amplecti, neque in eandem cadere lapſionem aliquam, niſi falſum aliquod rationis judicium praecedat: attamen adhuc, ut nullus ſit error in deliberatione, poteſt voluntas procurſum ſuum ſuſpendere atque refrenare: alioqui appareret illam naturaliter, non libere in rem ferri. Jam iſthuc illa ſi poterit, etiam judicii integritas non tanti eſſe apparet, quanti tu eam videri poſtulas. Deinde item et illud tibi veniat in mentem, quod ſuperioribus proximis diebus, dum ſuper menſa quaereretur unde eſſet tanta judiciorum varietas, non ſolum in conſtituendo ſummo bono, ſed etiam in ſingulis pene rebus, quae ad vitae uſus aſſumuntur (alios enim alia delectant) productus eſt a te Ariſtoteles, ſtatuens talem unicuique finem videri, qualis ipſe jam dudum evaſiſſet. Allatum eſt et exemplum de ſanis, quos non niſi ſalubria delectant, cum interim infirmis etiam noxia placeant: eoque fieri dixiſti, ut ſtudioſi propter habitum virtutum jam partum recte dijudicent; et improbi contra, ſcelerata conſuetudine infecti, in rerum delectu hallucinentur. Haec ſi vera ſunt, apparet, non voluntatis rectionem et incolumitatem a ratione, ſed contra, rationis rectionem et incolumitatem a voluntate, aut eo, qui in ea ineſt, habitu pendere. Poſtremo, fac abeſſe omnem et habitum et perturbationem; ſi deliberationes honeſtae ex judicii integritate exiſtunt, et haec ipſa rurſus aut a doctrina, aut ab ingenii nativa quadam felicitate proficiſcatur, et ingenium denique ſit a natura; veriſimile eſt, non noſtra opera ſed naturae beneficio, et acer-

bitate, quae mentis acumen huic negat, illi largitur, nos tum probos, tum improbos fieri. Atque ita voluntatum cauſae erunt naturales, et nihil erit in noſtra poteſtate. Etenim, ut cui a natura contigit oculorum vigor eximius, is multo rectius de coloribus aut rebus longe poſitis pronunciat, quam qui luſcus eſt, aut lippientibus oculis; ſic ingenii praeſtantia, vel hebetudo efficiet, ut recte vel ſecus de expetendis fugiendisque ſtatuamus.

Flor. Tu ingenii ſimilitudine in eadem cum doctiſſimis hominibus veſtigia incurris; atque eum in praeſentia oſtendis diſputationis campum, in quo, ſi pro rei merito decurrere ſiti eſſemus, extrahendus in multos dies eſſet ſermo, qui nos non ſine voluptate quadam a propoſito retardaret. Sed eundum eſt ad explicationem earum quas propoſuiſti difficultatum, quam fieri poſſit breviſſimam. Et, ſicut a te ordine quodam oppugnata eſt noſtra ſententia, ita oppugnationes ipſae ordine propulſabuntur. Primo loco objeciſti, non tantum poſſe eſſe momenti ab ipſo mentis judicio; ex eo, quod, quamvis voluntatis ſtudium ab eo non diſcrepet, non tamen propterea voluntas id ſequatur quod a ratione eſt comprobatum, cum poſſit ipſa ſe abſtinere a cujuſvis rei appetitione. Sane voluntas, etſi (quod in perturbatis cernere eſt) ſaepiſſime a cognitione ea generali, quae perpetuo in animo reſidet, ſe ſegreget; nunquam tamen vel unguem, quod aiunt, latum ab eo, quod in praeſentia et particulatim fit, judicio diſcedit: neque tamen neceſſitatis ejus, quae coactio dicitur,

tur, hic pars aliqua admiſcetur in electione: ex eo, quod etiamſi ſummum bonum aperte proponatur, voluntas ad illud rapietur cum jucundiſſimo quodam, tanquam ad rem maxime congruentem, motu. Violentia enim tum intelligitur, cum adeſt reluctatio, propter naturarum diſcordiam atque pugnantiam. Et hoc eſt, quod poëtae ſcriptum eſt,

Te Corydon, ô Alexi, trahit ſua quemque voluptas.

Sed eſt hic motus alacrior, aut remiſſior, pro opinione ea, quae eſt de rei oſtenſae praeſtantia, atque convenientia. In aliis autem a ſummo bono rebus, voluntas ſumma cum facilitate ſe a quovis ad quoduis traducit; niſi aliqua res talis ſit, ut ſine ea ſummum bonum conſiſtere aut parari nequeat: tum enim et forma quaedam neceſſitatis ineſt in ejus rei appetentia: ut, ſi cui certum ſit in Britanniam ire, poſtquam intelligit inſulam eſſe, conſequens omnino eſt, nt navigare inſtituat. Sane quemadmodum in diſciplinis naturalibus, ut principiis, quae ἀξιώματα vocantur, neceſſario aſſentimur; itidem facimus et complexionibus ordine inde ductis. Et, ut exempla tibi nota afferam, Franciſce, qui ante paucos dies, non ſine voluptate quadam, Aſtrologiae et deſcriptionis orbis rudimenta noſtra opera adjutus didiciſti: qui dedit, omnes ejuſdem circuli quadrantes eſſe aequales, et reliqua permanere aequalia, ſi ab aequalibus partes aequales adimantur; cogitur quodammodo fateri, ſpatium, quod eſt inter verticem coeli erectum et finitoris ambitum, par eſſe illi,

 quod

inter aequatorem circulum et coeli punctum quod, quod noſtri capitis vertici reſpondet. Item qui novit, lineam quae recta ſit, in alteram incidentem, duos conficere angulos qui recti ſint, vel duobus rectis aequales; atque externum angulum paris eſſe ſpatii cum duobus incluſis, qui ſunt oppoſiti; continuo dabit, omni triangulae figurae neceſſario eſſe tres angulos, qui pares ſint duobus rectis. Jam, *cum eum locum in moribus et vita obtineat* (ut Ariſtoteles docet) *finis, quem principia in ſpeculatricibus diſciplinis*, hoc eſt, eis quae ſolam conſectantur veritatis contemplationem; quiſquis neceſſario fertur in aliquem finem, non poteſt non ea appetere, ſine quorum ductu finem ſe adipiſci poſſe non videt. Verum quemadmodum multae ſunt concluſiones, quarum fluxio ex principiis habet obſcuritatem et ambages; ita plurimae ſunt res, quarum ductus eſt incertus, et ſine quibus felicitas acquiri poſſe videtur. Ideo fluctuatio appetitionum noſtrarum modum non habet; ſed ſemper pro re nata ab aliis ad alias res affectum traducimus. Et quamvis nullam rem voluntas neceſſario appetat (nam poteſt ab omni appetitione quieſcere) dum tamen vigilat, et munere ſuo fungitur, nihil appetet, quod non ſit quodammodo a ratione comprobatum: neque multis rebus propoſitis, alia deſerta, ad alius amorem ſe transfert, niſi prius ſit quaedam translationis ratio in re explorata per ingenium. Haec igitur translationis infinitas, circa ullam violentiam aut coactionem, ſatis eſt ad tuendam voluptatis libertatem. Nec ego nunc theologico more de arbitrii libertate diſputo, et an homo ſuis viribus poſſit divinis legibus ſatisfacere, aut a ſcelera

lerata vitae ratione ad piam et ſalutarem ſe convertere. Haec non ſunt hujus loci: nam hactenus me intra quoſdam philoſophiae cancellos concluſum eſſe volui, quos ſine veniae praefatione non egrediar. Nunc adeo ad alteram illam acutam ſane, et moralis ſcientiae propriam objectionem. Tanta eſt rationis et voluntatis in officio tum conſervando tum violando conſpiratio, atque *altera alterius ſic* (ut Horatii verbis utar) *poſcit opem res et conjurat amice;* ut vix rationis ſine voluntate, et nunquam voluntatis ſine ratione conſtare poſſit integritas. Sed quoniam voluntatis munus eſt conſequi, rationis anteire in rerum delectu; natura ita comparatum eſt, ut origo directionis atque ſalutis ſit ex ratione. Quapropter, ut demus voluntatis jam praviter affectae vitium (quod haud dubie fit) derivari atque redundare in rationem; fuit tamen aliquando tempus, cum nondum generati eſſent illi habitus, nec libertas quicquam imminuta eſſet, aut virium puritas exotico aliquo habitu vitiata. Etenim ipſa anima cum viribus ſuis, Ariſtotele auctore, de principio eſt tanquam tabella, in qua nihildum deſcriptum eſt: noſtra culpa accreſcunt vitioſi habitus mentis; qui ad pravitatem judicii faciunt, et qui depulſu ſunt difficiles: iidem tamen labore et contentione, ſed majore, adhibita depelluntur. Idcirco Timotheus muſicus, qui ab aliis antea prave inſtituti eſſent, non rejecit quidem a ludo ſuo, ſed ab iiſdem duplum exegit ſtipis ejus, quod ab integris diſcipulis accipere ſolitus erat. Et ut id demum tibi largiar, judicii integritatem non parum a voluntatis habitu vel juvari, vel laedi: non tamen

men propterea obtinebis, voluntatem a praeſente rationis judicio diſcrepare, aut ab ejuſdem incolumitate non ex multo maxima parte pendere. Quae tertio loco eſt abs te allata difficultas, ſoritis in ſpeciem compoſita, Ariſtoteli in tertio eorum qui ſunt ad Nicomachum moralium libro tractatur. Verum, quia non eſt ab illo ea ratione explicata, quae nobis in praeſentia magnopere uſui eſſe poſſit; nos in ea ipſa declaranda viam nonnihil diverſam ingredi ſtatuimus. Non omne momentum, ſed plurimum in judicii integritate poſitum dixi: ſed neque haec ipſa integritas tota eſt a natura. Ingenium fateor eſſe naturae beneficium, quod et vocis ductus demonſtrat: dicitur enim quaſi ingenitum, et ex docilitate atque memoria tanquam partibus conſtat. Verum doctrina quae eſt ingenii cultus, partim etiam a voluntate eſt. Acquiritur enim aſſiduitate et induſtria; quam oportet imperari a voluntate. Ea propter Iſocrates ſciſcitanti cuidam, quid opus eſſet filio, quem in ejus ludum erudiendum mittere decreverat, δεῖ, ἔφη γραφειδίου, καὶ νοῦ, hoc eſt, *ſtylo*, inquit, *opus eſt, et mente.* Adhaec opus eſt et perpetuis mentis excubiis, ne quid in deligendo nos effugiat: quod ſane non contingit, niſi voluntatis juſſu atque imperio; adeoque et ipſa laudis ejus, quae in rectejudicando ineſt, eſt etiam ex hac ratione particeps. Et rurſus, eundem ad modum, neque in malis culpa omnis eſt aſſignanda naturae, vel hebetudini ingenii: eo quod nemini uſque adeo natura noverca fuit (niſi forte mente prorſus captos proferas, in quorum actiones non cadit laudis aut vituperii ratio), ut non in animo habeat generales

nerales quaſdam ſententias de moribus inſculptas; quibus excutiendis omnis veritas, quae ad vitam hanc civiliter degendam pertinet, elicitur. Quis ignorat, unamquamque ſui partem, ut ea maxime praeſtans eſt, ita maxime et caram eſſe debere, et curandam atque excolendam eſſe maxime? Nec illud obſcurius eſt, noſtram dignitatem poſitam eſſe in ea parte, qua ſuperamus belluas, et proxime ad ſuperos accedimus: quibus conſtitutis, protinus conſentaneum et conſequens eſſe videmus, ut animus ſe exerceat in inveſtigandis et perſequendis aſſidue ſuis bonis, quibus et exornari et perfici poſſit: quod ſi facit, ſtatim occurret illi pietas, quae nos gratos adverſus Deum et parentes facit: occurret temperantia, quam agnoſcet eſſe moderationem in eis actionibus quae ad vitae ſuavitatem pertinent: occurret item et humanitas, quae ad juſtitiam, hoc eſt, convictus tranquilli et pacificae ſocietatis genitricem colendam nos inſtituet. Has ergo notiones cum natura in animis noſtris conſignarit; ſicubi in officio claudicamus propter opinionis errorem, non accuſemus naturam, ſed ignaviam noſtram, qui non praeſtitimus id, quod in naturae viribus poſitum erat, in occupando ingenio in rerum luce atque veritate eruenda. Ipſe hieme noctu interdum exſurgere ſoleo ad lectionem. Cum expergiſcor, poſtquam adeſt et ſilex, unde ignis excutiatur, et chalybs quo excutiatur, et aſſulae ſulphure infectae, ſi lumen deſit, quid hic eſt praeter inertiam meam quod accuſari poſſit? Et fortaſſe vix alia in re aeque luculenter libertatem ſuam oſtendit voluntas, ac in rationis uſu facit, dum illam ad quamlibet

 rem

rem intuendam atque explorandam adhibet: unde dictum opinor Epicteto, *Nihil tam eſſe in poteſtate noſtra, quam ſit uſus cogitationum.*

FRANC. Reſponſiones tuae ſane mihi acres videntur in primis; acuminis et rationis ſane non inanes: ſupereſt tamen ſemper neſcio quis ſcrupus. Si iſta praeſtantia ingenii adeo facit ad puritatem judicii, ex qua voluntates honeſtae oriuntur; unde eſt quod acutiſſimi ſenſus homines, et interdum iidem docti, ad turpes et infames vitae rationes delabuntur?

FLOR. Exiſtimo tales nunquam exercuiſſe legitime ingenium in virtutis ſpecie exploranda. Nec abſurdum eſt, aliquem Aſtrologiae aut Medicinae peritiſſimum eſſe, abſque hoc, quod recte ſentiat de moribus et de ſummo bono. Nam (quod dici ſolet) *ubi intenderis ingenium, ibi valet.* Quod ſi aliquem proferas inſigniter turpem, cujus ſermo atque doctrina ſanctitatis plena videatur; tibi reſpondebo illud, quod Ariſtoteles de perturbatis dixit, *Non ex animo illum, et ſerio ita ſentire; ſed delirii eſſe ſpeciem.* Poteſt item et vis mentis quamlibet acris occaſione aliqua prius impediri, atque occupari erroribus, quam vel illa prima virtutum ſemina, quae animo incluſa habet, perſpexerit: quibus de rebus ſupra eſt diſputatum.

FRANC. Faciamus, eſſe aliquem adeo benigne a natura ornatum, ut acutiſſime cernat honeſti ſpeciem, et qui jam inde ab ineunte aetate ſemper viderit perſequenda ea bona (rejectis aliis omnibus)

bus) quae animum perficiunt: is ſi propterea ſibi conſtat in officio perſequendo citra adjutorium doctrinae, apparet eſſe naturae (ut jam dixi) beneficium: ſi officii deſertor eſt, et ipſa judicii integritas, etiam quae eſt ab excellentia ingenii, etiamdum infirma apparet.

Flor. Adeo acriter urges, ut pene confugere cogar ad dogmata religionis, quae ſunt de illo, quod originis vocatur, ſcelere, atque illud ipſum errorum cauſam ſtatuere. Sed quia adhuc philoſophiae patrocinium deſerere nolo, dicam tibi, ſi poſſis talem aliquem mihi proferre, me illum veluti ſemideum adoraturum, qui nunquam hallucinetur, nuſquam labatur in judicio: hominum enim eſt et falli et labi: in iiſdem tamen poſitum eſt, inſpectis illis philoſophiae regulis, quas in animo cuſtodiunt, ſe ad meliorem recipere frugem; et liberalem aliquam honeſtatis ſaltem ſpeciem (nam ſolida honeſtas extra religionem non eſt) ſe recipere. Caeterum haec poſtrema tua argumentatio effecit, ut ventum ſit ad diſputationis hujus (nimium fortaſſe prolixae) de judicii et opinionum puritate fructum explicandum: in qua quidem parte ita philoſophabimur, ut omnia ſint admodum cum religione conſenſura. Natura nos φιλοκαλεῖς, hoc eſt, honeſtatis atque pulchritudinis cupidos finxit: verum oportet pulchritudinem luminibus eſſe admotam. Nam oculi ſunt in amore duces. Quod ſi admota illa nihil prorſus in ſe labis habet, ſed augeſcit ſemper, formae decus, quo propius ſtas, hoc te capiet magis; et quo penitius introſpexeris, hoc flagrabis vehementius. Jam hoc nemini,

mini, qui ſe hominem eſſe profiteri auſit, dubium eſſe poteſt, tanto animi pulchritudinem ea, quae corporis eſt, praeſtantiorem eſſe, quanto ipſe animus corpore eſt nobilior. Pulchritudinem autem animi eſſe ejuſdem ſtatum, quem ratio a divina voluntate manans praeſcribit, nemo mentis compos negabit. Ex his colligas licet, ſapientiam, pietatem, moderationem, humanitatem, reliquaſque his conjunctas virtutes, conficere pulchritudinem animi; et ad hoc nobis vigilantiſſime incumbendum, ut harum rerum ſpeciem inſpiciendi non ſtrictim et per tranſennam, ſed coram et proxime nobis ſit poteſtas. Habet enim illa immenſitatem quandam dignitatis, non modo non vileſcentem, ſed ſemper, quo melius aſpexeris, hoc ſe commodius explicantem, et potentiſſimae cujuſdam incantationis vi nos ad ſe rapientem. Conquirendae erunt igitur rationes undique, quibus perſuaſio de virtutis ſpecie atque praeſtantia, et contra de vitiorum et libidinum foeditate, aſſidue augeſcat et confirmetur; imo altiſſime et tanquam trabalibus clavis in animum defigatur, atque medullitus (ut Plautina voce utar) nobis inhaereſcat. Semper illud animorum decus ſeſe nobis vel importune objectet; ſemper incurrat in oculos, nuſquam nos quieſcere patiatur. Ex hac autem perſuaſione, quae apertam et pertinacem verae pulchritudinis, hoc eſt, honeſtatis viſionem conſequitur, pene neceſſario manat continentiſſima et jucundiſſima ſimul vitae ratio. Siquidem, ut veritas quo apertior atque illuſtrior fuerit, hoc firmiorem in intellectu aſſenſum generat; ita quo fuerit honeſti ſpecies explorator, hoc efficacius

animi

animi ſtudium in officiis perſequendis proliciet. *Sumus ſane natura* (ut ait Cicero) *appetentiſſimi honeſtatis: cujus ſi quaſi lumen quoddam aſpexerimus, nihil eſt quod, ut ea potiamur, non parati ſimus et perferre et perpeti.* Plato item ait, *ſapientiam et virtutes mirabilem ſui concitaturas amorem, ſi oculis*, hoc eſt, *aperte cerni poſſent.* Et profecto, quemadmodum baliſtae lapidum, et reliqua tormenta telorum eo graviores emiſſiones habent, quo ſunt contenta atque adducta vehementius; ſic pro modo perſuaſionis ejus de honeſto, quae in ratione ineſt, erit et voluntatis ardor atque contentio. Languida itaque aſſenſio, et tanquam opinio haeſitans de virtutis dignitate atque praeſtantia, frigidos parit voluntatis motus, cum aliquid pie et humane eſt faciundum. Et contra, intenta atque indubitata rerum fides, quid tam eſt difficile, quod non perfacile ea ſuperet et conculcet? Quid Socrati, quid Leonidae, quid Deciis, quid Mutio, quid Regulo, caeteriſque, quorum Graecae et Romanae literae meminerunt, dolorum et mortis contemptum fecit; niſi virtutis fulgor, et magnarum rerum ſpecies, quae radiis ſuis aſſidue mentis lumina feriebat, eorumque animos ab omni alia cogitatione atque ſtudio avocabat? Hoc ſi potuit in illis virtutis bractea quaedam et leviter adumbrata imago objecta; nihil mirum eſt, ſi heroes illi, qui noſtrae religionis veritati ſanguine ſuo ſubſcripſerunt, admirabilem illam animorum alacritatem etiam in exquiſitiſſimis tormentis praeſtiterint; ut quibus non umbra virtutis, ſed ipſa virtus eſſet propoſita; et divina quaedam phaſmata, facem ſacro praeferente ſpiritu, ſint uſque conſpecta. Neque ſane quic-

quicquam a nobis res turpes, ut ſupra oſtendimus, impetrant, niſi cum perſonatae occurrunt,

Fallit enim vitium ſpecie virtutis et umbra.

Sic ſane cum nobis erit vehemens et indubitata de virtutis dignitate perſuaſio; atque adſuefecerimus animum aperte cernere magnitudinem ejus ſpeciei, quae in ſervando decoro et conſervanda noſtra nobilitate ineſt; quando occurrent fallaces hae rerum ſpecies, et libidinum irritamenta, quibus vulgus incautum, imo caecum, capitur; ſtatim nos ad ſolidam, quae eſt in animo incluſa, honeſti ſpeciem convertemus: et tum facile videbimus, quantum abſint quotidianae hae formae, imo formarum umbrae, ab hac noſtra; et quantae ſit dementiae tenebras luci, vel rebus umbras anteferre. Ut ergo vage excurrentis orationis ſit epilogus, et tibi pro acervali argumentatione acervalem reddam, ſic habeto. Poſtquam pulchritudo conſpecta a ratione eſt, quae movet voluntatem virtutis ſpecies, ſi propius viſa fuerit, mirifice inflammabit eandem. Ea ipſa ſemel inflammata naturae quodam nexu, (ut in coeleſtibus globis, ubi ſuperior inferiorem vel obluctantem ſecum rapit) cor et animalem ciebit appetitum: animalis autem appetitus ſic inflammatus atque occupatus, prius erit in rationis partes pertractus, quam nubem aliquam (quod ſolet) rationi poſſit offundere, atque adverſarios illos inſtruere ſyllogiſmos. Quod ſi quicquam tenebrarum offuderit, propter vehementiam, quae eſt in voluntate, id diſcuſſu erit facillimum: quemadmodum

dum videmus interdum Solis, cum rapidus eſt, fulgorem ſolere nubes momento diſpergere atque diſſipare; flammam potenter coortam ſubito fumum omnem fugare. Sed cum communes veritatis notiones, niſi ad ſingulas applicatae ſint actiones, minus procul dubio ſint efficaces; quotieſcunque libido vel turpis utilitas nos ad defectionem ſolicitat, ita nobiſcum ratiocinemur atque ſtatuamus oportet: non ſolum videlicet perpetuam vitae honeſtatem, ſed etiam hanc unam actionem ab honeſtate profectam, praeſentem libidinis hujus victoriam, hoc puſillum quod nunc praeſtandum eſt officii in reprimenda cupiditate, plus in ſe decoris et dignitatis, adeoque et ſolidae voluptatis habere; quam ſi ex ejus deſertione nobis omnes totius orbis et opes et honores, imo etiam et voluptates accreſcant. Hoc vel veriſſimum eſſe quis dubitat, cui agnitum ſit, honeſtum imenſo intervallo antecedere utile? Quod ſi verum eſt, cum utile nudum proponitur; quanta ſit veritatis acceſſio, ubi utilitas turpitudinem habet adjunctam, qua ſit, ut boni nomen jam penitus utilitati extinctum ſit et perierit. Nunc cum rem ita ſe habere luce ipſa ſit illuſtrius, cur non ita eſſe nobis indubitanter et vehementiſſime perſuadeamus? Si autem ſemel ita perſuaſi ſimus, non eſt magnopere verendum, ne tanta rerum pulchritudine atque praeſtantia floccipenſa, ſordes et turpitudinem amplectamur. Hujuſmodi ſane ſyllogiſmis in vitae uſu ſi fuerimus adſueti, conſciegimus nobis pulcherrimas victorias, et eas quidem crebras; quae nobis non ſolum veras voluptates ſuppeditabunt, ex officii conſcientia neceſſario naſcen-

naſcentes; ſed etiam nos coelitibus ipſis admirandos atque venerabiles (nam homines conſcios eſſe nihil intereſt) efficient. Et hujuſmodi mentis uſum opinor ſcientiam, quam Socrates omnes eſſe virtutes dixit. Nunc (ut opinor) aditum aperui ad caetera; et oſtendi omnium cupiditatum domandarum, imo totius tranquillitatis atque ſalutis fundamentum, caput totius ſanitatis, poſitum eſſe in indubitata et vehementi perſuaſione de honeſti ſpecie atque praeſtantia incomparabili: ne cui mirum jam ſit, ſi multus fui in ignorationis atque ſcientiae rerum locis tractandis. Verum, quia plus fructus nos relaturos arbitror ex diſputatione; ſi generalis haec ſententia in praeceptiones quaſdam ſit diſtributa; referam vobis quoddam meum ſomnium, quod rem pene totam particulatim complectetur. Neque inſtitui ipſe in praeſentia ſingulis perturbationibus ſuam adhibere medicinam; res enim eſſet immenſae operae, et profecto etiam ſupervacaneae: eo, quod ea ſit futura praeceptionum noſtrarum ratio, ut iis commode acceptis, et omnes et ſingulas perturbationes profligare, et perpetuo honeſtatis honore florere ſit in promptu. Verum cum fidem aut approbationem audientium, ſomniorum viſa non facile inveniant; talem velim intelligatis eam mihi viſam nocturnam informationem, ut ego illam multorum dierum meorum vigiliis anteponam: neque ne vos ſecus ſenſuri ſitis vereor; cum auditione ipſa comperturi ſitis, non commentitias res, ſed veras vobis exponi.

FRANC.

Franc. Quaeſumus uterque, ne nobis utilitatis hujus communicationem invideas; neve nos quacunque de re celes, ex cujus notione acceſſionis aliquid probitati adjungi poſſe ſperes. Jam enim perſuaſum habemus, iſtud tuum ſomnium, poſtquam tu illud referre pro indigno non habes, non eſſe ex vulgari genere, ſed ſingularem quandam afferre utilitatem. Obſervavi enim ſemper, te, ut ab impietate, ita (ut mihi quidem viſus es) a ſuperſtitione quam longiſſime abeſſe.

Cap. VIII. *Voluſeni Somnium. Ædes Tranquillitatis. Explicatio inſcriptionis primae columnae: Flagrans ſtudium bene merendi de ſe ipſo, et ſe ipſum perficiendi*

Flor. Annos abhinc aliquot, priuſquam ex patria huc in Galliam trajeciſſem; dum ego et Joannes Ogilvius, qui nunc apud Scotos Crodanam regit eccleſiam, vir, ut generis claritate, ita literis et moribus ornatiſſimus, una (nam multum una eſſe ſolebamus) in ripa Loſſaei amnis deambularemus, principium illud ſermonum Horatii (nam Horatius prae manibus erat)

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diverſa ſequentes?

nobis occaſionem dedit, inter nos de aerumnoſa hac humanae vitae conditione commentandi. Tum ille ad me converſus, Quid ſibi vult hoc, Florenti, quod neque cupiditatibus noſtris ſatisfieri poteſt;

eſt; nec nos ipſas, ne ſe in immenſum extendant, comprimere valeamus? Quid ſibi vult haec aegritudinis carnificina perennis, quae animum exeſt atque conficit? Tu jam totum quadriennium philoſophis operam dediſti, ſolent illi hujuſmodi res tractare: me tui noſti ſtudioſiſſimum: tu ſi nos viciſſim amas, fac cras a prandio inclinante jam Sole hunc ipſum ad locum redeas; ipſe te in hoc tumulo exſpectabo: interea philoſophos conſules; ut poſſis explicare, noſtrone, an rerum vitio haec vitae anxietas contingat. Me certe primus iſte ingenii tui calor majorem in modum delectabit. Fallere enim taedium illud, quod a tempore eſſe ſolet, nec honeſtius nec utilius poterimus. Ea ipſa nocte ſub auroram, priuſquam ſomno ſolutus eſſem, viſus ſum mihi per amoeniſſimum quoddam pratum, quod vario florum genere pulcherrime diſtinctum erat, incedere. Solent enim nocturnae viſiones lucis ſtudia et curas, maxime ſi ſint acres, quae pridie antegrediuntur, referre: et eſt ſane illae extremae Britanniae angulus aſpectu atque fructu multo jucundiſſimus, propter frondoſos colles vicinos et lacum oloribus habitatum, haud procul ab Elgino oppido, ubi templum eſt magnifice exſtructum. Prato vicinus erat collis leviter, et modice editus. In colle poſita erat aedes eximia; eaque in templi formam, ut mihi quidem viſum eſt, exſtructa. Circum collem ad radicem decurrebat amnis lucidus et vadoſus, in quo cernere erat varii generis piſces colludere. Poſt ripam, priuſquam ad collis clivum ventum eſſet in planitie quadam, et in ipſo quoque clivo, arbores erant, praeter vulgares, myr-

myrti, lauri, cupreſſi, terebinthi: nec procul inde malorum, et nucum, omniſque generis fructiferarum arborum genera varia, mihique prorſus ignota. Virgultis et arboribus paſſim inſidebant canorae aviculae: fontium item in collis latere ſcaturigines aliquot erant, et lenem quendam ſibilum inter frondes aura ſuaviter ſpirans concitabat. Hic ego eo lubentius ſpatiabar, quod nullum locus ille anguem aleret, aut noxium quodvis animal. Ædes ipſa ex Pario (quantum conjectura aſſequi potui) conſtabat lapide, ratione illa quidem atque arte ſumma exaedificata, claudebatur murorum ambitu amplo et ſpecioſo. Ad fores ſenex quidam conſidebat, cultu plane et geſtu philoſophico; Democritus mihi videbatur, aut aliquis qui ex ejus ludo prodiiſſet. Hoc ex ſermone quem poſt habuimus intellexi. Nam ille, ut eſt apud Diogenem Laertium, ſummum bonorum finem ſtatuit eſſe ἐυθυμίαν οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ, hoc eſt, *non eam, quae ſit eadem voluptati;* ſed eam, per quam animus compoſite degit perturbationis expers. Huic (ubi propius acceſſiſſem) geſtu ad venerationem compoſito, ſalutem dixi. Ille nutu duntaxat reddidit; ſed eo ſane amico et placido. Tum ego; ſi ſuperbum aut aut incivile non eſt, inquam, ô venerande ſenex, percontari; valde aveo ſcire, quaenam ſit iſta aedes tam ſpecioſa, et ut mihi quidem videtur, numinis alicujus domicilium. Haud perperam conjectas, inquit ille; et ſermone uſus Romano, quamvis ſonus Graecitatem praeferret, juſſit ut inſcriptionem, quae ſupra fores poſita erat, inſpicerem. Erat autem hujuſmodi,

Ο ΤΗΣ ΕΥΘΥΜΙΑΣ ΟΙΚΟΣ,

Hoc eſt,

Tranquillitatis Ædes.

Cumque rurſus interrogarem, an fas eſſet eam ſubire, Rem, inquit ille, arduam affectas: quandoquidem huc ſemel admiſſi hominum exempti miſeriis poterunt quodammodo cum ſuperis ipſis de felicitate contendere. Verum, cum te videam rerum honeſtarum ſtudio non mediocriter flagrantem, tibi de hac re quam petis gratificari non gravabor. Tum me manu apprehenſum intra ambitum introduxit, et ad porticum quandam admirabiliter ſubſtructam, quae pro aedis janua erat, ſiſtit. Nitebatur autem ea columnis octo, quarum ſingulis ſua quaedam paulum infra epiſtylium ἐπιγραφὴ fuit. Mox ad me converſus hunc ad modum ſermonem eſt exorſus: Ut in hoc Tranquillitatis domicilium ingrediare, opus eſt ut prius illas columnarum inſcriptiones intelligas, et intellectarum in omni vita ſis tenaciſſimus: earum enim uſu tibi facilem aditum ad tranquillitatem munieris. Cumque me ad ea omnia paratiſſimum eſſe profeſſus eſſem, et quaenam iſthaec eſſent praecepta ſciſcitarer, me propius ad columnas admovit. Hic mihi in mentem venit ille aureus et foliis, et lento vimine ramus, quem Æneae in ſubterranea illa manium regna deſcendenti Sibylla ſacerdos ex opaco nemore carpendum docuerat. Nec ille aliud, ut opinor, quam ſapientiam ſignificat: cujus auſpiciis atque ductu, etiam ut om-

nem

nem vim ſuam atque impetum in nos fortuna convertat, ubique, dum apud inferos, hoc eſt, in hac vita agimus, ſalvi et incolumes eſſe poſſumus, et perturbationum mitigare feritatem. Egregie ſane comparata eſt illa Plutarchi ſimilitudo, qua ſtatuit, efferatos animorum motus, ſapientiae praeceptis et ſententiis (quas ſemper in promptu eſſe oportet) audiendis, et, (ut ita loquar) ruminandis, ſic compeſci atque manſuefieri, ut truculentos canes, qui ad agnitae vocis agnitionem rabioſos ponunt latratus.

Primae igitur, a ſiniſtra incipienti, columnae inſcriptio haec erat,

ΠΟΘΟΣ ΣΦΟΔΡΟΣ ΤΟΥ ΕΥΠΟΙΕΙΝ, ΚΑΙ ΤΕΛΕΙΝ ΕΑΥΤΟΝ,

Hoc eſt,

FLAGRANS STUDIUM BENE MERENDI DE SE IPSO, ET SE IPSUM PERFICIENDI.

Hujus, et reliquarum deinceps inſcriptionum explicationes breves adjecit ſenex; quas ipſe, quoad memoria ſuppetet, imitabor. Apparet haec praeceptio primo occurſu ſupervacanea: cum nemo quiſquam ſit, qui non vel naturae inſtinctu ad hoc feratur, ut ſe quam praeſtantiſſimum eſſe velit, et perficiendi ſui procurationem vel in primis ſuſcipiat. Sed habet illa reconditam intelligentiam, atque utilitatem in omni vitae curſu latius opinione patentem. Includit enim praeceptio

tranquillitatis ſtudium: nunquam enim conquieturum eſt quicquam, quoad adeptum ſit perfectionem ſibi ex naturae ordinatione debitam; non magis quam ſaxum, quod a coelo decidens conſiſtere nequit, quoad ad terram communem gravium ſedem ſit perventum. Et quoniam, ut ignoranti portum nullus eſt ſuus ventus; ita quiſquis non de ſumma vitae cogitavit, ſed caſu, quo praeſens fert libido, nunc in hanc nunc illam partem fertur, nunquam compoſite vivet, nec eum adhibebit, quem adhibitum oportet, actionibus ordinem. Multos invenias, quibus propoſitum ſit potentiae, honorum, aut divitiarum, aut voluptatum denique ſtudium: ſed hoc non eſt ſtudere ſe praeſtantem aut perfectum virum eſſe, ſed minimas quaſdam et deterrimas vitae partes cogitare. Quod ſi quis eſt qui ſecus exiſtimet, is profecto peſſime de ſe ipſo meretur, qui non de principio ſtudioſe inquiſivit, quibus in rebus poſita ſit hominis ſumma dignitas atque perfectio. *Nam caeteris in rebus, ſive praetermiſſum, ſive ignoratum eſt quippiam*: (ut ait Cicero) *non plus incommodi eſt, quam quanti quaeque earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid.* Finis autem humanae vitae, et quae ſit ſumma perfectio ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt: ex quo tantus error conſequitur, ut in quem portum nos recipere debeamus, ſcire non poſſimus. Sed quia de perficiendis nobis ipſis commode ſtatuere non poſſumus, niſi prius nobis conſtet, cujuſmodi res ſimus: prima rationis cura haec eſſe debet, ut naturam noſtram penitus perſpectam habeamus. Jam qui ſe explorat, ſentiet ſibi ipſi ineſſe divinum quiddam, *ingeniumque ſuum*

ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum (ut inquit Cicero) *putabit; tantoque munere Deorum ſemper aliquid dignum et faciet et ſentiet*: cumque ipſe perſpexerit, ſeque totum tentarit, intelliget quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit; intelliget, quo a belluis differat, et ut omnis hominis excellentia ſit ex ratione. Ex hoc autem perlevi ingenii labore, ſtatim eruitur clariſſima illa ſententia; Infinitis partibus majorem curam ponendam in inquirendis ingenii ac rationis perfectionibus et ornamentis, quam eis commoditatibus, quae ad corpus et praeſentis vitae uſum duntaxat pertinent. Belluis quidem ſoli ſenſus dati ſunt, quibus ea inquirant, quae ad animalem vitam tuendam pertinent. Dati ſunt et nobis ſenſus, cum in eum ipſum finem, tum etiam ut rationi inſerviant, in colligenda praeſtantium rerum agnitione. Verum nos (quod ſingularis eſt dementiae) non ſolum ſenſibus, ſed etiam ipſo ingenio abutimur; dum omnem etiam mentis vim atque laborem huc convertimus, ut potientes ſimus earum rerum, quae nobis cum belluis ſunt communes. Merito profecto nobiſcum natura parens optima expoſtulare poteſt, qui tam praeclarum ejus munus in ſordes abjicimus. Quod ſi non rerum dignitate permovemur, ut ingenium ad altiores res perſcrutandas accommodemus: faciamus tamen id ſaltem, vel noſtra ipſorum commoditate impulſi; cum non magis manifeſtum ſit, coelum ac ſidera moveri, quam ſupremum noſtrum honorem atque perfectionem ad mentem pertinere. Hoc officiorum fonte patefacto, conſequens eſt, ut perpetuo verſari debeamus in eis cogitationibus, quae nos ad noſtram praeſtantiam atque abſolu-

ſolutionem quam facillime perferant. Sed haec res ut dilucidior ſit, expendendum eſt, nos duabus a natura ipſa (Cicerone teſte) indutos eſſe perſonis: quarum una communis eſt, ex eo quod omnes participes ſumus rationis, praeſtantiaeque ejus, qua antecellimus beſtiis: altera eſt proprie attributa ſingulis, quae quidem ex ingenii et temperaturae varietate proficiſcitur; ex quo fit, ut non omnes omnia aequaliter deceant; neque Demea, quantumlibet affabilis et benignus eſſe meditetur, Mitionem plene exprimat aut exaequet. Adjunguntur item et duae aliae perſonae, quarum priorem caſus vel tempus nobis imponit, poſteriorem nos nobiſmetipſis noſtro judicio accomodamus. Regna, imperia, nobilitates, honores, divitiae, opes, eaque quae ſunt his contraria, in caſu ſita temporibus gubernantur. Ipſi autem quam perſonam gerere velimus, a noſtra voluntate ſaepiſſime proficiſcitur: quo fit, ut alii ſe applicent ad philoſophiam, alii militiam ſequantur, alii mercaturam, alii advocationes et cauſas forenſes ampleſtantur: alii ad agriculturam aut opificium aliquod mercenarium ſe applicent, alii religionibus quibuſdam ſe dedant. Et in iis conſilium eſt maturum ex natura capiendum,

Ac prius ignotum ferro quam ſcindimus aequor,
Ventos, et varium coeli praediſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum,
Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae.

Non enim nos minus diligentes eſſe debemus in animorum cultura et dirigenda vita, quam ſint in agris

agris accurandis agricolae. Has perſonarum diſtinctiones ideo attuli, ut intelligatur, primam illam, hoc eſt, honeſtatis perſonam naturalem eſſe, adeoque omnium hominum communem. Quapropter omne conſilium, quod vel ſua cujuſque natura, vel fortunae, vel noſtrae voluntatis ſtudium nobis ſuppeditat, ad illam eſt referendum, ſicque temperandum, ut a communi virtutis ratione nunquam recedatur. Nulla eſt in hac perſona gerenda vel ſexus, vel ordinis, vel conditionis exceptio. Omnium hominum intereſt, virtute atque ſapientia colendis, acceptam ſaltem a natura dignitatem perfortiter tueri. Quo magis ſtolidi et ridiculi ſunt nonnulli, qui propterea, quod non ſint in Flaminum ordinem cooptati, aut quod non habeant verticem deraſum, aut quod extima veſtis non ſit linea vel prodigioſa, aut quia non ſint cucullo obvoluti, pietatem ac vitae moderationem ad ſe pertinere non arbitrantur. Plerique, quod majores habuerint opulentos aut claros, omnia ſibi licere volunt. Alii, quos loci dignitas ad virtutis excellentiam excitare debet, ut ſunt Antiſtitum religionis nonnulli, opulentia quam ex Christo habent freti, multa palam dedecoroſa facere non verecundantur. Alii, quod milites ſint, nihil tam eſt ſceleratum, quod non ſui officii eſſe credant. O temporum caecitatem! O doctorum religionis, hoc eſt, Antiſtitum deſidiam; imo crudeles animos, quos nulla pereuntis prae ignorantia gregis miſericordia tangit! Sed hos miſſos faciamus, quum ſe ne admoneri quidem velint. Verum num tu illos ipſos cenſes communis

munis perſonae meminiſſe, qui propter voluntariam, aut privatam illam, vel fortunae indulgentiam aliquam, ſibi turpe aliquid licere putant? Num rationem habent, quid, dum ſacro admoverentur lavacro, promiſerint? Sed quid ego Chriſtianiſmi facio mentionem? Ea enim profeſſio nos in diviniorem quandam includit religionem, quam animus pene vel cogitando aſſequi poſſit. De his duntaxat loquor, quae naturae lege praeſtare jubemur, et de eo quod nobis faciundum ſit, non quatenus Chriſtiani, ſed quatenus homines ſumus, et quod ſacramentum commune tum nobis, cum vitam acciperemus, dictum requirit. Jam vero cum reliquus vitae curſus magna ex parte derivetur ab hoc propoſito, quod in ipſo florentis aetatis limine complectimur; ad hoc (ut ſupra attigi) vigilantiſſime debent eniti et parentes et magiſtratus, ut ſimul atque in puero eluxerit aliqua ingenii aut comprehenſionis vis, inſtilletur illi in animum; Quanti pretii animans ſit, quo belluas vincat, cur vitam acceperit, quod ſit a Deo hominum generi munus aſſignatum, quis ſit tum bonorum tum malorum finis. Dici non poteſt, quantum reliquae vitae interſit, in illa exorientis judicii velut aurora, et cum nobis ſe bivium illud Pythagoricum offert, rectas de humani generis nobilitate atque rerum pretio imbibiſſe opiniones. At quorum animis, jam protinus a prima lanugine, non inſedit illud?

O cives, cives, quaerenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos.———

Unde

Unde habeas nemo quaerit, ſed oportet habere.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum,
Omnes unius aeſtimemus aſſis.
Soles occidere, et redire poſſunt,
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Haec diſcunt omnes ante Alpha et Beta puellae.

Theologi aliquot, iidemque ſane acuti, non dubitant hominem capitalis atque mortiferi damnare criminis, ſi non, primo quoque exerentis ſe rationis momento, finem ſibi vitae et actionum honeſtum praeſtituat: idque pertinere aiunt ad obligationem quandam naturalem. Summum hoc jus, ut non uſque adeo probem, efficit conditio fragilitatis noſtrae: tamen quia ſaepe incuria educationis, et defectu doctrinae tenera illa aetas in vitioſas vitae rationes delabitur; ſacri magiſtratus, quibus propterea a populo ſuppeditantur ea, quae ad vitam degendam pertinent, ut piae vitae ratio omnibus ſit expoſita, debent, ſi aliter commode fieri non poteſt, urbem vel domeſticatim circumire, explorantes, an legitima ſit juventutis inſtitutio. Sic enim omnes, tanquam in eodem probitatis ludo eruditi, offendentur turpibus, delectabuntur honeſtis: neque ulla poterit intercedere irarum atque diſcordiarum acerbitas, ubi omnes in eaſdem praeclaras voluntates conſentiunt. Sic parentes filios, et magiſtratus populum et cives dicto audientiores habituri ſunt; ne-

 que

que ex illuſtribus illis tirociniis aliud exſpectandum eſt, quam obedientiae, dum honeſta imperantur, alacritas; ex qua ordinum, et totius ſocietatis humanae ſtabilitas exiſtit. Neque ſane diffitendum eſt, omnes quodam perficiendi ſui amore teneri. *Nam et qui laqueos, et exitia quaerunt* (ut ſcribit Cicero, et ille apud Terentium, ἑαυτὸν τιμωρέμενος, qui decrevit *tantiſper ſe minus injuriae ſuo nato facere, dum miſer fiat*) *et quicunque in mala ſcientes irruunt, hoc faciunt ob quandam ſui caritatem; et quod ita illis* (ut exiſtimant) *ſit uſus.* Verum caecus eſt ille plerumque amor; propterea quod aſſiduis cupiditatibus elati, honeſtum necne ſit, quod expetimus, bonum, non referre putamus. Et ſi, quid quiſque noſtrum apud ſe inſtituerit, fixius introſpicere velimus, intelligemus, in hoc perficiendi ſui propoſito inſigniter delinqui: noſque verbo tenus quae honeſtant, re ipſa quae turpificant conſectari. Nemo quidem noſtrum interrogatus non reſpondebit, Sibi illud in primis in votis eſſe, ut ſit bonus, perfectus et abſolutus: ſed poſtea excuſſis illis involucris diſſimulationum, inveniemur *alius villam, alius illa quinque boum juga, alius uxorem,* (ut Christi Servatoris habet parabola) *meditari.* Sed neque et illud ſatis erit etiam, te liberum eſſe earum rerum cupiditate, quae turpificant; niſi hoc perficiendi tui ſtudium ſerio et gladiatorio (quod aiunt) animo capeſſas. Steriles enim ſunt plurimum languidae illae voluntates: fervoris conſtantia eſt quae fructus affert. Magna ſane bonitatis pars eſt, toto pectore velle ſe fieri bonum; et praeſtantiae itidem, magnopere velle ſe eſſe praeſtantem. Opus eſt igitur ſtudium et ardor quidam

amoris

amoris, ſine quo nihil quicquam egregium in vita aſſequi poſſe cuiquam eſt conceſſum. Socrates ſolitus erat dicere, perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis eſſet ſatis concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendae percipiendaequae virtutis: quibus enim id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe quam bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam cenſebat. Priuſquam hanc partem deſinam, operae pretium erit nonnullorum ſingularem ineptiam commemorare. Sunt quidam, qui ſecum in animo deliberarunt, interea dum aetatis flos praeterlabitur, omnis generis voluptatibus ſe dedere; atque ubi ad ultimum aetatis tempus perventum eſt, dare operam virtuti, et ſe ipſos praeſtantium rerum ſtudiis cohoneſtare. Verum hic dupliciter erratur: Primum, qua ſyngrapha producenda oſtendere poſſumus, nos ſuperum conceſſu vel unum diem ſuperfuturos? Quis nobis Deus haec longiora vitae ſpatia promiſit? Quis, niſi plane ſtolidus, ſibi craſtinum polliceatur?

Non eſt, *crede mihi* (inquit Martialis) *ſapientis dicere, vivam.*
Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Nunc expendite, quantum iniquitatis habet ea diſtributio: Quod noſtrum non eſt, nec unquam fortaſſe erit, dare honeſto; et inſtans, quod noſtrum eſt, turpitudini. Debet nos ſcilicet pro tam praeclara gratia honeſtas ad ſe vocare, et caput tanquam egregie de ea meritis amanter demulcere.

cere. Deinde et illud ſuccurrat, quam turpiter illi rei proferantur dies et comperendinatio concedatur, propter quam unam omne vadimonium eſſet deſerendum, quam unam quamprimum complecti par erat, et prae qua caetera omnia ſint ſine mora relinquenda. Sane adeo hic maturato opus eſt, ut ſuſtinendum ſit potius vita ipſa primo quoque tempore ſpoliari, quam vitae momentum abſque honeſtatis contubernio degere. Ergo cum praeſentes cupiditates ſuadebunt, ut ſibi nos totos dedamus, et honeſtae vitae rationes in ventura tempora differamus; ponderabimus diligenter, quantum ea res contineat indignitatis: quas nobis inuramus, ſi ita fecerimus, maculas: et quam male de nobis ipſi mereamur, qui turpes et perituras res ſpecioſiſſimis et immortalibus praetulerimus. Quocirca hic nobis talaria ſunt induenda; et in hoc laudis curſu neque remi, neque venti nobis ſatisfacere debent. Ipſi nobis ſedulo ita admonendi ſumus:

Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
——Heu regni rerumque oblite tuarum.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare poteſtas?
Eia age rumpe moras.——

Sera (ut proverbio tritum eſt) parſimonia eſt in fundo. Et, ut inquit Heſiodus,

Μεσσόθι φείδεσθαι, δειλὴ δ᾽ ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Parcendum in medio eſt, gravis eſt res parcere fundo.

Si-

Siquidem illic non ſolum quod minimum, ſed etiam quod deterrimum eſt, conſiſtere ſolet. Nullam itaque, cum de honeſtae vitae inſtituto agitur, moram interponamus. *Nam ita demum* (ut ait Seneca) *vita beneficium erit: alioqui mora eſt, et quidem turpis inter foeda verſantibus.* Id agamus, ut noſtrum omne tempus ſit; quod erit, cum nos noſtri juris eſſe coeperimus, et affectus ſub arbitrium adduximus. Sed jam ſatis diu in hujus columnae tractatione habitavimus; reſque omnis ſic nobis eſt (ut arbitror) explicata, ut nihil prorſus vel difficile vel diſſentaneum imperare videatur, qui hoc ſolum imperavit generatim, Ut velimus ex animo et re ipſa nobis ipſis bene eſſe, et nos eis praeditos eſſe ornamentis, quae nos non falſo, ſed vere perficiant atque illuſtrent.

CAP. IX. *Explicatio inſcriptionis ſecundae columnae: Oportet nos verorum bonorum agnitione inſtructos eſſe.*

Ad ſecundam deinde columnam acceſſimus, cujus haec erat inſcriptio:

ΓΝΩΝΑΙ ΔΕΙ ΤΑ ΑΛΗΘΙΝΑ ΑΓΑΘΑ.

Hoc eſt,

OPORTET NOS VERORUM BONORUM AGNITIONE INSTRUCTOS ESSE.

Poſtquam enim prima informatio pertinet ad ſerium perficiendi ſui votum; haec autem perfectio

ctio non conſtet, niſi verorum bonorum adeptione et fructu, et declinatione malorum; jure proximus a primo locus boni veſtigationi tributus eſt. Studia enim perveniendi aliquo nihil proſunt, niſi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque cognoris. Et pictori, ubi conſtitutum eſt, cujuſmodi imaginem exprimere velit, colores apti ſunt conquirendi. Nec levis huc afferenda cura eſt, quod difficile ſit in eo appetendo tenere modum, quod bonum eſſe credideris. Et profecto abſque certa et illuſtri expetendorum fugiendorumque agnitione (nam haec bona ſapientiae pars eſt) vitam hanc traducere, eſt, quod dici ſolet, abſque filo ingredi in Labyrinthum. Bonum itaque cum illud dicatur, quod ſit expetendum: Bonorum ut et expetendorum duplex eſt diviſio. Quaedam enim ſunt, quae non propter ſeipſa, ſed aliorum gratia expetuntur: quae utilia dicuntur, eo quod horum uſu ad majora quaedam deveniatur; ut pecunia et alimenta, quibus vitam et incolumitatem tuemur. Alia ſunt quae propter ſe expetuntur: et haec rurſus bipartita videntur. Quaedam enim tantae ſunt dignitatis, ut merito propter ſe ſemper ſint expetenda: cujus generis eſt omne quod honeſtum eſt, et quod quidem ſuapte natura hominem in quodam excellentiae gradu conſtituit; ut ſunt ſapientiae et virtutum functiones. Alia quaedam ſunt, quae quidem propter ſe ipſa ab appetitu recto, hoc eſt, ratione gubernato, non primum appetuntur; tamen adjuncta eſſe ſolent potiſſimum iis, quae propter ſe ſunt expetita: cujuſmodi ſunt voluptates. Sunt quidem et hae interdum cum utilibus copulatae;

latae; ſed propius attingunt finis rationem, eo quod, quo praeſtantius fuerit bonum, cujus ſumus capaces, hoc (niſi inſit in nobis quod obſtet) ſuavius ex natura ſua nos afficiat. Verum quiſquis voluptatem recte atque ordine appetit, non tam eam appetit, quam rem convenientem; ex cujus adeptione affectatione quadam et naturae nexu ſequitur ſenſionis cujuſdam jucunditas, quae tum gaudium, tum voluptas dicitur. Alia eſt ex rebus ipſis cum hominis partibus comparatis bonorum ducta diviſio. Et eſt haec tripartita. Vocantur enim alia Fortunae bona; cujuſmodi ſunt res externae, opes, illuſtre genus, potentia, gloria: quibus contraria ſunt inopia, generis obſcuritas, impotentia, contemptus. Alia ad Corpus pertinent; quo in genere ſunt, ſanitas, vires, forma; quibus et voluptas adjungi poteſt: cum his pugnant inſanitas, ſive morbus, infirmitas, deformatio aut pravitas corporis, et dolorum cruciatus. Tertium et ſummum bonorum genus eſt eorum, quibus animus nobilior hominis pars perficitur: et ſunt illa quae jam dixi, propter ſe expetenda: quibus contraria ſunt omnia illa, quae animum turpificant; quod genus ſunt, ignoratio rerum praeſtantium et convenientium, vitium omne atque omnis immoderatio. Stoici nihil in bonis numerant praeter ipſum honeſtum: reliqua genera, hoc eſt, corporis dotes, et res extraneas προηγμένα, id eſt, *praelata* vocarunt: et mala alia a turpitudine ἀποπροηγμένα, hoc eſt, *poſtpoſita* vel *rejecta.* Inde eſt quod Seneca ſcribit, *nos boni nomine abuti atque projicere; cum illud polentae, pani, et caeteris quae in diem utilia ſunt, communicamus.* Sed hic

hic potius eſt verborum, quam rerum concertatio: quandoquidem et apud Peripateticos tantum excellit hoc quod decorum et honeſtum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine explicatur; ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua ſint et perminuta, et nulla pene aeſtimatione dignanda. Faciunt pro Peripateticis ſacrae literae, quae ab ipſo mox principio valde bona vocant quaecunque ſunt a Deo condita. Unde fit, ut ridicula ſit cenſenda illa, in boni nomine communicando, Stoicorum ſcrupuloſitas. Sed hic animadvertendum eſt, aliam eſſe bonitatis rationem in rebus, ab ea, quae eſt in noſtris actionibus. Res bonae dici poſſunt ſingulae, vel ob id tantum quod ſint; vel certe quod nihil ſit in tota rerum machina, quod non ſua quadam utilitate, etſi ea plurimum clam nobis eſt, ſit inſtructum. Verum haec bonitatis ratio mire generalis eſt et latiſſime patens. Actiones vero noſtrae bonae dicuntur, cum eum ordinem conſervant, quem honeſtatis leges adhibere jubent. Atque hoc eſt magnum illud bonum, quod vocatur Honeſtum. Verum ſunt actionum honeſtarum aliae quae ad civilem vitam pertinent, et repreſſionem cupiditatum; quarum tamen omnium fons eſt prudens animi cogitatio: aliae in ſapientiae ſtudiis poſitae ſunt, dum mens occupata eſt in divinarum rerum commentatione; ex qua aeternitatis admiratio quaedam atque amor exſurgunt. Nunc quamvis utrumque genus honeſtum ſit, ſapientiae tamen ſtudiis primae partes dantur, eo quod hiſce proxime Dei immortalis vitam referamus. Quod vero de actionibus hiſce dico, communi-

municari volo et habitibus unde illae oriuntur. Nam virtutes omnes aut mentis aut voluntatis habitus ſunt. Sunt ergo haec propria animorum bona atque ornamenta; tanto praeſtantiora iis quae ad corpus pertinent, quanto res incorporea et intelligens, animus, corpore, quod craſſum eſt et ſuo ſibi ingenio brutum, eſt excellentior. Sed ut planius intelligatur, aut nullam, aut ſane perexilem bonitatis rationem in corporis et fortunae bonis ineſſe, ſi cum illis animi bonis comparentur; rationes aliquot perbreves afferam, ex philoſophorum quidem ſchedis depromptas, ad popularem tamen captum attemperatas: quarum haec erit prima. Apud eos, qui cogitationes et aetatem in philoſophiae ſtudiis conſumpſerunt, hoc indubitatum eſt; nihil poſſe boni rationem accipere, quod non ſit: et quodque quo perfectius eſt, hoc et melius eſſe. Nunc illud aſſumendum eſt, omnia fortunae ornamenta, atque adeo corpus ipſum cum omni ſua glorioſa ſupellectile ejuſmodi eſſe, ut vix ad temporis punctum durent, et interea, dum habentur, effluant; quamobrem ne eſſe quidem cenſenda ſunt. Sane tota temporum fluxio, etiam longiſſima, ſi ad aeternitatem reſpicias, vix puncti inſtar obtinet; nec aliter ſi Tithoni, Neſtoris, aut Mathuſalae annos ſuperes, longaevus eſſe cenſebere, quam aliqua ex illis beſtiolis apud Hypanin fluvium natis, quae occidente Sole exſpirat. Eſt illis vita (ut ita dicam) diaria; quare illae diutiſſime vixiſſe videri poſſunt, quae ſub Solis occaſum, maxime ſi ſolſtitialis ſit dies, emoriuntur, collatae illis quae octava aut ſexta hora ſunt extinctae. Verum no-

bis, qui lumina non in aeternam ſeculorum ſeriem, ſed in anguſtias vitae noſtrae dirigimus, pauci Solis anfractus reditusque ingentia aetatis ſpatia concludere videntur. Cum tamen, ut ſapientiſſime a Cicerone (qui etiam proxime commemoratam beſtiolarum ſimilitudinem, Ariſtotelis auctoritate fretus, affert) dictum eſt: *Quid eſt omnino hoc ipſum Diu, in quo eſt aliquod extremum, quod cum venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit?* Merito itaque haec corporis aut extranea bona, quae nos tanquam praeſtantiſſima perſequimur, non ὄντα ſed ἀπιόντα, hoc eſt, non *entia* (ſi tamen Romanus ſermo hanc vocem admittit) ſed *abeuntia* eſſe cenſenda ſunt:

Feſtinat enim (ut ait Juvenalis) *decurrere velox*
Floſculus, anguſtae miſeraeque breviſſima vitae
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

Et, ut ait Gregorius ille Nazianzenus,

Αὐτὸ δ' ὅσον πνέω ποταμοῦ ῥόος ὦκα θέοντος,

ubi de vitae noſtrae defectione celeri loquitur: quod ſic reddi poſſe arbitror:

Spiritus hic rapidae nihil eſt niſi tranſitus undae.

Homerus hominum genus φύλλοις, hoc eſt, *foliis*, aut frondibus ſimile eſſe ait: in quam eandem cogitationem inciderat praeclariſſimum illud tolerantiae exemplum Jobus; cum illud ſcriberet, *Contra*

folium

folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam. David Hieroſolymorum Rex, et Eſaias, *natum longe nobiliſſimi hominem florem agri* dicunt, *atque omnem ejus quae ex carne eſt gloriam perinde ac foenum ſubito exareſcere.* Pindaro poëtae σκιᾶς ὄναρ eſt homo, hoc eſt, *umbrae ſomnium:* Jobus *fugere eundem* ait *velut umbram.* Breviter, cum non poſſent invenire vocem, quae ſatis apte vanitatem rerum hujus vitae ſignificaret, quod proximum fuit, ad inaniſſimarum rerum vocabula confugerunt. Sed quid opus eſt, citandis quibuſcunque hujuſce veritatis teſtibus, tempus extrahere; cum oculis quotidie videamus, quam cito nobis pereat haec rerum facies? Sed nos caeci et dementes, nunquam fixe et ſerio ſtudiorum noſtrorum inanitatem ponderamus, quoad veniat illud extremum vitae momentum, in quo miſella haec anima eſt efflanda; et cum deſerta hac temporum fluxione pervenimus ad illam aeternitatis januam, tunc (ſed ſerius) incipimus agnoſcere rerum noſtrarum vanitatem. Soli ergo illi prudentes ſunt, qui ante periculum ipſum, animum id, quod veriſſimum eſt, credere induxerunt, *omnia eſſe vanitatem, et nihil, quod ſub Sole ſit, permanere.* Altera, quae bonitatis pretium iiſdem detrahat, ratio ex eo ducatur, quod boni appellationem iis, qui ea poſſident, non conciliant. Non enim, ut a forma formoſum, aut a divitiis divitem, ſic ab illis fortunae bonis quempiam vel eſſe vel nominari bonum uſu venit. Quod ſi de opibus ſermo ſit; quemque ut peſſimo eſt ingenio, hoc eſt, maxime vafro, et ad fraudes appoſito, ita maxime florere divitiis videas: et contra, optimum quemque rei fa-

miliaris difficultatibus laborare. Nam, ut verſiculus ille Graecus habet.

Οὐ πάνυ τοῖς ἀγαθοῖς τȣ́των πολὺ μοῖρα δίδωσι.

quod ſic, ut opinor, vertas licet,

Fortunam raro bonus experiere benignam.

Non nego opes, et copias in ſe nihil prorſus habere vitii; et inveniri viros graves, qui in media opulentia ſingulari ſint integritate; et qui divitias, vel relictas, vel honeſtis rationibus partas, tum in inopum, tum in amicorum et Reipub. tempora conferant. His ſane facultates ſunt bonitatis et magnificentiae materia: ſed magna eſt hujus generis hominum raritas, qui rerum abundantia non inſoleſcant. Philoſophorum nonnulli, inter quos numeratur Crates, aurum et patrimonium omne ſponte vel reliquerunt, vel abjecerunt; ut expediti et liberi curis commodius philoſopharentur. Cicero, longe clariſſimus Latini generis ſcriptor, majorum quodam in loco requirit prudentiam, qui haec imbecillia et commutabilia pecuniae membra vel ſolo verbo bona putaverint; cum re ac factis longe aliter judicaſſent. Et, ut curſim reliquas bonorum ejuſmodi partes attingamus, primum Regnum expendamus, ſummum inter homines potentiae genus: hoc, ſi, quam oportet, moderationem retinet, ſingulare, imo divinum quoddam bonum eſt: ſed bonitas ea a ſapientia animi ſplendentis et excelſi proficiſcitur: quae ſane non temere in eam cadit fortunam, ubi non ſuffragiis popu-

populorum aut ſapientum fiunt, ſed naſcuntur Reges. Sed hoc regnum quid quaeſo aliud eſt, niſi perpetuus labor pro publica ſalute ſuſceptus? Sunt enim legitimi Reges, ut ait Homerus, ποιμένες λαῶν, hoc eſt *paſtores*, quibus *populus* moderandi, regendique ſui, non conculcandi poteſtatem, et quaſi habenas credidit. Itaque non ſecus ſe gerere debent, quam tutores fideles; imo quam boni ſolent parentes, quorum maxima cura eſt, ut filiis bene ſit; et tum demum beatos ſe exiſtimare debent qui rerum ſummae praeſunt, cum induſtria et vigiliis ſuis populum et legibus et pace florere, et neceſſariis non defici vitae praeſidiis vident. Jam quotuſquiſque Principum eſt, qui non malit principatu excidere, quam talem ſe praeſtare, qualem loci ejus rationes expoſcunt? Quod ſi populorum ſudoribus, et provinciarum tributis ad luxum et tyrannidem abutuntur; atque omnia non fidei ſuae commiſſorum, ſed ſuis commodis metiuntur; ex paſtoribus fiunt, δημοβόροι, hoc eſt, *populorum voratores*, imo publicae peſtes, hoc magis pernicioſi, quo plus poſſunt. Sed non eſt quod ſibi magnopere propter fortunae vel magnitudinem vel indulgentiam placeant: nam ut hominum manus effugiant, brevi apud poſteritatem infamiam ſibi inuri ſempiternam efficient; atque illi meritas dabunt, propter perſonam male geſtam, poenas, qui unus atque idem totius orbis et Rex eſt immortalis, et aequiſſimus judex. Laudes item et gloriae et magnitudinis praeconia,

Humanis (ut ait Juvenalis) *majora bonis creduntur: ad haec ſe*

Romanus, Grajus, et Barbarus Induperator
Erexit; cauſas diſcriminis atque laboris
Inde habuit.———

Verum illa ipſa, ſi alicui non ſua virtus, ſed ſtulta opum admiratio conciliat, vel metus extorquet; quid aliud ſunt, niſi merae aſſentationes, et mendacia ſub laudis perſona imponentia?

At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis (ut inquit Tragicus poëta) *quam voce laudari volet.*

Ageſilaus tam in laudibus quam vituperationibus, non tam laudati, quam laudantium mores et ingenium ſpectari oportere cenſuit: ut qui veram laudem eſſe non crederet, aut honorem, quem vulgus non tam virtuti quam opibus deferre ſolet. Et vulgaris iſta nobilitas quid aliud eſt, niſi opinio quaedam praeſtantiae majorum ex oblivione nata? *Cum nemo ne Regum quidem ſit*, ut inquit Seneca, *cujus majorum ſeries non alternatim ex ſplendidis ſordidiſque conſtiterit.* Hanc ſi avitae pararunt divitiae; quid nobile habere poteſt id, cujus origo tam vilis eſt, et cum ſordibus, fraude, injuria, atque omni indignitate plurimum conjuncta? Si majorum hanc pepererunt virtutes; ut illae meae non ſunt (non enim propagatione generis, ſed induſtria propria virtus paratur) ita nec majorum nobilitas. Neceſſe eſt nobilitatem, ut mea ſit, ex mea eſſe virtute, et non ex aliena. Corporis valetudinem quamlibet firmam, robur, voluptates, ac ſpeciem omnem, tum aetas, tum levis

vis morbus, aut obláeſio demoliuntur; mors, quae ſemper impendet, totam ſuperbi cadaveris gloriam momento extinguit. Finge animo aliquem vel hujus vel exacti temporis Narciſſum, aut Adonida, aut Ganymedem, vel Helenam, vel Venerem ipſam; num a funere iiſdem alia eſt ſpecies, quam ſit excarnificatis illis oſſibus, qui ex latronum furcis dependent? Niſi forte pulchriora eſſe putes cadavera, quae ſub terra, et ab oculis noſtris remota, jam vermium nidi et pabula, quam quae ad ventos ſuſpenſa computreſcunt. Et tamen hujuſmodi res ſunt, propter quas tam dulciter inſanire juvat, et ſi ſuperis placet,

Οὐ νέμεσις τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Hoc eſt,

Nec fuit indignum Danaum Troumque catervas
Tot mala pro tali longum tolerare puella.

Vita quoque ipſa tandem, quae rerum cariſſima eſſe ſolet, num aliud eſt, quam perpetuus ad mortem curſus? Et tamen miramur atque indignamur, cum ad finem curſus eſt perventum, qui perpetuo currebamus. Etenim, ut clepſydram non ſola, quae ultima excidit, gutta, ſed etiam priores exhauſerunt; ſic non tantum ſupremo die, ſed toto etiam interjecto tempore emorimur. Sed quia curſus terminum, hoc eſt, ſupremum diem, opinionis errore longe adhuc abeſſe nobis perſuaſimus; vel quia animum ab eo cogitando averti-

mus; futilibus laetitiis falſum animum delinimus, incredibiliter conſternati cum curſum inopinato intercipi ſentimus. Sed certe jam lata eſt ſententia, ducit nos omnes lictor, adempta eſt omnis effugii ſpes,

Serius aut citius ſedem properamus ad unam.

In hoc tantum eſt diſcrimen, quod tu cras, ego fortaſſe hodie extinguendus ſum. Doctiſſimus meus Vintonienſis Antiſtes Stephanus, perinde nobiſcum agi dicere ſolet, ut ſi hic ad primum ab urbe lapidem, alius ad ſecundum, et ita deinceps ad certum aliquem terminum ſit ſtrangulandus. Quae ergo dementia eſt, rem tam fragilem, et ex cujus productione tantum haurimus calamitatum, tanti facere et tam perdite adamare? Animiſne inflabimur precarii ſpiritus animalcula, et longas inchoabimus ſpes, magnaque nos facturos minitabimur, cum ex tam tenui filo omnis haec inflatio atque rerum noſtrarum ſuperbia dependeat? Ergo cum tanta ſit bonitatis exilitas in iis, quae tum ad corpus, tum ad fortunam pertinent; ab iis et animum et oculos ad coeleſtia et ſublimia attollamus; et σῶμα, hoc eſt, *corpus*, σῆμα (quod eſt *ſepulchrum*) eſſe intelligamus mentis: ex quo tamen ſapientiae beneficio adjuti caput proferre poſſumus, et ſupernarum rerum qualicunque aſpectui adſueſcere, *non aliter* (ut inquit Seneca) *quam opifices ſolent, qui ex alicujus rei parum conſpicuae in luce maligna inſpectione, ubi oculos defatigarunt, prodeunt in apertum illuſtrium rerum intuitu oculos recreaturi.* Hunc ad modum niſi nos ſedulo exerceamus

mus, ſemper cum illis, qui in ſpecu Platonica vincti has rerum umbras admirantur, commorabimur. Plato, ſane philoſophorum longe religioſiſſimus, corpora omnia rerum incorporearum umbras eſſe duntaxat ſtatuit, et corpus cum affectibus ſuis obſcurae ſpecus et vinculorum vice eſſe; quo fit, ut verarum rerum aſpectum perferre non poſſimus. Ac, ut dormientes fallacia illa ſomniorum viſa deludunt; itidem et nos vigilantes circumfuſa haec corporum ſpecies. Ridemus canem Æſopicum, qui abjecto eo carnis fruſto, quod dentibus tenebat, ſe demerſit in aquam, umbram captans quae majuſcula apparebat. Ridemus item et aves ad uvas, quas Zeuxis pinxit, devolantes: et non animum advertimus, noſmetipſos longe turpius a circumfuſis his verarum rerum umbris decipi; et unamquamque rem hoc eſſe pretioſiorem, quo longius a corpulentia abſceſſerit. Socrates apud Xenophontem hoc argumento ſatis evidenter oſtendit, omnem hominis dignitatem eſſe ex animo: quod ſimul atque is corpus deſeruit, etiam cariſſimorum aſpectum ferre amplius non poſſumus, ſed ſtatim tumulo cadavera obruimus.

DEMET. Fac quaeſo iterum audiam verſus illos, quibus juvenem tibi amicum in amores prolabentem ut ſe contineret nuper admonuiſti. Nam tale aliquid, quale nuper explicaſti, mihi complexi eſſe viſi ſunt.

FLOR. Nimium longe evagarer, ſi iſthuc facerem: ſed ut ne omnino fruſtra rogaveris, eorum paucos recitabo.

Ecquid amas, qui corpus amas, niſi putre cadaver,
Quod tegit in paucos blanda figura dies?
Negligis infelix animum, licet omnis in ipſo
Sit poſitus noſtrae nobilitatis honos.
Hic ſapit, hic potis eſt rerum cognoſcere cauſas,
Et terris poſitus ſe ſuper aſtra vehit.
Nec levis haec, quam adfert animo ſapientia, laus eſt,
Si rerum expendas callidus ingenium.
Non habet hoc quicquam, quamvis habet omnia, majus
Aurea qui coeli dirigit aſtra Deus.

Franc. Ne Demetrio noſtro in amandis tuis ſtudiis cedere videar, referam ſingularis illius tui carminis, quod recens compoſuiſti, partem, huc proprie pertinentem: adeo enim ea delectatus ſum, ut ad verbum teneam: ita enim ſcribis:

Quicquid luminibus vides,
Et quicquid manibus tangis amabile,
Cuncta haec pulvis et umbra ſunt,
Et noctis brevis hujus mera ſomnia.

Flor. Habeo profecto gratiam utrique veſtrum; ſed tibi praecipue Franciſce, qui noſtra haec, licet humilia ſint, ſtudia eo ſis dignatus honore, ut etiam ſcriptionis noſtrae partem ediſcere ad verbum, et memoriter pronuntiare te non piguerit. Sed ad rerum explicationem redeamus. Jam vidimus quae ſint fallacia et exigua admodum bona: nunc breviter nobis quae vera et magna ſunt percurrentur. Eſt autem hoc commune omnibus animi bonis, ut propter excellentiam ſuam hominem bonum reddant et perficiant. Ho-

Horum ipſorumque altera ad ingenium pertinent, quae ſunt ſapientiae ſtudia: altera pertinent ad voluntatem, quae praeclaris quibuſdam habilitatibus inſtructa nullas habet appetitiones, niſi honeſtas. Et quoniam *callidi rerum aeſtimatores*, ut ait Cicero, *prata et areas magno aeſtimant, eo quod huic poſſeſſionum generi minime quaſi noceri poſſit;* merito nobis plurimi ea ſola facienda ſunt, quae ſunt ſupra tempus, atque fortunam poſita: qualia diximus ea eſſe, quae ad animum pertinent. Et ut in priſtinis veſtigiis quodammodo perſiſtamus, verum Aurum animi credamus eſſe ſapientiam; quod cum ex ſacris libris, tum ex Platone diſcere licet: apud quem in Phaedro Socrates ſic votum concipit; *Amici Pan, et alii qui locum hunc colitis Dii, date mihi ut intus pulcher efficiar: et quaecunque extrinſecus habeo intimis ſint amica; Divitem autem ſapientem ſolum exiſtimem: tantum vero mihi ſit auri, quantum nec ferre nec trahere queat alius, niſi vir temperans.* Hoc extremum dictum puto, quod Dei ſit immenſa ſapientia, quam nefas eſt optare: intemperantium nulla, vel nimium exilis: temperantium magna, et quam conveniat a Deo poſtulari. Veram item Potentiam, et verum Regnum exiſtimemus, affectus habere in poteſtate, et barbaras cupiditatum gentes rationis frenare imperio; et ſic animum virtutum communire praeſidiis, ut nullis poſſit fortunae telis debellari. Nullam turpem, aut damnoſam eſſe ſervitutem ducamus, praeterquam dum divina noſtri pars obſequitur affectibus. Non enim externus hic ſtrepitus, aut fortunae fulgor, ſed invicta animi virtus eſt, quae veram conficit excellentiam. *Nemo*, inquit Se-

nec

neca, *ex lis, quos purpuratos vides, magis felix eſt, quam ex illis, quibus ſceptrum et chlamydem in ſcena fabulae aſſignant. Homines ſi aſcititiis ornamentis et fortunae mendaciis detractis aeſtimes, ſolus ille magnus eſt, qui erectis luminibus gladios micantes videt, et ſcit ſua nihil intereſſe, utrum per os anima, an per jugulum exeat: qui admonitus corporis inſtare tormenta et formidines eas quas tyranni injuria attulerit, ſecurus illud ſecum repetit,*

——Non ulla malorum,
O virgo, nova mi facies inopinave ſurgit.

Hinc eſt illud poëtae cognominis Senecae in Tragoediis:

Mens regnum bona poſſidet:
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Et perquam appoſitum eſt, quod Plutarchus ſcribit; cum ſtulti exiſtimant divites felices, *perinde eſſe, ac cum pueri beatos putant nebulones miſeros, cum in ſcena ſaltant aureis induti veſtibus.* Vera gloria eſt, re ipſa niti; non pendere ex vulgi et imperitae multitudinis opinionibus. Ad eam *recta et compendio*, quemadmodum Socrates praecepit, *ibimus;* ſi tales eſſe ſtudeamus, quales haberi volumus. Sed quoniam ea, quae ab hominibus etiam ex merito contingit, et temporum et locorum anguſtiis eſt definita, et fatali quodam interitu evaneſcit; opera danda eſt, ut colenda virtute nos ſuperis gratos efficiamus, ex qua una re ſolida et ſempiterna claritas exiſtit. Cur autem neminem habe-

re

re debeat magnum ſtudium nominis ſui in honorem adducendi, infra, cum erit locus, latius explicabitur. Vera Nobilitas non eſt, ſummo inter homines naſci loco; neque is vere illuſtris eſt, cui nihil ſit praeter id, quod ex bulga matris attulit. Verum, ſi quis magna animi contentione mentis defendit dignitatem; et ſolicite cavet, ne degeneri ſordium hujus vitae amore natalium claritati, hoc eſt, coeleſti animorum origini obſcuritatem aliquam offundat, is demum vere et ſerio nobilis eſt. Et quoniam omnis vere nobilitatis fundamentum eſt virtus; quiſque ea praeditus eſt, eſt praecipue nobilis. Merito itaque apud Salluſtium queritur Marius de impudentia quorundam, *qui cum ipſi ignavi et ſocordes eſſent, nobiles tamen haberi poſtulabant, propter majorum ſuorum virtutes; et tamen illud ipſum Mario non concedebant propter ſuum, quod ſibi ſumebant ob alienum. Vulgi hic error eſt, nec haec nomina*, (ut ait Seneca), *Eques, Servus, Libertinus, ſunt nata, niſi aut ex ambitione aut injuria.* Verum Robur eſt animi magnitudo, nihil praeter turpitudinem extimeſcentis, et indigne quodammodo ferentis ſe diutius intra abjecti hujus corpuſculi anguſtias concludi; in quo nihil ſit aſpici dignum praeter artificis ingenium. Et profecto erumpere conaretur, niſi naturae id legibus vetitum eſſet, excelſus et fortis animus. Luctari item aſſidue cum fortuna, et non ſuccumbere; et non modo non timide, ſed etiam cupide, cum res poſtulat, ſe periculis offerre; neque mortis metu ullas defugere difficultates, quae ſint cum honeſtate conjunctae; magni roboris, et generoſi animi indicia ſunt illuſtria: et contra, ut Poëta ait,

Dege-

Degeneres animos timor arguit.———

Vera Sanitas eſt, cum non labefactatur ſalutaris illa animi conſtitutio; quae tunc adeſſe intelligitur, cum ſenſus et appetitiones non diſcrepant a ratione: cum mens Deo paret, affectus item menti: ſic, ut nulla ſit in illis anticipatio, quae rationis judicium non exſpectet; neque tarditas aut mora, cum imperata ſunt faciunda. Haec obedientia eſt, quae conficit harmoniam illam virium, quam ſanitatem vocamus. Ea ſi deſit, quantaſcunque corpus vires habeat, non aliter quam furioſi, aut phrenetici, Seneca validum eſſe ait. Et quemadmodum corpus aegrotum, dum non admittit quod ſuum eſt, multarum abſurdarum rerum gignit appetentiam; ita aegrum animum vel ex hoc deprehendas, quod votorum novitate ſemper inquietetur, et curis diſtrahatur variis. Formam item hominis ex animi luce atque figura aeſtimandam judicavit Socrates: qui poſtquam diutius puerum praeſtanti forma ſilentem contuitus eſſet; *Loquere*, inquit, *adoleſcens, ut videam te;* perinde ac exuvium duntaxat hominis ſit corpus hoc, aut figura, quae digito demonſtrari poteſt, et mens cujuſque ſit ipſe. Formoſi ergo ſumus, cum nulla morum pravitas animae partium convenientiam laedit; nulla ignorationis obſcuritas, aut corrupti affectus livor eum, qui ex virtutibus eſt, colorum vigorem inficit. Voluptas ipſa cum ex adeptione atque ſenſu boni naſcatur, conſentaneum eſt, ut tum maxima ſit, cum id quod optimum, parti illi, unde omnis ſenſus atque cognitionis vigor eſt, conjungitur. Deum enim beatiſ-

ſimum

ſimum eſſe nemo negat; cui tamen non aliae, quam mentis adſunt voluptates: quod etiam philoſophi magno conſenſu ſtatuunt, dum in ſe ipſo aſpiciendo aeternam degit aetatem. Imaginem ejus ſibi dat animus noſter, dum ſe ſublimium rerum cogitatione et veritatis indagine paſcit et oblectat. Cogitur idem interdum ob domicilii hujus ingenium quieſcere, aut in rebus verſari humilioribus. Sed quemadmodum radii Solis, quanquam terram contingunt, haerent origini ſuae; ita nobis ſic terrena ſunt inſpicienda, ut perpetuo coeleſtis originis memores, nos a praeſtantium rerum complexu divelli non patiamur. Falſa ergo eſt hominequeindigna ea ſententia, ἐν τῷ μηδὲν φρονεῖν ἥδιστος βίος· hoc eſt, *in ſapiendo nihil vivitur dulciſſime.* Tanquam ipſa ſapientia, quae una ſolidi gaudii mater eſt, veris voluptatibus officiat. Nemo tam mente captus eſt, ut, etiamſi illi id integrum eſſet, omnibus per omnem vitam corporis voluptatibus ſine interpellatione ea velit lege frui, ut nullum interea rerum ſenſum habeat, praeter eum qui in belluis vel pueris ineſt: quod ſane luculenter oſtendit, deliciarum praeſtantiam ex ratione naſci. Sed quia mentis qualiſcunque uſus nobis eſt perpetuus, eum multo minoris quam oporteat aeſtimamus. Facta jam eſt de veris bonis (ut opinor) fides: et oſtenſum eſt quantum inſit inanitatis in iſtis fortunae ludibriis, quorum fulgor exoticus atque adventitius eorum duntaxat oculos perſtringere ſolet et decipere, qui ſapientiae ſunt inanes, nec ſe totos aliquando in rebus contemplandis perſpiciendiſque poſuerunt. Conſtat item, veris et ſolidis illis bonis onerandum

com-

complendumque eſſe pectus. Nunc ſi pauca aliquot verba, tanquam coronidem, addiderim, columnae hujus explicationem deſinam. Haec quae vere bona ſunt, ſapientia, moderatio, et magnitudo animi; etſi inter ea alia aliis praeſtant; omnia tamen ob id unum bona et excellentia ſunt; quia illorum poſſeſſione atque uſu, proxime referimus illud ſummum atque unum bonum Deum; talemque ipſa animo noſtro ſtatus dignitatem conferunt, ut ille interim nihil evariet ab illa, quae in Deo ineſt, imo quae ipſe Deus eſt, bonitatis forma, quae ἰδέα dicitur. Ad hunc quo propius unumquodque, tanquam pulchri atque boni πρωτότυπον acceſſerit, hoc venuſtius eſt atque amabilius. Ex hac autem notione, quae in promptu eſt, e veſtigio conſequitur; illa etſi magna, imo ingentia bona ſunt, non tamen prorſus et abſolute eſſe propter ſe ipſa expetenda, ſed referenda eſſe ad Deum ipſum. Niſi forte tam vecordes ſimus, ut hic imaginem potius, quam rem (quod quidem ſine ſummo ſcelere non fit) complectendam putemus. Multo haud dubie, imo extra comparationem, generoſus atque ſanctius ſenſerunt Philoſophi illi, qui in ſcientia aut virtute ſummum bonum collocarunt; quam minutuli illi et plebei, quibus placuit in externis quieſcere. Veruntamen eoſdem ulterius progreſſos fuiſſe conveniebat, donec perventum eſſet ad ipſum omnis boni fontem Deum; unde omne aliud, quod vel eſt, vel bonum eſt, et ut ſit, et ut bonum ſit, habet. Nonne delectatio quam ex luce aſpicienda percipimus, ipſi luci unice accepta referenda eſſet; ſi lux ejus eſſet generis, ut ipſa nobis una et oculos conferret,

et

et ſeſe pro arbitrio tum offerre, tum ſubducere poſſet? Quocirca et ipſa viſionis ejus, quae beatitudo dicitur, dignitas omnis ex.re objecta, hoc eſt, ex Deo eſt. Animus itaque noſter, qui magnitudinis et excellentiae perpetuo atque incredibili ardore tenetur, ita ſecum ſtatuat oportet: equidem mentis particula quaedam ſum duntaxat; quamobrem omne meum bonum in te uno, magne Deus, qui tota, imo infinita mens es, agnoſcendo, venerando, atque amando poſitum eſt: imo verius ipſe omne meum bonum es: atque hoc ipſum, quod te agnoſco meum bonum eſſe, ideo bonum eſt, quia puriter tibi id, quod tibi jure debetur, tribuitur: imo hoc ipſum, quod jure fit, ideo jure fit, quia tu jus atque rectum omne es. Haec procul dubio officii ratio omnino neceſſaria eſt iis, qui ſe ſerio perfici cupiunt; dum ſummopere vitatur illa laudis communicatio, qua mentis noſtrae corruptio et ſuperbia communiter cum Deo uti perpetuo conatur; et dum nullam in nobis partem gloriae haerere volumus. Huc fortaſſe pertinet, quod myſtica illa amatrix in Canticis, poſtquam luſtrata omni urbe dilectum inveniſſet, *tenit; nec dimiſit, donec introduxiſſet in domum matris ſuae, et in cubiculum genitricis ſuae.* Siquidem poſtquam videmus Deum ipſum omnis boni fontem eſſe, imo ſolum omne bonum eſſe, cur non uni illi omnis boni laudem permittemus; neque unquam ſiſtimus gradum, donec ad omnis praeſtantiae originem atque auctorem ſit perventum? Nec vereor, ne hic procul extra philoſophiae ſepta ſim egreſſus: cum nihil hic mihi dictum ſit, quod non philoſophi ipſi, ſi ſuis principiis atque inſtitutis ſtare ve-

 lint

ſint, ſint facile confeſſuri. Sed Demetrius noſter ſe (ut video) comparat ad difficultatis alicujus propoſitionem. Quid ſubhaeſites, Demetri, libere effare?

Demet. Etſi tibi de bonorum animi dignitate facile aſſentior; ea tamen ipſa amitti poſſunt. Neque enim inficiabere, ſaepe ex ſtudioſis pravos fieri. Et ut perpetuo duret cum vita probitatis ſtudium; omnia tamen videtur ipſa mors extinguere. Quod idcirco dico; quia tu viſus es bonorum animi exaggeraſſe praeſtantiam, quod ſecus atque eſt in corporis ſuavitatibus perpetuo et aeternum permaneant.

Flor. Fac illud tibi in memoriam redeat, quod ſupra dixi de animi divitiis, ut ſint ſupra fortunae dominatum: poſſumus quidem nos ſponte noſtra deſerere officium: ſed ad ejus diuturnitatem hoc nobis ſatis eſſe debet, quod nihil inviti contra officium facimus. Et haud ſcio, an quiſquam, qui de principio recte de virtute ſenſerit, aliquando ejus ſtudium omne prorſus depoſuerit. Interveniunt lapſiones quaedam etiam in praeſtantiſſimis ingeniis: ſed non temere adeſt pervicacia. Nec temere obdureſcit is, qui ſemel perfecte tenuit quid eſſet honeſtum. Nec me fugit, proverbio etiam laudatum illud Neronis quinquennium, quo ille toto incomparabilis continentiae Principem praeſtitit; poſt nihil unquam natura crudelius aut monſtroſius vidit. Verum interdum deſunt occaſiones proferendae malitiae, ut *dum* (ut eſt apud Terentium) *aetas, metus, magiſter prohibent.* Oſtendunt item ſe ingenia; ſed non niſi

poſt

poſt aliquod tempus: ut arbores quaedam ſunt, quae ſerius fructus edunt. Itaque ipſe nunquam Neronem aliquem ne principio quidem vere bonum fuiſſe autumo, aut ſolidum habuiſſe de virtute judicium. Sed homo animal eſt appoſitiſſimum ad ſimulationes; quibus facile eſt hominibus imponere, qui penitiores animi partes et cor non vident. Verum faciamus virtutem prorſus amitti poſſe: faciamus item eandem (quod tamen falſiſſimum eſt) cum vita extingui: certe tamen nunquam non ſapientiſſimis quibuſque probabitur illa ſententia:

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Debet enim (ut ait Cicero) *nos ipſa ſuis illecebris trahere ad verum decus.* Et quamvis extinctis nobis, *ad nos (ut quidam falſo putant) nihil pertineat*, quid de nobis homines loquantur; nunc tamen certe dum hic vivimus (ut idem apud Caeſarem in ſenatu verba faciens divinitus inquit) *pertinet, nos tales eſſe, ut laudes noſtras nulla unquam obſcuratura ſit oblivio.* Sed quaeſtio iſta pertinet ad durationem animorum; de qua nobis nonnihil infra dicetur. In ſumma, ſi magnanimis omnis pro libertate contentio eſſe debet, conveniet nos libenter fidem habere iis, quae de bonorum animi praeſtantia ſunt expoſita: quandoquidem ſimul atque aliquis aliud praeter honeſtum magnum bonum eſſe judicat, in fortunae venit poteſtatem, et alieni fit arbitrii. Nihil ergo difficultatis in ſe habet haec perſuaſio; et firmiſſimis eſt ſubnixa rationibus, et incredibiles parit utilitates.

 CAP.

Cap. X. *Explicatio inſcriptionis tertiae columnae: Ne, quae aliena ſunt, propria aut noſtra eſſe putemus.*

Ad tertiam deinde columnam adductus fui; cujus inſcriptio haec erat,

ΟΥ ΝΟΜΙΖΕΣΘΑΙ ΤΑ ΑΛΛΟΤΡΙΑ ΙΔΙΑ ΕΙΝΑΙ.

qua admonemur,

Ne quae aliena sunt, propria aut nostra esse putemus.

Ex proxima rerum explicatione conſtitit, corporis et fortunae bona, vel bona non eſſe, vel certe non eſſe magna bona. Jam demus illa eſſe qualiacunque bona: ſed quid hoc nos juvare poteſt, cum noſtra non ſint, nec nobis mancipio et nexu proprie data; ſed ſemper pro alieno arbitrio ultro citroque ab hoc ad illum commeantia? Noſtra itaque bona ſunt, cogitationes appetitioneſque honeſtae. Haec libera ſunt; nec aliunde impedimentum admittunt. Opes, valetudo, gloria, et reliqua id genus, ideo fortunae eſſe dicuntur; quod nobis imprudentibus tum adveniant, tum adimantur. *Si igitur* (ut docet Epictetus) *id ſolum, quod tuum re ipſa eſt, tuum eſſe exiſtimabis; et aliena etiam quae ſunt, aliena eſſe duxeris; votis tuis* (quod ſane non parum eſt) *obſtare nemo poterit;* neminem culpabis; totius vitae tuae curſus incredibilis cujuſdam libertatis plenus erit. *Sin errore aliquo mentis,*

tis, quae aliena ſunt tua eſſe tibi perſuaſiſti; in perpetuas te ipſum conjeciſti anguſtias: certo exſpectabis quae ventura non ſunt; plurima tibi promittes quae ex animi ſententia non ſunt proceſſura: unde protinus animi exiſtunt aegritudines, debitum ſane ſtultitiae tuae praemium. Tum Deum, tum homines iniquos eſſe querere, aut rerum imperitos, qui non pro tuo arbitrio tui rationem habuerint: cum tamen ipſe et ſtolidus et iniquus ſis, qui, contra quam ratio poſtulat, quod tuum non eſt, tuum eſſe aut putaris, aut volueris. Praedium aliquod tibi vi extortum eſt, pecunia fraude adempta, arca expilata eſt: his acceptis damnis graviter ingemiſcis. Et cur ita obſecro, niſi quia falſo tuum eſſe exiſtimabas id, quod re vera fortunae, et non tuum fuit? Repoſcit illa quod dedit: reddidiſti tu quod mutuo aut commodato paulo ante acceperas. At dices, Etſi mutuo acceptum poſſederim; non conveniebat tamen id aut tam cito repoſci, aut per fraudem vel vim eripi: idque multo indignius eſt, ſi amicus ſit habitus, atque ex ſinu fuit is qui fefellit. Stolide, an illud te fugit, nullum fuiſſe condictum tempus, nullum praeſcriptum diem, ad quem redderes; quin potius rem ea tibi creditam lege, ut qua viſum eſſet hora, et per quos, et quomodolibet repeteretur? *Et quid tua refert* (ut ait Epictetus) *qualis ſit is, per quem creditor commodatum repoſcit, aut nomina exigit; improbus ſcilicetne an probus ſit de repetundis ad te miſſus nuntius?* Extra enim cauſam haec ſunt: in fortunae, quae credidit, arbitrio haec poſita ſunt: tu tantum nomina aequo animo expedi. Alius te fortaſſe, etiam nullo tuo merito,

vituperat, et exiſtimationi illudit: alius in exitium tuum, peſſundatis humanitatis legibus, iracunde incurrit. Hic tu protinus excandeſces, quod jamdudum honores tibi ab omnibus deberi, adeoque et eos tuos eſſe tibi perſuaſeris: quare illum, qui non defert, aut qui obſiſtit gloriae, aut claritatem oppugnat, pro hoſte et plagiario habes: nec conſideras, id quod petebas, ex eorum numero, quae extra te, quaeque aliena ſunt, eſſe: eoque inconſulte et temere abs te factum, qui aliena; et quae incerti ſunt eventus, certo exſpectaris. Hic te ut ſtupidum aut deformem irridebit: quid tum? Ille contemnet ut inopem, aut ignobilem: quid tum? Alius infamabit, et ad plebem traducet: quid tum? Num tu adeo conſilii inops es, ut propterea te ipſum totum ira conflagrare patiare? et non potius aliena fruere improbitate atque inſania? Ita fortaſſe illi apparet; loquitur ut ſentit. Nae tu ridiculus es, ſi idcirco ſuccenſes, quia ille non pro arbitrio tuo de te ſtatuit, nec tanti te facit, quanti tu tibi videris, aut quanti fieri poſtulas. Num in manu tua eſt, rerum imagines in illius cerebro concluſas ſic conformare, atque alienas cogitationes in eam ſyllogiſmi formam diſponere, ut inde, ſi ſuperis placet, ἀπόδειξις aliqua, et neceſſaria laudum tuarum aſſenſio exſurgat? Hunc dominatum in cogitationes ne Deus quidem ipſe ſibi ſumit. Proficiſcuntur (fateor) injuriae a ſtultitia. Sed num illud in arbitrio tuo eſt, ex ſtultis ſapientes reddere? Hoc vix in te ipſo praeſtas: vide ſis tunc, qui id in alio poſſis. Ex ſtultis autem quid eſt exſpectandum, praeter ſtulta et iniqua? Legum metus, et poenarum acer-

acerbitas reprimit interdum erupturas alioqui injurias, hoc eſt, ſtultitiae fructus: verum arborem, aut radicem, hoc eſt, ſtultitiam tollere nequeunt. Socrates, apud Xenophontem, in ejuſmodi offenſionibus aliam quandam leniendi animi rationem attulit. Is cum amicum quendam indignabundum conſpexiſſet, cauſam eſt percontatus. Tum ille prolixe queſtus eſt apud Socratem de quodam non ita pridem a ſe officioſe ſalutato, qui tamen videns et prudens officium non agnoviſſet, neque reſalutare ſit dignatus; quin potius contemſerat, quamvis vetus alioqui ſibi neceſſitudo cum eodem interceſſiſſet. *Eo*, inquit Socrates, *tu ſtomacharis, propter quod te plurimum gaudere oporteat, ut qui alio officioſior et humanior ſis inventus?* Ad haec normam debemus nos improbitates et injurias alienas in noſtrum commodum convertere. Cato ille Cenſorius dicere ſolitus eſt, *Stultos ſapientibus majori emolumento eſſe, quam contra ſapientes ſint ſtultis:* propterea quod ſapiens inſpiciendis fatuis facile videt, quam pudendi ſint illorum errores: eoque ſedulo cavet, ne quando ſimilis eorum fiat: ſed ſtulti non eo ſunt ſenſu, ut ex ſapientum vel ſermone vel exemplis fructum aliquem capere poſſint. Sed ut ad ſuum iter calamus aberrare incipiens revocetur, familiaria et quotidiani uſus exempla tractemus. Vocaris ad convivium vel epulum, ubi tibi locus ex dignitate tua non conceditur; is inquam, quem vel genus, vel opes, vel ingenium, vel virtus, vel meritum, vel alia quaecunque tua excellentia, propter quam tibi places, requirit. Alius, qui tecum comparandus non apparet, accumbit honoratius, tibi praelatus eſt. Pulſas

item fores aedium principis, aut alicujus primarii viri: non admitteris; negligeris: interea ſuperveniet homo teruncii, cui mox et ipſum conclave patet. Hic tu indignabere? Neſcis quanti hic facilem ſermonis vel aedium aditum, aut ille potiorem in accubatione illa epulari locum emerit. Alii cognatio intercedit cum aedium domino, aut convivatore illo: alius mercedula adductus ſe praebuit miniſtrum ſceleris: alius adulatione, alius perjurio, alius arcano, et ſaepe turpi miniſterio, ad ejuſmodi gratiam atque honores ſcandit: et tu, qui nullo tali obſequio vel ratione principem, vel convivatorem demerueris, nec maleficium ullum ejus gratia faciundum ſuſceperis, paria cum illis, qui quo jure, qua injuria, vel demeruere, vel ſuſcepere, exſpectabis? Cum in forum cupediarium, aut macellum venis; ſi non avem, olus, aut cupedias domum aufers, ut illi, qui pecuniam dedere; te, qui nullam dederis, non, niſi mente captus ſis, ea res male eſt habitura. Cur ergo tibi aegre eſt, ſi in re aliqua, pro qua pretium non dederis, ille tibi antepoſitus eſt, qui pretium perſolvit? At tu fortaſſe, tecum interim muſſans, virtutes tuas aut alia quaedam tua merita, quae tibi majora videntur, jactas apud temetipſum, propter quae nihil non tibi deberi arbitraris. Illud tecum etiam expendas velim, cum te in forum contuliſſes, gammaros aut turdos in coenam comparaturus, num eo gladiolum aliquem, quem domi habebas egregie fabrefactum, aut phaleras, aut exquiſitae ſuavitatis citharam defers, et non potius nummos quorum uſus eſt cupediariis? Ita ille, a quo te injuria ſpretum quereris, non virtutibus fortaſ-

fortaſſe, ſed certis quibuſdam obſequiis tibi negatos largitur honores. Sed tu rurſus hoc vitium eſſe dices; et improbitatem cauſabere ejus, qui virtutis rationem primam non habuerit. Primum virtus non curat ejuſmodi praemia: deinde fortaſſe majora tua eſſe merita apud te ſtatuis, quàm ſint re ipſa: poſtremo, ut ille improbus ſit, tu te in praeſentia non ad illum conferebas, ut illius caſtigares vitia; ſed vel ut coenares, vel ut aliquem, qui cum tibi agendum erat, convenires. Videndum quoque hic tibi eſt et illud, illius eſſe vitium, non tuum; eoque te angi non oportere cura ejus rei, cujus directio tua non ſit. Sed certe quod male te habet, ſi te penitus excuties, eſt tui contemptus.

DEMET. Vere iſtiuſmodi conſiderationes magnum habent in omni vita uſum. Vidi et ego ſaepe magiſtratus, non tam profanos, quam ſacros et Antiſtites, qui beneficium, et ſacrarum curationum doctrinaequae ſtipendia, multo facilius conferant in lenonem aut propinquum alicujus ſcorti, quam in praeſtantiſſimos viros, et ad fungendum munera tam publica quam privata appoſitiſſimos.

FLOR. Et tu Demetri, qui nuper, fretus iſta formae dignitate et ſuavitate ingenii, operam nonnihil amoribus dare viſus es; incidiſtine aliquando in mulierem, quae Therſitem aliquem tibi praetuliſſet, quaeque nullius pretii nebulonem per ſaxa et per ignes eſſet ſecuta?

DEMET. Diu eſt quod iſtuc militiae genus deſerui, ipſeque me rude donavi. Vidi tamen profecto nonnullas ejus ingenii, eaſque et formoſas, et loco ſatis honorato natas, quae procos vel Helena dignos faſtidirent: quas nec munera, nec preces, *nec tinctus viola pallor amantium* (ut Horatii verbis utar) curvaſſet: quae tamen eaedem miſerum aliquem et deformem homuncionem, eumque vel morbo, quem populariter Gallicum vocant, obnoxium, vel podagricum, nulla famae ratione habita, tantum non adorarent.

FLOR. Quid cauſae fuiſſe putes; niſi fortaſſe quod merita quaedam antegreſſa eſſent arcana; vel quod ſimilitudo quaedam eſſet infelicis utrobique ingenii a temperamento vel ab aſtris profecta, quae mentes et affectus alio, quam ſperari poſſet, derivaret, et efficeret, ut Mopſo Niſa daretur? Inſipienter ergo admodum faciet, qui ob ejuſmodi ineptias angetur; aut qui alienum affectum, eumque natura ſua vagum, temereque deferri ſolitum, in ſe traducturum ſibi promiſerit. Plurimum itaque ineſt ſapientiae in ejuſmodi cogitatione, quae ſolerter inter appetendum ponderat, quid noſtrum ſit, quidque alienum. Hic nobis mirifice imponere ſolet caecus noſtri amor. Nam, quia ſi qua in nobis ineſt (ineſſe autem nemo non putat aliquid etiam magnum) vel corporis vel ingenii dos, pro eo quo nos amplectimur affectu, eam magni pendimus, ſemper in oculis ferimus: neque hoc contenti, itidem ab aliis fieri debere exiſtimamus: nec illud nobiſcum expendimus, alios interea ſuis quibuſdam non abſimilibus ad ſuam ipſo-

ipſorum excellentiam cogitationibus pertinentibus, non ſecus atque nos in noſtris eſſe occupatos. Siquidem non minus alii ſibi et cari ſunt et placent, quam nos nobis et cari eſſe et placere ſoleamus.

Ἦ μῦνοι φιλέυσ' ἀλόχυς μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρείδαι,———— inquit Achilles: hoc eſt,

Uxoreſne ſuas ſoli ex mortalibus ardent
Atridae.————

Ex hac agnitione eorum quae noſtra non ſunt, reprimitur vulgaris haec ſuperbia, quae ex forma, viribus, opibus, aut natalibus exiſtere ſolet. Notum eſt illud,

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

Alius illud ſecum reputat,

Aſt ego Cecropides:

qualis fuit et ille apud eundem poëtam,

——*Inflatus plenuſque Nerone propinquo.*

Graecis item proverbium eſt, τίκτει κόρος μὲν ὕβριν· ἀπαιδευσία δὲ μετ' ἐξυσίας ἄνοιαν. Quod eſt, *Parit ſatietas ferociam: et imperitia, ſi potentia ſit adjuncta, inſaniam. Verum* (ut Epictetus ait) *ſi equus, qui forma, viribus ac curſu valet, ſuperbiat, rationis aliquid ſubeſſe apparet: ſed ſi equi dominus eo nomine ſibi placeat, et de ſe magnifice ſentiat, ridiculus erit; cum in equo, non in domino, dotes illae inſint, propter quas ſupercilium*

lium attollit. Non ſecus ſane corporis et fortunae bona non noſtra ſunt, ſed animi ſapientia et virtutes. Sic vitis propria virtus eſt ubertas, non alligari aureis viminibus. Equi item robur et agilitas; non ſella aut phalerae: gladii, aciei ſubtilitas et firmitudo; non baltheus deauratus, aut vagina gemmis diſtincta: navis, velocitas, forma ſolida et tractabilis; non argenteum roſtrum, aut tutela ebore caelata. Quare ſi ſuperbire aut animo inflari fas eſſet; id tum faciundum foret, cum nobis conſcii ſumus alicujus rei praeclarae, quae ad animum pertinet; cujuſmodi eſt, perpetuo agnoſcere et revereri aeternam illam divini numinis majeſtatem: nihili pendere hujus vitae ſuavitates: mortem non magnopere extimeſcere: bene mereri libenter de quovis, cum occaſio datur: non commoveri injuriis: animo non efferri ob ullam excellentiam. Verum, quia ſapientiae ratio, et modeſtiae item reſperſa eſt per omne officiorum genus; ſtolida illa et intemperans animorum inflatio locum illic non invenit, ubi vera virtus habitat. Ex eodem item fonte adjuvatur ille animi candor; cujus curſus in nobis debet eſſe perennis. Videbis plurima adeſſe aliis, quae nec ipſe tibi dare poſſis, neque tibi ſint a quoque exſpectanda. Huic erit ingenii aut eruditionis excellentia: illi natalium claritas et ditionis amplitudo: illi opes et formoſa uxor: illi laudes ex rebus domi, vel militiae geſtis. Nihil eſt, quo hic cuiquam invideas, cum multis aliis de cauſis, tum ob hanc, quod intelligas ea commodata eſſe, non propria eorum qui poſſident: quamobrem illi ſe tibi illis nominibus praeferre non poſſunt: quod ſi faciunt, jam ipſi

ipſi ſe humiles et miſerandos efficiunt, et plane indignos, quibus invideatur; ex eo, quod gravis, illos jam corripuerit ſtultitia, qui ob exilia et non ſua bona intumeſcant. Tu contra perſiſtis excelſior in tua magnitudine, qui illud animi bonum poſſides (hoc eſt, exilium rerum contemptum ſapientem) quo non aliud praeſtantius homini contingere poteſt, et in quod fortuna jus non habet ullum. Merito itaque et facile fidem invenire debet haec tertiae columnae doctrina; cum nihil illa tradat, quod non omnium, qui vel ſenſus communis aliquid habent, confeſſione ſit comprobatum.

Cap. XI. *Explicatio inſcriptionis quartae columnae: Turpiter et fruſtra ab externis requiem petes.*

Poſt ſe nobis obtulit columna quarta; cui haec inerat ſententia,

ΑΙΣΧΡΩΣ ΚΑΙ ΜΑΤΗΝ ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΕΞΩΘΕΝ ΤΗΝ ΗΣΥΧΙΑΝ ΑΙΤΗΣΕΙΣ.

Hoc eſt,

TURPITER ET FRUSTRA AB EXTERNIS REQUIEM PETES.

Jam oſtenſum eſt, oportere flagrans perficiendi ſui ſtudium adeſſe. Oſtenſum eſt item, et quae vera ſunt bona, quibus quod volumus effici poſſit:

ſit: et quae ſunt, quae, quamvis bonitatis aliquid habeant, noſtra non ſint. Jam jure proxime ſequitur admonitio; ne, contra quam paſſim fit, tantum operae ponamus in quaerendis illis externis et alienis bonis, ex quibus nulla unquam futura ſit animi expletio aut ſaturitas. Eoque intelligendum eſt, plane animo intrinſecus eſſe quaerendum id, unde tranquillior effici queat; et in mentis penetralibus id poſitum eſſe, unde abſoluta requies ſit exſpectanda. Eſt autem in promptu quadruplex ratio, cur animus ab erraticis iſtis et mendicis excurſionibus ceſſare, et domi ſuae ſe continendo, inde, unde petenda ſunt, vera bona quaerere debeat. Primum, quod plerumque tam ſtulta ſunt noſtra vota, ut ea, quae vel corpori, vel animo, vel interdum utriſque ſint nocitura ſuperos flagitemus. Rem hanc Juvenale non facile alius melius explicavit: ita enim ſcribit:

——Nos animorum
Impulſu, et caeca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.

Profert deinde exempla et ruinas maximorum Principum, quos fortuna in hoc altius extollere viſa eſt, ut poſtea gravius praecipitaret.

Quid Craſſos, quid Pompeos evertit, et illum
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

pro-

Profert item duos oratores, alterum Graecae, alterum Romanae facundiae longe principes; quorum utrumque

Largus et exundans leto dedit ingenii fons.

Fabulantur poëtae de Theſeo, ut iratus inter alia de Neptuno avo optaverit, Hyppolitum filium a noverca ſtupri accuſatum perdi: quod dum impetraſſet, poſt, ubi falſum novercae crimen patefactum eſt, in maximos luctus incidit. Jure igitur, ut eſt apud Horatium,

Terret ambuſtus Phaeton avaras
Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegaſus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Animis autem officere indulgentiam fortunae, notius eſt quam ut multis explicandum ſit verbis. Nemo noſtrum tam feliciter natus eſt, ut non plurimum ſit illi ſtultitiae ingeneratum: fortunae benignitas adjuncta plane ex ſtultis inſanos facit. Quam prudenter poëtae dictum eſt,

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futurae,
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis.

Quam item appoſite dictum eſt Horatio, *Fortunaque dulci ebrius.* Praeſtat itaque non raro fortuna tenui et obſcura, quam opulenta et illuſtri uti: niſi forte nos ea habeat dementia, ut probine, an improbi ſimus, nihil intereſſe putemus. Iſtud ſi

bonis

bonis contingit, ut fortunae illecebris frangantur; profecto qui malis addit opes et gloriam, is febricitantibus miniſtrat vinum, bilioſis mel, coeliacis opſonium. Suppeditant hic annales exemplorum vim infinitam. Sed quid opus eſt annalibus, cum ipſi noſtris oculis quotidie cernamus, ad quantam paſſim voluptatum et vitae inſolentiam eos deducere ſoleat fortuna, quos amanter amplectitur? Omni igitur tibi pede (quod aiunt) eſt ſtandum, ubi illa blanditer arriſerit. Timeas Danaos, et dona ferentes. Imo (quod de amore fugitivo Moſcho dictum eſt)

——Καὶ ἢν ἐθέλῃ σε φιλᾶσαι,
Φεῦγε· κακὸν τὸ φίλαμα, τὰ χείλεα φάρμακον ἐντί.
Ην δὲ λέγῃ, λάβε ταῦτα, χαρίζομαι ὅσσά μοι ὅπλα,
Μή τι θίγῃς· πλάνα δῶρα· τὰ γὰρ πυρὶ πάντα βέβαπται.

——*Quod ſi oſcula tentet,*
Oſcula prava procul fugias, ſunt labra venenum.
Cuncta precor capias, tibi do mea, dixerit, arma.
Dona dolosa cave, tota haec ferus inficit ignis.

Deinde et illud moleſtum eſt, quod ſaepe optamus quae ſunt pugnantia, et copulari nullo pacto queunt: ut cum quis magnam vitae partem vult in conviviis, et libidinibus, atque inter citharas degere, et nihilo minus praeſtans in philoſophia, aut re militari haberi. Hac de re non incommode nos admonet apologus ille de corvo; quem arbori inſidentem vulpecula ad radicem poſita falſis laudibus inflavit, atque impulit, ut de cantu etiam

etiam cum cygno certaret. Corvo dum canere occipit, praeda, quam ore tenebat, decidit: quam mox arripiens vulpecula, corvi glorioſos irriſit conatus. Finitimam ſententiam complectuntur verſiculi quidam, qui adoleſcenti mihi lecti ſunt; quos tamen non ſatis fideliter cuſtodivi. Sed hi ſunt, vel non longe diverſi:

Ruſticus ex malo dulciſſima poma legebat,
Unde dare urbano dona ſolebat hero.
Aſt herus illectus fructus dulcedine, malum
Tranſtulit in laribus proxima rura ſuis.
Sed quia malus erat ſenior, translata repente
Aruit, et proles cum genetrice perit.
Tunc ſua triſtis herus ſero vota improba damnans,
Ulterior fructus ſpes ubi nulla fuit,
Et merito et ſuperum juſſu mihi contigit, inquit,
Hoc, cui non fuerat carpere poma ſatis.

Nam ut in diſciplinis pleraque ſunt enuntiata, quae per disjunctionem prolata manifeſtam praeferunt veritatem; eadem ſi conjuncte enunties, abſurditate rerum aures continuo offendis: ut ſi vel luce, vel tenebris aëra compleri dicas, res nullam admittit dubitationem: ſi et luce et tenebris una compleri dicas, ſtatim te omnes hominum coetus ſunt cum irriſione exploſuri. Ita in moribus multa ſeparata conſiſtunt, quae fruſtra copulare ſtudeas. Et hoc eſt quod ſacrum Evangelium dicit: *Neminem ſimul poſſe duobus dominis*, hoc eſt, *Deo et Mammonae* (eſt vox haec a Judaica lingua ducta) *inſervire;* Chriſto et hominibus placere. Hinc eſt quod laudes et praemia volumus

ſine labore: in tumultuoſa hac mundi parte degere ſine cura: homines eſſe, et perpetuo hic vivere: ſapientes ſimul et amatores eſſe; et Chriſtiani et ſcelerati. Hic ſemper nos ponderare conveniet, quid poſtulet decorum; ut ſummopere vitemus ſtultam hanc pugnantium rerum cupiditatem. Sunt pleraeque res, quarum in naturis nulla ſit pugnantia; quae tamen ipſae ideo ad conjugationem duci non poſſunt, quia vel vita brevis eſt, vel infirmitas humanae facultatis eſt tanta, ut vel artium percipiendarum, vel munerum explendorum varietati aegre ſufficiat. Non enim magna et interior philoſophiae cognitio reſpuit multarum linguarum peritiam; imo plurimum ab ea adjuvatur. Nec medicina et poetica pugnant: nec fortaſſe pontificatus et ſceptrum. Verum haec non facile in eodem invenias: propterea quod ea ſit praeclararum artium ac illuſtrium munerum in homine difficultas, ut ſingulae prope ut integrae conſiſtant, totum ſibi vindicent animum. Poëta aſſidue ſe abdit in nemora et ſpecus, inter Muſas verſans. Medicus corporum noſtrorum lapſionibus perveſtigatis, remedia comminiſcitur. Pontifex totus eſt in animorum curationibus; ad quas ex tranquillae contemplationis portu ſubinde egreditur. Profanus magiſtratus de civilibus cauſis cognoſcit, et in praeſentis vitae rationibus verſatur. Quo fit, ut cum nemo alterutrum plene praeſtare poſſit, ſuperfluo ſibi quis utrumque uſurpet. Et hic ergo contrahenda eſt votorum immenſitas, et intra quoſdam rationis terminos includenda. Poſtea et illud conſiderandum eſt, nos ſaepiſſime fruſtrari illis ſpebus, quas tam ardenter et ambitioſe ſequimur.

mur. Quis noſtrum tam ſtupidus eſt, ut ignoret, veriſſimum eſſe, quod ait Homerus,

Ἀλλ' ὐ ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Hoc eſt,

Jupiter haud ſemper facit ut potiare cupitis.

Verum ut eventus ex ſententia (interdum quod fit) procedat, optatorum pars aliqua contingat: uſu venit tamen ſaepe, ut rurſus opinione celerius auferatur; imo ut longe in diverſum cedat, et gaudium breve in ſempiternum luctum convertatur. Celebratiſſimum eſt illud apud Herodotum, et apud Plutarchum item, Solonis ad Croeſum reſponſum. Rex ille ob opulentiam incredibilem exiſtimabat ſe à Solone praedicatum iri beatum. Verum ille, cui ſemper fortunae inconſtantia (quod ſapientis eſt) ob oculos erat, pronuntiavit, *Neminem ante hanc vitam exactam beatum dici poſſe.* Quod poſtea ſtolidus Rex a Cyro bello victus et captus, uſu ipſo verum eſſe comperit.

——*Regem pertranſeo Ponti* (ait Juvenalis)
Et Croeſum, quam vox juſti facunda Solonis
Reſpicere extremae juſſit ſpatia ultima vitae.

Neque tamen propterea jure cum fortuna expoſtulare poſſumus: quandoquidem, ut proverbium habet, improbe Neptunum accuſat, qui bis naufragium facit. Quis noſtrum non periculo ſuo doctus eſt, quam levis, quam lubrica, et quam deni-

que perfidioſa ſit illa? Quem non illa bolo etiam aliquando e faucibus erepto deluſit? Et nos ulterius ab eadem quicquam certo exſpectabimus? Caeca depingi ſolet, et ita vulgo apparet, propter iniquiſſimam munerum ipſius diſtributionem. Sed certe non illa caeca eſt; ſed nos, qui compertum habentes illius ingenium quicquam illi confidimus: perinde itaque facimus, ac ſi caecus in eum, qui videt, impingens videntem caecitatis inſimulet. Sapienter itaque Senecae ſcriptum eſt, *Ludos facere fortunam; et in hunc mortalium coetum honores, divitias, gratiamque projicere: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt; alia infida ſocietate diviſa; alia magno detrimento accipientibus fuerunt; quibuſdam aliud agentibus inciderunt; quaedam quia nimis captabantur amiſſa ſunt. Nulli, cui rapina feliciter ceſſit, gaudium diu duravit. Itaque cum in theatrum ab ea ſpargi munuſcula vides, fuge. Nemo manum conſeret cum excedente: nemo feriet exeuntem: circa praemium rixa eſt; demus raptoribus locum.* Sed adhuc reſtat haec omnium potiſſima doctrinae hujus ratio. Fac tibi eſſe Tantali opes, vel Arabum gazas: fac terreni orbis eſſe imperium: fac virgulam illam eſſe divinam, omnia pro nutu ſuppeditantem: non tamen ſic cupidinum hiatus, aut egeſtatis lacunae compleri poterunt: non deſideriorum reſtingui ardores; quin potius adauxeris: et quantacunque fiet acceſſio, erit quod dici ſolet, τῷ ἐλαίῳ πῦρ σβεννύειν, hoc eſt, *ignem oleo extinguere.* Vides id quod ait Cicero, *Homines his rebus circumfluentes maxime deſiderare quae habent.* Siquidem ut ſcabioſum membrum ſemper eget frictu; ita cupiditas nunquam ſatiatur. Hujuſce rei rationem ſi requiris; illud

illud tecum reputa, animum incorporeum eſſe; adeoque ex verorum tum entium tum bonorum genere: quapropter hunc non magis externis bonis (quae ſupra verarum rerum umbras eſſe docuimus) expleveris; quam vacuum et eſurientem ventriculum eo epulo, aut πανδαισία, ubi omnis generis depicta duntaxat eſculenta apponantur. Tantum tibi ſit auri atque gemmarum, ut ea pedibus conculces, ab ea ipſa luxuria majora ſemper diſces concupiſcere. Et, quemadmodum Narciſſus, ad ſui umbram in fonte viſam inhians,

Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera creſcit.

Ita quicunque ſpem ſine corpore amat, a redivivis cupiditatibus, atque aqua intercute, cujus ſitis perenniter renovatur, eſt detentus. Alexandrum illum, cognomento verius quam re Magnum, illacrymaſſe fertur, cum audiſſet Anaxagoram de mundorum multitudine diſſerentem. Fletus cauſam ab amicis rogatus, *Non videor* (inquit) *vobis merito flere, qui cum mundi ſint plurimi, nondum unius ſim factus dominus?*

Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyarae clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.

Cernere eſt et aetatis noſtrae Monarchas, divina humanaque miſcentes regnandi libidine, hoc eſt, ambitionis explendae gratia. Non vident majus jam onus humeris ſuis impoſitum eſſe, quam ſint ferendo: eoque potius rationes quaerere debere,

cur alios in oneris partem aliquam admittant, quam tam iniquis et crudelibus modis imperium propagare. Non debent magiſtratus ſuis deeſſe, cum vis externa adhibetur: ſed cavendum eſt, ne ſub praetextu juris, cupiditati aut privatis rationibus ſerviatur. Ergo, quod Seneca praecipit, *oportet ſpes effrenatas, et animum nunquam praeſentibus aut ſuis bonis contentum, ſed ſemper in futura eminentem, velut ſub vinculis habere; et id agere, ut divititas, voluptates, et honores, et quaecunque in expetendis haberi ſolent, a nobis ipſis potius, quam a fortuna petamus.* Sibi confidat animus, ſe ipſo gaudeat, ſua ſuſpiciat, recedat quantum poteſt ab alienis, ut ſe ſibi applicet: illud quod eſt apud Plutarchum perſuaſiſſimum habens, non magis animorum moleſtiam fortuitarum rerum affluentia levari, quam calceo aureo articularem morbum, aut annulo rediviam, aut diademate capitis dolorem. Sed, cum a natura nobis tributum ſit, ut vitam hanc tueamur; atque haec tutela ſine externarum rerum uſu conſiſtere non poſſit; tantum hoc praecipitur, ne immodice et cupidius ad externa efferamur, tanquam illinc ſaturitas aut requies aliqua animi veniat. Tantum quod aequum eſt moderate ſperemus, ad ea etiam quae iniquiſſima ſunt nos comparantes. Hoc certe magni eſt animi, magna iſta contemnere, et mediocria malle quam nimia. Naturam ſequamur ducem, quae ſane paucis et parabilibus contenta eſt. Fines quoſdam frugalitatis ipſi nobis conſtituamus: aliis ſuas copias, aut excellentias iſtas vulgares minime invidentes. Neque enim uni alicui ſuperi omnia concedunt: ſed, ut de Achille dictum eſt Homero,

Tῶ

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε·

Quod eſt,

Annuit hoc illi divum pater, abnuit illud.

Nec immerito Platoni placuit illud Heſiodi,

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ·

Hoc eſt,

Inſipiens toto quanto plus dimidum ſit
Neſcit, et aſphodeli quae ſint vel commoda malvae.

———*O vitae tuta facultas* (inquit Lucanus)
Pauperes anguſtique lares: ô munera nondum
Intellecta deûm.————

Quod ſi non gravabimur ab externis, hoc eſt, illis quibus vera religio ignota erat, frugalitatis exemplum ſumere; audiamus eundem poëtam, Catonis, magni plane ſpiritus et ingenii hominis, mores nobis deſcribentem.

———*Hi mores, haec duri immota Catonis*
Secta fuit: ſervare modum, finemque tenere:
Naturamque ſequi, patriaeque impendere vitam.
Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulae, viciſſe famem: magnique penates,
Summoviſſe hiemem tecto: pretioſaque veſtis,
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: venerisque huic maximus uſus,

Progenies: urbi pater eſt, urbique maritus.
Juſtitiae cultor, rigidi ſervator honeſti:
In commune bonus, nulloſque Catonis in actus
Irrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Multum ſane appoſite Horatius *auream* dixit *Mediocritatem:* quae tamen eadem ita accipienda eſt, ut ad paupertatem potius, quam ad opes vergat. Et, ut res noſtra omnis ſit in vado, etiam dum pauca illa et parabilia conſectamur, non inutile fuerit, nihil nobis unquam futurum polliceri, niſi illa Homerica moderatione adjecta,

Αἴκε θεοί γ' ἐθέλωσι τὸν οὐρανὸν εὐρὺν ἔχοντες;

Diis ita viſum fuerit quos geſtat Olympus.

Navigantes ita demum ſe in portum perventuros confidunt, ſi per ventos liceat: ita et tu omnibus in rebus, ſi ſapis, fortunae verebere inconſtantiam: *et quae tibi laeta videntur* (ut Naſonis verbis utar) *dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.* Repentini enim et inopinati caſus proverbio huic, *Multa inter os et offam,* fecerunt locum. Quocirca *ſapiens* (ut ait Seneca) *nihil ſibi promittit de fortuna: ſed dicit, Navigabo, niſi quid inciderit: Praetor fiam, aut Conſul, niſi quid obſtiterit.* Hoc ſapientis eſt, non caſibus, ſed erroribus hominum liberari: quod ille multo ſit aequiore animo, poſtquam fuerit deſtitutus, qui ſibi ſucceſſum non promiſit. Conſequens ergo eſt, ut anguſtae ſpes, quantum attinet ad praeſentis vitae facultates, plurimum praeſidii afferant contra timores, aegritudines, caeteraſ-

teraſque id genus animi infractiones. Sunt equi nonnulli uſque adeo alacri et vegeta temperatura, ut, ſi iis in itinere faciundo habenas remittas, ipſi ſe nimia celeritate conficiant: ita et nos nihil eſt quod celerius ad animi moleſtias pertrahat, quam votorum nimietas; dum nunquam iis quae adſunt contenti, ſemper ad nova et majora curſu infrenato dementer proruimus. Vultis vos noſtram adverſus Deum iniquitatem, et ingratos animos manu prope ipſa contingere? Qualem vos eum beneficiarium, et quibus tandem dignum eſſe praemiis ſtatuitis, cui, cum multa et plurima etiam gratis acceperit, injuriae loco eſt plura accipere potuiſſe; qui ſemper ad accipienda inhiat, acceptorum oblitus? Tales profecto nos eſſe diffiteri non poſſumus; ut quibus perpetuo futura et aliena plus placeant, quam praeſentia et noſtra. Sed quid ego diutius in hiſce ſermonibus verſor; cum ea hic ſe paſſim offerat rerum copia, ut uſu ipſo comperiam, non minoris ingenii atque curae rem eſſe, ampla et diffuſa concinne contrahere, quam quae per ſe ſterilia et anguſta ſunt argumenta, copioſa et florente oratione, dilatare atque amplificare. Et profecto jam claudenda mihi foret inſcriptionis hujuſce explicatio, niſi interea dum calamus ipſe velociſſime properat, nova quaedam, nec ea contemnenda (ut mihi videtur) ratio animum ſubiret, cur nunquam exſpectando et deſiderando animis pendere debeamus.

Franc. Superior quidem diſputatio, etſi ſubtilior paulo viſa eſt, plurimum tamen placuit: haec vero, quae in praeceptis poſita eſt, quod propius animorum curationem attingat, vix credas

 das

das quantopere nos delectet; quare ne differas novam iſtam rationem proferre: de te nihil quod non ſit utile exſpectamus.

Flor. Natura duce ad hoc ferimur, ut, ſi qua in nobis vel animi vel corporis deformitas inſit, eam accurate contegamus; ne, ſi prodita ſit, noſtri exiſtimatio, aut collecta prius gratia minuatur. Hinc eſt, quod etſi re ipſa divites non ſumus, amamus tamen eo cultu incedere, qui divitias potius, quam paupertatem indicet. Mulieres informes et decolores, quae gratiam captant amatorum, ſe comunt, colunt, et fucant ſtudioſius. Et qui indocti ſunt, in hominum coetu vero docti haberi petunt, clamoſius diſputant. In ſumma, oſtentamus ea unde laus, et celamus libenter unde vituperatio, aut nominis obſcuritas, oriri poſſit. Attamen neſcii et ignari praeſtantiae animi tueri opinionem, id quod fuit multo amplius et pudendum et celandum, incluſam pectore miſeriam, bonorumque omnium inopiam, aperte et impudenter in cupiditates proruentes ad ſolem educimus; et, quod ſorices ſolent, nos noſtro indicio quales ſimus prodimus. Non eſt inſigniter divitis, parvas utilitates et exilia lucra conſectari. Nec is, cui domi in vinaria cella magna lectiſſimi vini copia eſt repoſita, vappam aliunde quaerit. Qui aſſidue et cum lubet inter inſignes formas verſatur, non capitur vulgari aliqua ſpecie. Qui exquiſite muſices eſt peritus, indoctam et numeris vacuam cantionem cóntemnit. Carolus Caeſar (ut auditione et fama accepi) cum nuper Veneti obtuliſſent, ſe illum, ſi vellet, conſcri-

ſcripturos inter patritios ſuos; Satis, inquit, huc-uſque putavi mihi eſſe ad generis nobilitatem Auſtriacam domum; quo fit, ut iſtam veſtram acceſſionem non magnopere morer. Perſpicuum quidem eſt hoc, et in vulgari prudentia poſitum, Neminem eas res magnopere aut admirari, aut exambire, quibus jam abundat: ſed contra, ſuſpicit quiſque et quaerit quod deeſt. Quoties ergo nos vel voluptates, vel opes, vel honores extrinſecus quaerimus, nonne proferimus manifeſta avidi atque egentis animi ſigna? Docemus homines, res noſtras, ſine externa ope, non conſiſtere: et magnitudinem non recta affectantes, parvitatem noſtram oſtendimus. Quod poteſt eſſe illuſtrius et certius documentum inopis, mendici, diſſipati et diſgregati animi, quam furioſis curſitationibus nunc huc nunc illuc deferri, nunc hoc nunc illud forinſecus flagitare, ſe ipſum perpetuo fugere, ſui contubernium ferre non poſſe? Nonne haec ſatis declarant, nos plurimarum rerum domi laborare inopia, atque intra animi noſtri conclave moleſtum quendam fumum pravarum cupiditatum incluſum, qui nos perpetuo extrudat ad externa? Et certe, ut in morbis, cum corpus non admittit quod proprium eſt, multarum abſurdarum rerum gignitur appetentia; ſic animus, qui ſuis bonis non capitur, variis et inſanis curis diſtrahitur. Ergo nos mendicitatis hujus abjectae pudor quidam generoſus habeat; et formarum, honorum, voluptatum, atque opum vulgarium contemptu animoſo, oſtendamus, eſſe nobis domeſticam quandam opulentiam, quam certe cum volumus repraeſentare poſſumus. Quid mihi

hi opus eſt honoribus tuis, fortuna, cum ipſa animi virtus etiam ſuperis me honorabilem efficiat? Quo mihi forma aut voluptas aliqua tua, puella? Nihilne mihi formae eſt in ſapientiae ſplendore, atque affectuum omnium ſymmetria? Nihilne pulchritudinis eſt numini, quod ipſa pulchritudo eſt, quam animo concluſam circumfero? Nullumne pretium eſt nativo mentis decori? Nullane voluptas eſt praeter hanc, quae nobis cum ſuibus et aſinis eſt communis? Illud non eſt divitiae ſe ipſum habere? Imo Deum, immenſum illud bonorum pelagus? Sed quid facio? Semper quo fixius contemplor excurſum animi, hoc invenio majorem in eo ineſſe vanitatem. Num mendicus a mendico egeſtatis levationem petam, et demens e pumice aquam poſtulabo? Egent et illi, unde ſatietatem peto. Nec Regibus, qui tibi opes largiuntur, deſunt ſuae egeſtates: nec formis, quae tibi falſo voluptatem promittunt, et quibus potiundis beatum te fore ſperas, deſunt ſui dolores: mendicant et illae, miſerae ſunt. Quocirca fruſtra extra animum tuum, aut aliunde quam a Deo, qui nunquam non intimus, idemque, niſi tu nolis, ſuaviſſimus eſt, quietem requires. Sed, ut eſt in aureis illis (quae vulgo Pythagorae dicuntur) carminibus,

Τλήμονες οἵτ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων ἐκ ἐσορῶμεν;

Hoc eſt,

Haec bona, quae petimus miſeri (nec cernimus) adſunt.

Bene

Bene profecto dictum eſt Ariſtoteli, *hominem qui ſolitariam vitam degeret, aut belluam eſſe, ut qui propter ſenſus inopiam incommodus et ineptus eſſet ad convictum; vel Deum, ut qui animi intima quadam magnitudine fretus, turbae non egeret.* Quod idcirco retuli, ut intelligatur, quemque, ut praeſtantiſſimus eſt, ita minime de externis eſſe ſolicitum: et contra, perpetuam curarum varietatem ad mentis inopiam pertinere. *Dlvorum eſt* (inquit Socrates) *nullius cujuſquam rei indigere; hominum, qui ad eos proxime accedunt, quam pauciſſimorum.* Idem, cum aliquando in foro magnam venalium rerum et varietatem et copiam conſpexiſſet, comiti, *O Jupiter*, inquit, *quam multis non egeo.* Nimirum erat illi dives animus, et regnum quoddam domeſticum, quod omnia ſuppeditaret, multo ſplendidius eo, quod in media copia eſurit. Diogenes ſervum, qui aufugerat, neglexit revocare: cumque ab amicis rogaretur, cur id faceret; generoſe reſpondit, *Indignum eſſe illum poſſe carere Diogene; et contra Diogenem abſque illo vivere non poſſe.* Anaxagoras quum renuntiatum eſſet illi de exilio, et quod perpetuo carendum foret Athenis; *et Athenae* (inquit) *me perpetuo ſunt cariturae.* Si nobis, quos commemoravi, viri humiliores videntur (quanquam nunquam eſt humilitas rerum, ubi adeſt ſapientia) quam ut imitari debeamus; (ſolet enim vulgo irrideri philoſophica profeſſio) attamen propter noſtrum commodum debemus amplecti libenter eas rationes, quae nobis animi magnitudinem, eamque et ſecuram et tranquillam largiuntur. Mendicitatem hanc ſi dedignari atque ſemel deponere poſſemus, nullae exiſterent inter homines ſimultates, et turbae:

ſed

ſed commune quoddam dignitatis tuendae ſtudium in humanis rebus verſaretur. Verum quia hic vivimus ambitioſa paupertate omnes, ſtrepitus vitae et tumultuum nullus eſt finis. Tu communiter mecum idem aurum petis. Tu locum aut honorem hunc ambis; et ego itidem. Tu vel ſolus vel primus vis eſſe apud eam, cujus ſpecie atque amore caperis; et ego itidem. Hic eſt communis quaedam mendicitas, et, ut eſt apud Heſiodum, *πτωχὸς πτωχῷ φθονέει*, *egeno egenus invidet.* Tu ſi alii permittis vulgares cupiditates, atque te ad tuas et veras divitias revocaris, viciſti, vere magnus et maximarum rerum potiens es: ille turpiter deceptus, putans ſe laute accubare, turpiter et miſere inter ferculorum et deliciarum umbras poſitus, perpetua eſurie excruciabitur. Hae ſunt rationes quibus tegimus, imo depellimus turpitudines noſtras: haec eſt divitiarum ſoliditas: haec ſunt certiſſima, et nullis involuta lenociniis, divini animi pignora.

DEMET. Recedendum eſt ergo a turba, neque capeſſenda eſt Reſpub. neque adjuvandi ſunt neceſſarii aut amici, aut ullum cum hominibus eſt commercium habendum. Nam domeſtica iſta animorum opulentia ſibi ſufficere videtur.

FLOR. Quoniam non ſolis nobis nati ſumus, illud non ſolum videndum eſt, an ipſe aliis, ſed etiam an alii te, atque opera tua egeant. Certe qui ad perfectae humanitatis laudem aſpirat, debet cum Catone (ut eſt apud Lucanum)

Non

Quapropter nobis integrum non eſt, ut laborem noſtrum hominum periculis ſublevandis non impertiamur; *niſi* (ut ait Cicero) *non reformidemus inbumanitatis aut ſuperbiae culpam ſuſcipere.* Fuga ſane laboris inertiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, neglectio amicorum improbitatem coarguit. Animi certe ſtupor eſt et duritia, nihil dare amicitiae. Imo ne vitae quidem dimicationes pro Republica defugiendas eſſe, a ſapientiſſimis quibuſque definitum eſt. Quicquid igitur facultatis in auxiliando, vel a natura, vel a fortuna accepimus, ad communes primum conferamus utilitates: et deinde in quemque ſeparatim, ut maxime opis egebit, atque ut erit conjunctiſſimus. Grandis ſane, me judice, dica impingenda eſt illis, qui ex contemplationis portu non ſe dant aliquando in negotiorum fluctus. Neque profecto induſtrii, miſericordes aut officioſi eſſe poſſumus, ſi ſic nos in literarum ſtudia abdamus, et umbratilem vitae rationem ſectemur, ut flagitantibus patriae aut amicorum temporibus opem noſtram denegemus. Non tamen illi vituperandi ſunt, imo ſingulari laude ſunt digni, qui cum ingenio valeant, ſe a turba removerunt, nec ſe negotiis admiſcent; quo poſſint commodius incluſas animis veritatis commentationes, ac ab ipſis inventa ſubtiliter et ſapienter excogitata, in lucem aliquando proferre, et literarum mandare monumentis. Horum enim ſtudia, ſi in rebus utilibus et cognitione dignis verſantur, maxime juvant humani generis conſociationem. Sed et illud hic videndum eſt, aliud

eſſe

eſſe hominem tempore a capeſſenda Repub. excludi, aliud voluntate ſua feriari. *Otium ſanctum* (ut apud Auguſtinum memini me aliquando legiſſe) *quaerit caritas: negotium juſtum ſuſcipit caritatis neceſſitas.* Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendae intuendaeque veritati vacandum eſt; ſin imponitur, ferenda quidem eſt alacriter: ſic tamen, ut ſubinde recurſus ſit ad illam contemplationis ſuavitatem, ne animus nulla placidae quietis intermiſſione recreatus, oneris magnitudini ſuccumbat. Verum ſi quis poſſet eſſe totus abreptus in illam divinae contemplationis lucem; huic ego tanquam numini cuidam aſſurgam, et ſupra humanas res hunc eſſe fatebor. Nunc ſi propter naturae contemplationem non licet deeſſe publicis commodis, multo minus id eſt liciturum propter privatas aliquas rationes; ſi tamen is ſis, qui vel opera, vel conſilio aliis prodeſſe poſſis. Sunt qui ſe abdant in ſecreta quaedam loca, ut liberius et ſine interpellatore fruantur voluptatibus. Inutile eſt hoc, imo et iniquum hominum genus, qui ſibi potius quam virtuti vivunt: quanquam non is continuo ſibi vivit, qui coetus hominum vitavit. Obtendere ſolent hi vela quaedam, et cauſantur pericula eorum, qui verſantur in rerum luce, et in turba. Sed ſi iidem penitus eſſent introſpecti, eſſet ſaepe videre alias cauſas: ut, quod non poterant alios videre florentiores; aut quod ratio vitae illorum talis eſt, ut lucem reformidet. Ejuſmodi ſuo ſeculo fuiſſe Servilium Vaciam, virum praetorium, ſcribit Seneca. Is, quamvis vir eſſet in primis opulentus, nulla re notior fuit, quam villae otio, quam prope Cumas poſſidebat. Inde

factum

factum eſt, ut occupati aliquando clamarent, O Vacia, ſolus ſcis vivere: cum tamen ille lateret potius, quam viveret. Seneca cum illac iter faceret, dicere ſolitus erat, *Hic ſitus eſt Vacia:* tanquam de aliquo ſepulto ſermo eſſet. Neque pervulgatum illud, λάθε βιώσας, hoc eſt, *ſic vive, ut vixiſſe te nemo ſentiat*, torquendum eſt ad inertiae aut inutilis otii praeſidium. Sed hoc tantum admonemur, ne temere, aut ardelionum more vitae ſtrepitum ſectemur. Aliud enim eſt, civiliter negotiari; aliud, in inanes demergi ſolicitudines. Sed faciamus, multum eſſe laboris in juvanda Repub. aut amicis, aut quibuſcunque, qui opera noſtra ſublevari poterunt; (amplianda enim ſemper et proferenda ſunt humanitatis pomoeria) non tamen eſt illuſtris animi, defugere laborum difficultates, quae ſint cum officio et honeſtate conjunctae. Neque profecto tranquillitas animi magna res eſſet, *ſi* (ut ait Plutarchus) *illam vel deſidia alere poſſet, vel laudata aliqua exercitatio tollere.* Deſtituit ſaepe (fateor) fortuna etiam praeclariſſimos conatus: verum non propterea deſinere oportet ad ſcopum jaculari, quia hunc non ſemper attingimus; cum nunquam poſſit eſſe luctuoſum honeſtorum conſiliorum naufragium. Si praeſtitimus quod debuimus, quamvis ſecus atque ſperaverimus res cedat, plurimum conſolationis in ipſa officii conſcientia poſitum eſt: maxime cum (ut ait Cato apud Lucanum)

——————Laudandaque velle
Sit ſatis, et nunquam ſucceſſu creſcat honeſtum.

Virtutis laus omnis (ut ſcribit Cicero) *in actione conſiſtit.* Quamobrem unuſquiſque ad hoc vitae inſtitutum ſe conferre debet, in quo tum ſibi ipſi, tum aliis commodiſſimus eſſe poſſit. Res moleſtae nuſquam deerunt: verum aegritudines propter moleſtias, niſi velis, non ſuſcipies. Fui hic fortaſſe verboſior: ſed certe (ut videtur) non ab re: tum quod labor, qui eſt in negotiis, cum tranquillitate pugnare videatur; tum quod paſſim, et in urbibus et in pagis, cernere ſit magnificos nidos exſtructos ventribus, quos propter pietatis ſpeciem ſudoribus ſuis ſtolidum vulgus ſaginat. Et, ut tota ratio paucis abſolvatur, nos illud, quod Ciceroni de ſola aetate dictum eſt, ad res varias non inepte accommodabimus: dicamuſque, non ſolum omnem aetatem, ſed etiam omnem locum, omne contubernium, omnem ſolitudinem, omne otium, omne negotium eſſe moleſtum iis, quibus nihil eſt in ipſis ad bene beateque vivendum opis: et contra, quibus ea animi virtus eſt, ut a ſeipſis et non a fortuna ſtabilitatem et ſalutem rerum ſuarum petunt, iis quaecunque contingat vitae conditio tolerabilis eſt; iis tempus omne laetum eſt et floridum. Hoc igitur jam pro conſtanti relinquamus: Intrinſecus, non extrinſecus quaerendam requiem; et animi bona, quae vera ſunt, ſummo ſtudio quaerenda: extranea vero vel nihil quicquam, vel modice admodum appetenda. Poteram huc attuliſſe parem utrobique laboris in quaerendo magnitudinem, et fortaſſe in fallacibus illis majorem: quam rem eleganter poëtae in Tantalo fugientia flumina fruſtra captante, et Syſipho perpetuo immane ſaxum apud inferos laborioſe volvente, ex-

preſ-

preſſerunt. Et ſane, ut juvenes interdum injuriis aut ſuperbia adamatae mulierculae paullatim victi elabuntur, alioque amorem transferunt; ita et nos hic labor, cujus finis dolor eſt futurus, commoviſſe poterat ad breve illud laboris genus amplexandum, quod mox ſempiternam adferat quietem. Sed malui nos rerum turpitudine et inconſtantia ab incepto ſtolido, quam difficultate deterreri.

Demet. Sed nunquid etiam fieri poteſt, ut, animi quaerentibus bona, opera et impenſa pereat?

Flor. Tantum vero abeſt, ut ſtudioſe animi quaerentes bona decipi aut fruſtrari poſſimus optato; ut hoc ipſum appetere (quod diligenter intelligi cupio) ingens quoddam bonum ſit, eoque ſtudioſa voluntas ſemper ſecum affert operae ſuae pretium inaeſtimabile. Adde quod (ut ſupra vobis dictum eſt) huc non intervenit vis externa. Adde item et Deum libenter hoc ſtudium adjuvare. Et contra, cupiditas illa, quae ad extranea fertur, et facile deſtituitur; quoque fuerit flagrantior, hoc et turpior eſt et cruciabilior. Jam abſoluta eſt hujus columnae praeceptionis explicatio: ex qua (ut opinor) liquidiſſime conſtat, votorum vulgarium contractionem, et traductionem animi ad ſua bona, neceſſario requiri ad quietem mentis comparandam. Et nos in tam liquida rerum veritate haeſitabimus, vel in tanta rurſus neceſſitate cunctatione utemur, aut ullam cauſabimur difficultatem? Si ab altera parte vel veritas

ulla eſſet, vel ſpes aliqua quietis, hic tardatio difficultatem aut obſcuritatem rerum poſſet excuſare. Quod cum contra ſit, inſignis ſtupor eſt, ſi amplius cunctamur.

Cap. XII. *Explicatio inſcriptionis quintae columnae: Non magnifice ſentire de ſe ipſo; aut placere ſibi ipſi: neque alios deſpicere.*

Ad quintam deinde columnam ventum eſt; cui inſcriptum erat,

ΟΥ ΔΟΞΑΖΕΣΘΑΙ, Η ΑΡΕΣΚΕΙΝ ΕΑΥΤΩ: ΟΥΔΕ ΚΑΤΑΦΡΟΝΕΙΝ ΤΟΥΣ ΑΛΛΟΥΣ.

Hoc eſt,

NON MAGNIFICE SENTIRE DE SE IPSO; AUT PLACERE SIBI IPSI: NEQUE ALIOS DESPICERE.

Iam viſum eſt, oportere nobis eſſe flagrans ſtudium bonorum noſtrorum, citra inutilem illam et turpem mendicitatem. Sed cum animi inflatio, ex qua ſaepe plurimum turbae naſci ſolet, non ſolum exiſtit ex fortunae indulgentia; ſed etiam interdum ex ingenii dotibus, et doctrinae atque ſenſus praeſtantia, quae videntur in veris bonis eſſe; haud ab re adjectum eſt de moderando ſenſu et mentis elatione cohibenda praeceptum. Tumor item animi prorumpit in glorioſos ſermones et contemtiones aliorum; a quibus merito nobis propter immodeſtiam noſtram negotium faceſſitur. Et quam-

quamvis pleraeque ſint aliae immoderationes et injuriae, quae pacem convictus et ſocietatis humanae conturbant, et plurima incommoda, quibus alius alium afficimus: nulla tamen t m late ſerpit, et gravius offendit ſuperbo hoc hominum faſtidio et contemptu. Imo inflatio iſta animi eſt, quae pene nos ad omne injuriae genus impellit. Quapropter fuit de hac ſeparatim tradendum. Priuſquam praecepti ratio plene teneatur, non mediocris in eo difficultas ineſt. Proditum eſt, Chilonem quondam interrogatum, *quid in vita eſſet difficillimum?* reſpondiſſe, *Noſſe ſe ipſum.* Ex ignorantia autem ſui naſcitur illa φιλαυτία, hoc eſt, *immodicus amor ſui*, animis alte admodum imbibitus. Inde autem fit, ut laudes, utilitateſque, quas coeleſtis providentiae diſpenſatio communes eſſe vult, et nullius cujuſquam peculiares, in nos ſolos velimus eſſe derivatas: nos item unice gloria et beneficiis dignos judicemus: non tam ab aliis, quam a nobis ipſis nos adulari libenter patiamur: in quamcunque partem nos demus, volumus principes omnium primarum artium videri; neminemque nobiſcum dignitate exaequari: in ſumma, quicquid vel honoris, vel emolumenti aliis adjicitur, id nobis quodammodo detrahi putamus. Ex eodem eſt fonte, quod ſi quid nobis delictum eſt, ſtatim culpam in alium conferre parati ſumus: nobis omnia, aliis pauca vel nulla licere volumus. Quod aliis vitio datur, id nobis (ſi ſuperis placet) petimus honori eſſe. Alienas libidines, aut mala facinora quanta cum religione etiam oculis ad ſidera ſublatis indignantes, atque admirantes tale aliquid accidere potuiſſe, execramur! Veſtigamus

ſedulo, et audimus libenter quod carpamus in aliis; et, quod longe peſſimi eſt ingenii, interdum confingimus ipſi. Hunc ut deformem aut ſtolidum ſannis excipimus. Hunc ut ſordidum, mulieroſum, aut decoctorem contemnimus. Hunc ut arrogantem odioſe inſectamur: et, quo nihil eſt dementius, etiam in arcanas et tacitas animi cogitationes, tanquam in hominum pectoribus habitemus, interdum invadimus; atque hoc modo traducere ſolemus. Hic non credit purgatorium: hic eſitaret avem etiam ſolennis jejunii diebus: hic non numerat ſeptem ſacramenta: et magnae eſt nobis religioni aliena cogitatio; valdeque ſolicitos nos ea habet cura, ne Deus aliorum ſceleribus irritetur: veremur, ne terra dehiſcens vivos abſorbeat: et nos probe functos noſtro munere nobis perſuademus, ſi alienos errores fortiter accuſemus. Verum hoc prope ferendum eſſet, ſi in aliorum duntaxat vitia debaccharemur: nunc non contenti odioſis illis criminationibus, ſi aliquis ſapientia quadam animi fretus, paullo eſt turbae fugientior; nec nobis ad convivia aut lupanaria euntibus ſe comitem adjungit, ſuperbiam ac dedignationem interpretamur. Si diſſimulat, vel contemnit injurias, vel propter Chriſtum condonat, ſi a fraudibus abhorret, meticuloſum, et Chriſtianulum ſtupidum per contemptum vocamus. Si non utitur venere; temperaturae frigus, aut ſordes atque avaritiam cauſamur. Si liberaliter facit ſumptum, unde ad nos nihil veniat, prodigus; ſin venit aliquid, liberalis eſt. Et ne ſingula perſequamur, ex virtutibus ipſis vitia facimus quadam naturae depravatione; ad noſtram proti-

nus

nus excellentiam pertinere perſuaſi aliorum depreſſionem quamlibet iniquam. Et contra, quid manticae a tergo ſit nunquam conſpicimus: qui profecto, ſi conſpiceremus, non tam facile in irriſiones et contemptum aliorum prolaberemur. Sed, ut quos ridemus moriones, moriones ſe eſſe neſciunt; ſic noſtra nos ſtultitia fugit. Quid dixi fugit? imo et vitiis virtutum nomina indimus: et cum oculos ad noſtra convertimus; protinus, bone Deus! quam formoſi ſunt naevi, verrucae, polypi, imo et clauditates? Arrogantia animi, eſt magnitudo; ſordes, frugalitas; libidines amorum, ingenii ſuavitas; pertinax divinarum rerum ignoratio, pietas et religio. Et eſt iſtuc profecto datum, ut grata ſint nobis omnia quae facimus ipſi. Cum tamen contra conveniret candide excuſare aliena, et noſtra extenuare libenter.

DEMET. Hoc non vis, credo, non licere vituperare facinoroſos; cum et tute interdum in ſummos ordines invehare.

FLOR. Minime hoc volui: ſed magnam dico oportere moderationem adhiberi, maxime cum nominatim aliquem vituperas. Primum cavendum eſt, ut ne id fiat obtrectandi ſtudio: tum ita obſervanda ſunt tempora, ut utilitas aliqua inde ſequi poſſe videatur: ut cum juventus audita improborum vituperatione, minus animi induit ad improbitatem. Tum ut nunquam res, quae occulta eſt, prodatur: atque ubi prodita eſt, tum demum eſt auctor vituperandus, cum quod factum eſt, tantum habet manifeſti ſceleris, ut in melio-

rem partem accipi non poſſit. Adde item, quod ad candorem pertinet et ingenii humanitatem, quae ad laudem pertinent exaggerare; et contra vituperationes imminuere. Non deſunt autem imminuendi atque elevandi rationes, niſi deſit humanitatis candor. Illud quod me feciſſe profers, non contravenit: eo quod longe aliud ſit nominatim, et libidine adducendi alium in invidiam, aliena errata proferre atque amplificare; quam generatim tantum, et publicae ſalutis ſtudio, apertam illorum coarguere negligentiam, per quam ſtat, quo minus Chriſto immortali et vero Deo debitus honos ſit incolumis. Sed redeundum eſt ad illud unde divertimus. Ex illa autem cogitationum inflatione, ſaepe ad tantam devenitur inſaniam, ut non modo non cum aliis, imo ne cum nobis quidem ipſis commode habitare poſſimus. Strangulat nos invidia incluſa, coelo ipſi tacite, licet fruſtra, iraſcimur, ſi quid aliis magnificum adeſſe cernimus, quo nos deficimur; ſi alii nobis anteponuntur: nec expendimus incivilis eſſe convivae, eſculentiſſima quaeque in convivio appoſita ad ſe proprie vel maxime pertinere arbitrari. Non enim ſecus facit, qui praeterita communis ſocietatis ratione, omne id quod illi bonum ac commodum erit accidere cupit, atque ſibi paſſim primas arrogat. Jure igitur Platoni ſcriptum eſt, oportere omnem hominem φεύγειν τὸ σφόδρα φιλεῖν αὐτὸν; hoc eſt, *fugere immodicum illum ſui amorem.* Decipit enim nos amor. Quod cum in eo contingat, quem ſuſcipimus adverſus alios; quanto id magis in proclivi eſt in eo quem erga nos ipſos habemus. Naſcitur vero haec immodeſtia amoris atque animi

mi elatio ex eo, quod celebratiſſimum illud praeceptum, Γνῶθι σεαυτὸν, negligitur: perpetuo enim illud meditari convenit, nos, ut Regum Reges ſimus, quiſquilias eſſe, et precarii ſpiritus animalcula: commodatum eſſe quicquid poſſidemus: omnia ex Deo profecta; nihil nos niſi de illius voluntate ac permiſſu facere: ſuperbos hoſce ſpiritus, dum nos magna facturos minitamur, momento comprimi: ſpes omnes inopinato intercipi; incepta in diverſum cadere; et vitam denique ipſam, ex qua reliqua pendent, in hoc ipſo, quo maxime turgeſcimus, puncto extingui poſſe. Cui, haec ſecum attente reputanti, non protinus criſtae cadant, animique reſidat tumor? Hoc vidit ille, qui eo a ſuperbiloquentia temperandum cenſuit, quod

——————οἶδε γὰρ οὐδεὶς
Ἀνθρώπων ὅ, τι νὺξ καὶ ἡμέρα ἀνδρὶ τελέσει.

Hoc eſt,

——————*Nemo cognoſcere poſſit*
Quidnam homini nox, vel quid ferat ipſa dies.

Quid habes (inquit magnus ille Chriſtianae ſanctitatis interpres et magiſter Paulus) *quod non accepiſti? Quid ergo gloriaris, quaſi non acceperis?* Finge cum animo tuo (quod tamen adhuc aegre cuiquam extra Deum eſt conceſſum) te omnes alios, omnibus in rebus quae ad laudem pertinent, longe anteire: non inveniri, quocum conferare; atque ut velut Deus aliquis inter mortales videare. Tua

N 5 hic

hic intererit, non ſolum munerum tantorum auctorem grate agnoſcere; ſed etiam quo fueris excelſior, hoc te gerere ſubmiſſius: et in hoc raritatem illam ſplendorum te aſſecutum exiſtimare, non ut alios faſtidioſe contemnas, aut ſuperbe conculces; ſed ut perferendis atque ſublevandis aliorum infirmitatibus illius imitere praeſtantiam, qui, quo eſt major, hoc eſt et melior: quique tanta in te ut nullo tuo merito contulit, ita collata, cum volet, auferre poteſt. Gratiſſimus eſt hic moderationis odor; neque quicquam eſt humanitatis mollitudine popularius. Superbia, contra, et faſtidium mirifice et Deum et homines a nobis abalienant. David, Hieroſolymorum Regum ſanctiſſimus, cum reprehenſus eſſet ab uxore ſua, Saulis filia, quod ſaltans vulgo cum turba promiſcue conſpectus eſſet ante myſticam illam arcam; caſtigavit muliebrem vanitatem; profeſſus, illam regni adjectionem, quam ex Deo agnovit, ſibi materiam potius modeſtiae, quam faſtus futuram; *Jam,* inquit, *poſtquam praefectus ſum dux toti Iſraeli, ſolito vilior ero, et mihi ſemper parvus atque humilis videbor, et cum ancillis iſtis glorioſior apparebo.* Taxiles, unus ex Indorum Regibus, Alexandro jam victori occurrens, verbis ſane non minus ſapientibus, quam generoſis eſt illum affatus. *Provoco,* inquit, *te non ad armorum, ſed ad aliud longe glorioſius certamen: ſi inferior es, a nobis accipe beneficium; ſin ſuperior, nobis benefacito.* Vidit facile excellentis ingenii Princeps, quemque ut maximus eſt, ita maxime beneficum et popularem eſſe debere. Nec gravabor commemorare ſingularem illam Ptolemaei Regis Lagi filii modeſtiam. Is cum grammaticum

quen-

quendam inſcientiae notare vellet, de illo percontatus eſt, quis eſſet Pelei pater. Tum ille impudenter convicium regerens, dic tu prior, inquit, ô Rex, quis Lagi pater fuerit? Regi majorum objecit obſcuritatem. Fuerat enim Lagus gregarius ſub Alexandro miles. Tantum abfuit, ut amicis ad contumelioſae vocis vindictam cohortantibus morem Rex geſſerit; ut ſe ipſum potius quam grammaticum procacitatis damnarit. *Si regium eſt,* inquit, *non pati ſe a quoquam vel dicto attingi; illud certe non minus regium eſt, neminem ne dicto quidem laceſſere.* Mire ergo ad vitandas offenſiones et conciliandam gratiam conducit, vitare ne quenquam contemnamus. Nemo eſt, qui non quodam naturae inſtinctu ſentiat ſibi ineſſe divinum quiddam, et quod plane ſit venerandum. Quocirca quantumcunque ſit ille magnus qui deſpexit; qui deſpicitur aut contumelioſe eſt dimiſſus, quamlibet ſit abjectus, dolet et indigne fert contemptum ſui; ut cui imminutio quaedam naturalis illius, quam dixi, majeſtatis appareat. Atque ut nulla re citius quam vituperatione aliquem calefeceris; ita contra laudibus quoſcunque et maxime praeſtantis ingenii viros facillime lucrifacias. Hinc eſt, quod Socrates apud Xenophontem, *Laudationes philtri et incantationis vim habere* ait; *et propterea Sirenes his uſas, cum ad ſe attrahere vellent Ulyſſem.* Nam ita ſunt apud Homerum exorſae;

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' ὀδυσσεῦ μέγα κῦδος ἀχαιῶν.

Huc ades, ô generis Graii decus inclyte Ulyſſes.

Nun-

Nunquam ergo ſimus mordaces Momi, aut criminoſi: nunquam tetris invidiae dentibus alienae dignitatis flores diſcerpamus: non ſolum inveteratae alienae laudi, ſed etiam naſcenti faveamus. Si quis nos in laudis curſu praevertit, curſum adjuvemus ipſi. In cenſendis ingeniis, vitia virtutibus penſemus. Condonemus multa infirmitati; et in fata aut caſum interdum alienos errores conferamus. Caeterum, ubi ventum erit ad res noſtras, animi modeſtiam orationis par demiſſio comitetur: neque unquam de nobis ipſis, aſciſcendae laudis cauſa, ſublatius dicamus. Odioſa res eſt jactatio ſui, atque alios a nobis multo maxime disjungit. Favetur ab omnibus iis qui ſe demittunt: oſtentantibus invidetur; eo quod communis juris aequabilitatem laedere videtur, qui praeſtantia dignitatis et fortunae communes metas audaciter ſupergredi et tranſire ſtudet. Hujuſce rei Quintilianus, etſi rhetor, rationem tamen affert philoſophicam. Tradit enim (et ita ſe res habet) mentem noſtram habere ſublime quiddam et impatiens ſuperioris; eoque nos libenter allevare abjectos aut demittentes ſe, quod id facere videamur tanquam majores: et contra, inviſos eſſe qui ſe jactant, aut ſupra modum extollunt; quod ea ratione non tam ſe majores, quam caeteros minores efficere conantur. Nulla ergo nobis ſit jactatio noſtri. Nihil de nobis magnum promittamus: imo nihil facere tentemus, unde merito inuri nobis poſſit fama arrogantiae. Salutare eſt illud praeceptum:

Καὶ πεφύλαξόγε ταῦτα ποιεῖν, ὅποσα φθόνον ἴσχει,

Hoc

Hoc eſt:

Invidioſa cave facias quaecunque putantur.

Neque vero hoc ſolum hic intelligitur, ut alieni ſimus ab omni gloriae ſtudio; ſed etiam ut contemni pro nihilo ducamus. Siquidem qui de ſe ipſo ſerio et ex animo modeſte ſentit, nunquam erit gloriae ſtudioſus: imo nec magnopere commovebitur, ſi ab hominibus negligatur. Sed cum propter amorem vehementem noſtri maxime τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται; lamiarum ſimiles, quae ut fabulis proditum eſt, foris oculatae ſunt, domi oculos deponunt, ipſi nobis perpetuo aſſentamur; imo et noſtrarum laudum moleſti et impudentes ſumus praecones. Verum qui paulo verecundiore ſunt ingenio, etſi ſe liberales aut officioſos palam non profitentur; iidem tamen interdum ſua in amicos beneficia libenter et prolixe commemorabunt; ex quo neceſſario effluit, etſi occultius, expetita benignitatis aut officii laus. Cui majores ſunt illuſtres, niſi Thraſo aliquis ſit, idem non aperte jactabit, aut praedicabit, ſe nobilem admodum eſſe: idem tamen longo ſermone, et ſaepe non ſine faſtidio auditorum, majorum ſuorum ſeriem explicabit, res geſtas extollet; ex quibus exiſtit illa generis claritas, propter quam vult in pretio haberi. Invenies item et inter illos qui aetatem in doctrinae ſtudiis conterunt praeſtantes alioqui viros; qui etſi ſe doctiſſimos eſſe dicere erubeſcunt, proferent tamen multos philoſophiae locos, quos a ſe primum animadverſos et intellectos affirment. Lapſus alius Platonis, Ariſtotelis, Plinii, aut alicujus inſignis ſcriptoris proferet; et multus erit in

in flagellando ſcriptore, ubi commoda interpretatio citra negotium omnem tragoediam ſuſtuliſſet. Alius opuſculum toto decennio elaboratum, ſibi neglectim et ex tempore excidiſſe potius quam ſcriptum eſſe narrabit; atque ita obliqua hac via utetur in ingenii atque eruditionis fama aucupanda. Alios videas adeo glorioſos, ut facilius flammam ore cohibeant, quam ut de ſe non praedicent. Sed ſenſus communis inopia eſt, quae illos ad debitam praeſtantibus viris claritatem invadendam impellit. Omnes tamen laudis ſtudio ducimur, et quodam gloriae velut ardore flagramus. Diſcrimen pene ſolum in hoc eſt, quod hic cautius et occultius, ille apertius et ſtolidius ad eandem contendit. Neque tamen haec, quae dico, ſic accipienda ſunt, tanquam debeat aliquis abjecte ſemper de ſe loqui. Nunquam nimietas vitio vacat. Verum cum medius quidam curſus ſit tenendus; in illam potius partem propendere debemus, quae ad noſtri extenuationem, quam amplificationem pertineat. Itaque cum coget nos tempus ad rerum noſtrarum venire mentionem, non nos totis expanſis velis demus in vaſtum pelagus: demittenda eſt antenna, propius legendum littus; taleſque nos ſemper, cum faciundum eſt aliquid, praeſtemus, ut nobis ſilentibus vitae et ſtudiorum ratio nos inglorios eſſe non patiantur. Imo, quod fuerit multo commodiſſimum, ejuſmodi ſequamur rerum omnium moderationem, ut quo plenius atque penitius fuerimus cogniti atque perſpecti, hoc nos alii et admirentur atque ament impenſius; dum ſemper plus in receſſu inveniunt, quam prae nobis tulerimus, aut fronte ſimus polliciti. Et cum

multa

multa ſit in omni hominum vita vanitas; nulla tamen major ea eſt, quae in gloriae ſtudio verſatur. Quid enim refert, ſi ille me negligit: num ideo illi ſuccenſebo, quia illi dotes meae non ſunt cognitae, aut tanti aeſtimantur quanti ipſe aeſtimari peto? Qua ille lege ad hoc tenetur? Multi majores habentur, quam re ipſa ſint: alii minoris fiunt, quam mereantur. Delige nunc utro ex numero eſſe velis. Et fortaſſe ſi tanti fieres quanti mereris, et non pluris neque minoris, minus tibi arrideret quam praeſens tui exiſtimatio. Neſcis enim quanti a ſingulis fias. Nam ut hic minus tibi tribuat, quam dotes tuae poſtulent; alius eſt, qui te, cum vix mediocris ſis, praeſtantem et egregium eſſe cenſet. Ergo niſi malis perſonam quam rem, da operam ut magnus ſis: quantus habeare, tibi curae non ſit. Si quis eſt, qui tecum certans acriter dimicat, ut ſuperior videatur, permitte illi fallacem illam gloriae ſpeciem, ad quam furioſe defertur. Stomachoſa illa pertinacia ex eo eſt, quod natura ſuperba alium ad ſe ſuperandum accinctum videt. Tu qui ex opinione (quod viri re ipſa praeſtantis eſt) non pendes, *Vincere* (quod et pueri diſcunt) *cum poſſis, interdum cede ſodali: Obſequio quoniam dulces retinentur amici.* Singularis profecto prudentiae res eſt, ſinere ſuum cuique, ut habet proverbium, eſſe pulchrum. Tu tum dicas, tum facias gloria digna; et conſcientia rerum contentus, in ſinu gaude. Ova inania fluitant, plena ſidunt. Ubi plurimum eſt ventoſae jactantiae, illic minimum ſolet eſſe rerum: ſed indignitatis conſcientia de velamento ſolicita eſt. Solida virtus ſecura eſt,

nec

nec talia curat. Vino vendibili (ut dicitur) ſuſpenſa hedera opus non eſt. Quanta tibi laus debeatur tuum non eſt ſtatuere: permitte hanc curam ſtudiis tuis. Nam ejus ingenii Gloria eſt, ut ſequentes ſe fugiat. Non vult ſe peti, ſed virtutem ex qua naſcitur. Hoc autem virtutis eſt gloriam non conſectari. Sequitur igitur fugientes; et praeclaras actiones non aliter comitatur, atque umbra ſolet corpus ſoli expoſitum; ut ſupra dixiſſe me memini, ubi obiter quid eſſet gloria oſtendi. Et quidem ſi fugienti tibi aſſidue aurum daretur in manum a quopiam, qui te a tergo ſequeretur; atque idem negaretur, ſi retrorſum te ad porrigentem converteres; non, ut opinor, vel retro aſpiceres, quamdiu quicquam virium ad fugam atque curſum ſuppeteret. Quod ſi quis ad eam falſis rationibus aſpirat, et amplius ſe jactat, quam quoad eſt idoneus praeſtare, et in ea parte venditare ſe ſtuduerit, cujus eſt imperitus, laterem (quod aiunt) lavat: prodet illius vanitatem invidia, prodet tempus aut occaſio aliqua. Simulata non durant; imo facile redeunt ad naturam ſuam: atque ut fucus, quo mulieres oblinunt faciem, levi halitu diſſipatur; ita falſis parta rationibus, et non virtutum radicibus ſubnixa, celebritas facile corruit. Hoc appoſite expreſſit apologus ille Æſopicus de graculo, qui alienis contectus plumis, ſe temere columbarum gregibus inſerebat; et deprehenſus, impoſturae dedit poenas. Sed quid ego tam diu verſor in hac oppugnatione ſtudii gloriae; cum hoc ſufficere debeat, quod omnis laus atque gloria uni Deo, a quo eſt omnis laudis atque gloriae ratio, debeatur? Sane quando-

docunque de excellentia cogitatio inſtituitur, unus Deus, qui omnis excellentiae auctor eſt, eſt ob oculos habendus. Imo ſcelus eſt opinione majus, in praeſtantia aliqua tua cogitanda reſiſtere; et non primo quoque momento, dum beneficium in animo ſuaviter verſas, illud auctori acceptum referre. Iſtuc ſi omittis, nec principium cogitas; et in te tanquam in fine perverſe conquieſcis, divinitatis gloriam tibi quodammodo uſurpas: quod quantum ſit nefas, non ignoras.

FRANC. His ipſis de rebus exauditi mihi ſunt aliquando verſus aliquot a te compoſiti; in quibus mentionem facis egregii illius et ſingularis viri Antonii Bonviſii, qui eſt ex patritiis noſtris: pergratum erit perque jucundum, ſi eoſdem ex te denuo audiamus.

FLOR. Etſi illi inepti ſunt, ut qui ab eo ſint conſcripti, qui nunquam poëticae ſtuduerit, aut ſe multum in carmine exercuerit; obſequar tamen ſtudiis veſtris. Vir ille, etſi ob eximias ſuas virtutes omni laude multo ſit digniſſimus; plurimum tamen abhorret ab ejuſmodi laudationum ventis. Multa enim conſuetudine mihi compertum eſt ſolidiſſimum hominis ingenium. Itaque cum Londini agerem, animi cauſa verſiculos illos feci, in qua proſopopoeia quadam oſtendi, perpaucos inter mortales inveniri, qui virtutis ſint cupidi: omnes tamen certatim laudem, quae non niſi virtuti debetur, libenter amplecti: quod tamen ipſum fruſtra ſit, cum non ſit ſolida laus ubi virtus deficit. Et praeterea ſaepe mentis aciem falſo quo-

dam ſplendore perſtringens blanditia aliena, nobis damnoſam et vanam facit de excellentia noſtra perſuaſionem: quam tamen re ipſa ſane, ubi nos ipſos diligenter excuſſerimus, nullam eſſe inveniemus. Verſus, ſi bene memini, hujuſmodi ſunt:

Dum totam erraret forte incomitata per urbem
Virtus, nec laudum praemia juncta forent,
Hoſpitium multos et ſupplex ſaepe rogavit;
Qui daret hoſpitium non tamen ullus erat.
Adfuit haud multo poſt Laus, (res mira) repente
Laudis in amplexus urbs furibunda ruit.
Non ſecus illa tamen quam dudum excluſa manebat,
Atque iterum in ſolum eſt ire coacta nemus.
Verum ubi Laus dominam Virtutem ſenſit abeſſe,
Ad dominam ingrata rurſus ab urbe venit.
Utraque poſt rediens Bonviſi tendit ad aedes:
Hic Virtus, pulſa Laude, recepta fuit.
Nam fraudem ille timens blanda ſub fronte, recede
Laus (ait) hinc, ſtudiis inſidioſa bonis.
Illa refert, fruſtra me, Antoni, excludere curas,
Quandoquidem Virtus hic generoſa manet.
Conſequor invitam dominam quocunque mearit,
Nec niſi Virtuti ſum bene fida comes.

Cap. XIII. *Sextae Columnae inſcriptio:*

Poſtquam providentiae ſervus es, non dominus: pare volens atque alacer. Explicatio tripartita.
1) De meditatione conditionis humanae.

Ad ſextam mox columnam acceſſimus; cujus haec erat ἐπιγραφὴ,

ΕΠΕΙΔΗ

ΕΠΕΙΔΗ ΔΟΥΛΟΣ ΕΙ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ, ΟΥ ΚΥΡΙΟΣ, ΕΚΩΝ ΚΑΙ ΑΟΚΝΟΣ ΠΕΙΘΟΥ.

Quod eſt,

POSTQUAM PROVIDENTIAE SERVUS ES NON DOMINUS: PARE VOLENS ATQUE ALACER.

Graviſſima plane eſt et hujus praeceptionis ratio. Habet enim vita haec multo plus (ut eſt in proverbio) aloes, quam mellis: et in afflictiones calamitateſque varias pene fatali quadam neceſſitate incidimus. Nunc cum natura ipſa ab aſperis, et a quibuſcunque rebus, quae vel dolorem, vel aegritudinem afferunt, ſummo ſtudio refugiat; conquirenda ſunt undique auxilia, adhibendae praemunitiones, quibus mala illa fatalia, aut caſu orta, etſi non cavere, aut prorſus depellere, certe mitigare atque lenire valeamus.

Itaque hoc genus cogitationibus nos armabimus. Primum non oſcitanter diſpiciendum eſt, qua conditione nati ſimus; quis ſit hic locus, in quem venimus; quae item ſint vitae atque loci hujus leges. Deinde illud, quod exploratiſſimum eſt, apud nos ſtatuamus, omnem hunc mundum, non caſu, ſed providentia, hoc eſt ſumma ſcientia atque conſilio, regi: ex quo manifeſte conſequitur, boni conſulendum eſſe, et in meliorem partem accipiendum, quicquid acciderit. Poſtremo nos ex inordinata et confuſa hac rerum huma-

narum varietate, non impiorum more, colligamus ſupinitatem, ſecuritatem, aut neglectionem numinis circa hunc noſtrum orbem: ſed eſſe arcanas quaſdam et inacceſſas divini conſilii rationes; et tempus item et locum eſſe poſt finitam hanc vitam, ubi quiſque pro anteactae vitae ratione tractabitur. 4 Sed ut ad caput tripartitae hujus rationis redeamus: Illud nos ſeculo meditari oportet, vitam hanc omnibus fortunae telis eſſe expoſitam: nulli uſque adeo albas decurrere luces, ut nulla interveniat nubecula: multas eſſe devorandas indignitates: vel morbis affli̇ctabimur, vel paupertate et rei familiaris difficultatibus laborabimus: poſtulabimur de crimine, cujus affines non ſumus: hominum diſcerpemur obtrectationibus, ignominioſe vapulabimus, abripiemur ad carceres, imo et ad capitis ſupplicium. Hujuſmodi eſt confragoſum hoc vitae iter, quod inſiſtimus omnes: in hoc emetiendo ſaepe impingendum eſt, ſaepe item cadendum: in eo conſtituti ſumus loco, *ubi tonat* (ut inquit Seneca) *fulmen*, ubi

Luctus et ultrices poſuere cubilia curae,
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

Sed quid hic faciet ſapiens, et cui tranquillitas mentis cordi eſt? Cogitat, condictum fuiſſe cum naſceremur, in quam tumultuoſum contubernium nos natura duxiſſet; in eum ſe veniſſe locum, ubi his legibus vivitur: habet perpetuo in oculis omnem illam fortunae licentiam: aciem in omnes partes intendit: praemittit in omnia animum; cogitat-

tatque non modo quicquid ſolet afferre fortuna, ſed etiam quicquid poteſt, et quam poteſt plurimum. Non ignorat illud Publii, *Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.* Itaque dum ſic animo excubat, nihil illi novum aut inopinatum accidit: ſeque ita multo ante componit, ut quemcunque caſum fortuna invexerit, eum apte et quiete ferat, et perfugium atque receptum habeat paratum. Turpe enim eſt aliquem in medio rerum turbine ſtupentem quaerere; Huc ego quomodo veni? Si exulat ille, putabit ſe natum illic, quo miſſus eſt. Nihil mirabitur, ſe vinculis conſtringi, aut cuſtodiis ſepiri, aut ferro dilacerari: quod ſciat hanc eſſe naturam humani corporis, ut et vinciri et diſcerpi poſſit. In periculis et aerumnis poſitus, non ſtupebit ſe in aliquid eorum incidiſſe, quae circa ſe ſemper erraviſſe intelligit. Mortis adventum nihil obſtupeſcit, quod ſciat extremae eſſe ſtultitiae admirari aliquem, ſe ad id aliquando perveniſſe, ad quod perpetuo currebat. Vitam et corpus inter precaria et ſervitia numerat: vivitque ut commodatus ſibi, et repoſcenti ſine triſtitia redditurus: tuetur ea ut ſanctus fidei ſuae commiſſa: naturae dicit, Nihil obluctor, aut tergiverſor; a volente recipe, quod non ſentienti dediſti: et ratione tandem ita ſubducenda, quae vulgo terribilia ſunt, ad inanitatem quandam, et ſummam facilitatem deducit. Quiſquis ille fuit (ut eſt apud Plutarchum) qui ait, *anteverti tibi fortuna, teque occupavi, atque omnes tuos aditus quamlibet arctos intercepi;* non peſſulis, non clavibus, ſed decretis philoſophicis animum communierat. Egregium ſane eſt hoc, et ſolum ho-

mine dignum adverſus caſuum duritiam armaturae genus, proviſio haec atque praeparatio animi, qui illud ſecum perpetuo de fortuna,

Bella mihi, video, bella parantur, ait.

Sic Theſeus apud Euripidem loquitur:

Nam qui haec audita a docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exilii moeſtam fugam.
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali:
Ut ſi qua invecta diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Ita enim vertit Euripidis verba Cicero. Eapropter Anaxagoras renunciata cariſſimi filii morte nihil quicquam commotus, *Ego*, inquit, *eum illi exſpectationi ſuſtuli: ſciebam me genuiſſe mortalem.* Eſt hic nobis in omni calamitatis nuntio atque infortunio omni imitandus: parque, quoad ejus per nos fieri poteſt, aequanimitas eſt praeſtanda. Patrem tu adhuc annis viridem, aut uxorem cariſſimam amittis. Quid tum? Num magnum aliquid, aut inſolens eſt, ſi quod mortale eſt emoritur? Moroſa eſt tibi uxor. Num te fugiebat, cum duceres, te vitae ſociam mulierem habiturum? Spretus ac deluſus es ab amica. Num mirum eſt, ſi impudenter mulier faciat meretrix? Fortunarum feciſti naufragium. Ignorabas illa fortunae, non tua fuiſſe bona? Improviſus morbus excruciat graviter. Cur tua culpa fuit improviſus? neque clam te eſſe poteſt, quam levi de cauſa corpuſculi

ſculi hujus ſymmetria diſturbetur. Famulus ſtupidus eſt et iners. Eſto. Quotuſquiſque inter homines reperitur, qui animo pariter et corpore valeat? Si exiſtat talis, dominari, non ſervire volet. Amicus vetus nullo tuo merito factus eſt alienior. An clam te erat, quando amicitiam cum eo conſtituebas, cum homine tibi rationem futuram, qui, etiam ut velit, vix poſſit ſuis quibuſdam affectibus imperare? Neceſſe eſt erumpant illi interdum, atque declarent, nos non eſſe totos rationales. Vivitur enim hic non cum hominibus perfectis, pleneque ſapientibus: ſed cum iis, quibuſcum praeclare agitur, ſi in ipſis levia quaedum virtutis veſtigia appareant. Humane illud dictum eſt,

Μηδ᾽ ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁ. α τάδος εἵνεκα μικρῆς.
Non decet ut linquas propter leve crimen amicum.

Ad ignominioſam mortem aut crucem inſons traheris. Quid non expectandum eſt ſapienti in caliginoſa hac rerum inconſtantia? Quot ſuperiora, quot item noſtra ſecula extulerunt inſigniter etiam variantis fortunae exempla, ubi ſaepe is, qui, ut alius, imo ut complures in crucem agantur, nutu efficit, longe dignior eſt ipſe qui in crucem agatur? Sed quomodo, inquies, perferre potero tantum dedecus? Refer te ad ſuperiora, ubi abeſt turpitudo nullum eſt dedecus. Si non commeruiſti, hoc glorioſior re ipſa et praeſtantior es, quo fortius contemnere potes quicquid hominum vulgus falſo glorioſum exiſtimat. Superos habes ſpectatores. Nullum poenae genus per ſe dedecoroſum eſt: ſed quia conſtitutum eſt ſupplicium turpitudinis. Verum nos maximo errore implicati

turpitudine carere non laboramus; poenam ejuſdem ut ſummum malum fugimus: cum tamen nulla major hic poſſit eſſe gloria, quam ignominioſum ſupplicium pro virtute toleranter perpeſſum. Sed quid ego me do in hoc vaſtum rerum pelagus? Coërceamus licentioſam excurſionem; et in ſumma conſtituamus, hanc vitam, non ſecus atque muſica eſt ex gravibus, acutis, atque mediis ſonis, ex triſtibus, laetis, et tolerabilibus attemperatam. Sunt enim (ut Plutarchus ex Menandro depromit) συγγενές τι λύπη καὶ βίος; hoc eſt, *cognata ſunt moeror et vita*: et, ut Homerus ingenioſe commentus eſt,

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει.

Dolia namque Jovis ſunt uſque in limine bina.

Horum in uno bona, in altero mala conduntur: ex utroque miſcet Jupiter et diſpenſat, etſi non ſemper portionibus aequis, inter mortales.

Franc. Commentari ſecum futuras calamitates, et rerum moleſtias anticipare, videtur potius ad jactationem vitae, quam tranquillitatem facere. Nam, ut bona ſaepe falſo ventura ſperantur, itidem et de malis uſu venit. Quid ergo attinet, animum implicare ſe ipſum perſuaſione fallaci mali nunquam fortaſſe venturi? Sed fac certo venturum. Quid opus eſt ſponte arceſſere praemoleſtiam? imo malum (quod apparet) duplicatur ejuſmodi praemeditationibus, quae nos in timores et triſtitias ante tempus conjiciunt: Potior

tior eſt igitur incogitantia atque inconſiderantia, quam proviſio quae terrificas illas cruces aſſidue in oculos incurrentes habet.

FLOR. Sic mihi nota eſt judicii tui praeſtantia, ut non dubitem te aliter ſentire, ac argumentatio tua oſtendit. Sed juvat te (quod excellentis naturae eſt argumentum) ejuſmodi difficultatum utilis explicatio. Et profecto quod in praeſentia proponis, eſt ad cognoſcendum non illiberale. Hunc ipſum ad modum colligere ſolitus eſt Epicurus, voluptatum aſſertor acutiſſimus: qui hanc, quam ſtatuimus, malorum praemeditationem, iſta ipſa de cauſa, quod moerorem praematurum afferat, damnavit. Carneades nos naturae iraſci voluit: ac dolendum dicebat, quod in tam crudeles neceſſitates incidiſſimus. Sed ſane infractio haec et mollitudo animi philoſophos (hoc eſt, vere homines) non decet. Principio confiteor, ignorationem et incogitantiam hoc interdum praeſtare, ut minus, vel certe non tam cito timeamus: idcirco et Ariſtoteles quoſdam ad ſuſcipienda bella alacres non continuo fortes cenſet; eo quod vis illa animi non a judicio et proviſione, ſed ignoratione magnitudinis periculi, quae eſt in pugna, proficiſcatur. Et eſt ſane temeritas florentis et juvenilis aetatis, fortitudo et ſapientia virilis et ſenectutis. Verum hoc, quod eſt ab ignoratione beneficium, homini multis de cauſis eſt repudiandum. Primum, quod nullam mereatur laudem falſa illa animi excelſitas, quae ex tam vili origine, hoc eſt, oblivione aut incogitantia ſit profecta. Hominis dignitas omnis eſt (ut ſaepe diximus) ex

 ingenii

ingenii atque rationis praeſtantia. Hinc eſt, quod omnis cognitio laudem habet; ignoratio, contra, vituperationem: quae tum multo gravior eſt, cum eſt ſponte arceſſita. Quid enim aliud eſt, hominem ſe ignoratione tueri, quam divinum hoc, et proximae a divis dignationis animal, ad belluarum devocare atque deturbare conditionem; dum vigor animi, qui a ratione petendus fuit, quemque ſapientia repraeſentare debuit, ab ipſa ſtupiditate atque ignoratione ſtatuitur mendicandus? Quis eum exercitus vellet ducem, cui periculorum belli nulla eſſet proviſio? Qui navigaturi mari ſe crederent ei navarcho, cui nulla eſſet ventorum praeſagitio, nulla praeſenſio tempeſtatum? Ergo ſapientiae conſiliis, non ignorationum tenebris abercendus atque propulſandus eſt timor. Deinde illud vobis ſuccurrat, graviorem fieri plagam ex non opinato: et mala ipſa, quae proviſa non fuerunt, cum incumbunt et premunt, duplici de cauſa eſſe multo graviora, quam ſi multo ante fuiſſent meditata. Tum quod quicquid corporeum eſt, ab animo ſapienter ponderatum atque aeſtimatum, multum de pretio amittit: videbit facile animus, nihili eſſe res quaecunque corpus vel delectant, vel excruciant: ut cui conſtet, corpora umbras eſſe perituras, et ſuam dignitatem perpetuo illabefactabilem conſiſtere. Tum etiam quod futuri incommodi meditatione animus excitatur ad comparanda praeſidia, et ad armandum ſeipſum: quod quidem non tam commode in ipſo periculi puncto, vel dum proxime impendet malum, fieri poteſt: nam *galeatum ſero duelli poenitet;* longeque felicius is ſapit, qui ante ictum, quam qui ictus

tus ſapit. Horum itaque non ignari callidi imperatores, longe pluris faciunt veteranos milites, quos pericula non fugiunt, quam novitios aut tirones rerum imperitos. *Obtundit itaque* (ut ait Cicero) *atque elevat aegritudinem meditatio conditionis humanae, lex et commentatio parendi:* quae quidem non hoc quod Epicurus ait, hoc eſt, ut ſemper moereamus; imo contra, ut nunquam moereamus, affert: dum mala illa, quae in horas accidere poſſunt, nihil eſſe intelligimus; quae eadem ſi non accidant, inſperatum quoddam afferunt lucrum. Poſtremo, nullus eſſet virtutibus locus, ſi ad ignorationem iſtam foedam confugiatur. Non enim temperans eſt is, qui non immodice appetit voluptates ſenſuum, quia ubi ſint, aut unde petendae ſint, ignorat: neque fortis continuo eſt inſcius, eoque ferox. Sed cum utrobique animi conſiliis, huic agnita pericula contemnuntur, illi rejiciuntur voluptates, quae ſunt in promptu, ut officii conſtet integritas. Non negarem Epicuro, licere animo, cum praeſens dolorum acerbitas fodicat, ut ſe aliorſum a cogitandis doloribus avocet: non quod hoc virtus praecipiat, aut quod terga dare atque ſe abdere velit ipſa; ſed quia rara eſt ejuſmodi virtutis perfectio, quae fodicantibus acriter malis poſſit ad contemptionem atque deſpicientiam dolorum aſcendere. Sed de hoc poſt dicendi erit locus.

CAP.

Cap. XIV. 2.) *Mundum divina providentia regi, omneſque adeo caſus in meliorem partem eſſe accipiendos docetur, variique nodi expediuntur.*

Verum cum legum vitae ratio nobis ſaepe iniqua videri poſſit, adhibenda eſt et illa coeleſtis providentiae conſideratio; ad quam quidem omnia, quae nobis caſu et fortuito (hoc eſt, improviſa) accidunt, relata, ſtabilis cujuſdam conſilii rationem accipiunt. Neque tamen hoc ſolum in providentiae confeſſione concluditur, ut Deo generalem rerum procurationem tribuas: imo tibi perſuadeas oporteat, illum ubique intimum atque praeſentiſſimum adeſſe: omnia tum audire, tum videre omnia etiam occultiſſima: tum et ne geri quidem quicquam, quod turpe non ſit (nam hoc non vult, ſed permittit) niſi de illius voluntate. Plebeii aliquot philoſophi, qui ex ingenii ſui anguſtiis divini intellectus magnitudinem aeſtimare auſi ſunt, Dei proviſionem ad haec ſingula particulatim ſe proferre negabant. Sed qui ſubtilius in ea re verſati ſunt, cum vidiſſent, hanc intellectus noſtri anguſtam infirmitatem omnem orbem cogitatione ſepire, et ab eodem plurimarum rerum temporis momento fieri percurſionem: facile conſentaneum eſſe viderunt, ut illa infinita divinae mentis poteſtas omnia etiam minutiſſima una intelligentia complectatur. Quid? quod Deus praeſtantiſſima res eſt, et totus hic orbis ejuſdem eſt opificium. Praeſtantiora autem ſunt, quae rationem habent, iis quae rationis ſunt expertia: neque quicquam ridiculum magis dici poteſt, quam tam praeſtantis

atque ordinatae machinae artificem ſui operis rationem exacte non tenere; aut ea, quorum nos partem exiguam vix ſumma ratione comprehendimus, ſine ratione regi. Omnino ergo perſuaſum nobis ſit, dominum ac moderatorem omnium rerum eſſe Deum: quicquid geritur, ejus ditione ac numine geri: eum denique optime de hominum genere mereri: et qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri; piorumque et impiorum habere rationem. *His enim rebus* (ut ait Cicero) *imbutae mentes, haud ſane abhorrebunt ab utili et vera ſententia.* Sed nos accuratiore harum rerum enucleatione omiſſa, ad id quod inſtituimus redeamus. Tanta itaque cum ſit divini contuitus atque adminiſtrationis facultas, ſummo nobis ſtudio cavendum eſt, ne quando quicquam in nos, quod illius oculos offendat, admittamus. Et quando adverſum nihil non illius ordinatione contingit, afflictiones et anguſtias placide, et citra querelam aut ullam offenſi animi ſignificationem toleremus. Quoties flagitioſa aliqua res ad ſe pellicit (ut honeſtiſſime praeceptum eſt) *πάντων δὲ μάλιϛ' αἰσχύνεο σ' αὐτὸν*, hoc eſt, *omnium maxime te ipſum reverere.* Singularis enim laudis res eſt, aliquem non ſuſtinere, ut ſibi ipſi turpitudinis alicujus (ut caeteros fugiat) ſit conſcius; ut quicquid vel ſe ſolo teſte facit, id populo ſpectante fieri credat. Verum ſanctior eſt illa religio et reverentia adverſus Deum immortalem, qui cunctos greſſus tuos, quocunque eas, dinumerat; qui etiam molitionum occultarum animi idem eſt et inſpector et cenſor. Ab improbitate ſi abſtines, non poenae metu, ſed nequan-

ne quando illius laceſſas bonitatem, ad virtutis omnis atque praeſtantiae culmen perveniſti. Si propter eundem (non ignarus hunc eſſe parentem ut optimum, ita et ſapientiſſimum, adeoque et cruciatibus ipſis conſulere rationibus tuis) aerumnas generoſe perfers, virtute tua inter heroas tibi locum paraſti. Quod ſi, non callidus uti rebus, obmurmuras et indignaris, dupliciter miſer ſis, et corpore, quod nihilominus excruciatur; et animo, quod impotenter et cum indignatione doloribus divinitus immiſſis ſuccumbas. Adeſte uterque animis, et me de re in primis ſalutari dicentem diligenter attendite. *Fabula* (ut tradit Epictetus) *haec vita eſt: hujus auctor eſt Deus, nos actores. Ab illo cuique ſua quaedam perſona eſt impoſita: huic domini, huic ſervi; huic pauperis, huic divitis; huic illuſtris, huic inglorii; huic informis, huic formoſi; huic florentis, huic aerumnoſi.* Ergo apud nos (cum non noſtro, ſed alieno arbitratu hic vivatur) omnino conſtituamus perſonam impoſitam gnaviter agere; illud nihil addubitantes, non minoris eſſe ingenii aut laudis rem in Iri, quam Croeſi perſona gerenda, praeclare ſe dare. Neque unquam cauſanda eſt difficultas. Vetus praeceptum eſt, Deum ſequere. Non obluctantes, aut gementes, ſed impigri et alacres, cum Cleanthe, ſequamur ſummum illum patrem, et celſum dominatorem poli, quocunque ille duxerit. *Ducunt* enim *volentem fata, nolentem trahunt,* ut ait Tragicus. Si inviti paremus, ſervi ſumus; ſi volentes, miniſtri. Non tam ſtolidum, quam damnoſum eſt, πρὸς κέντρα λακτίζειν; hoc eſt, *contra ſtimulum calcitrare.* Omnia quae gemimus, aut expave-

pàveſcimus, tributa ſunt naturae, quorum immunitas fruſtra vel petitur, vel ſperatur. Impedita eſt vitae via, plurimum eſt pulveris et luti, ex quo non abſque labore eluctabimur. Hoc habitationis hujus vel diverſorii eſt ingenium, toleranda ſunt plurima mala: quod ſi tibi non placet, id tibi dicet natura, quod Germani hoſpites viatoribus hoſpitio acceptis interdum ſolent. Nam cum hypocauſtum illud, in quod omnis generis turba ſe confert, fueris ingreſſus, ſi offenſus cubiculum tibi ſeorſum petas, etiam ut vulgaris fortunae ſpeciem ſuperes; aut ſi coenam ante multam noctem, cum nemo amplius exſpectatur hoſpes, flagites; Quaere aliud (aiet horridiuſculus ille hoſpes) diverſorium, ſi tibi hoc non placet. Hic his vivitur legibus, dicet, quarum tibi gratiam nequaquam eſt facturus. Itaque cum ex vita exire nobis non libeat, redeamus in gratiam cum hoſpite natura, accommodemus nos illius ingenio: et dum non poteſt fieri id quod volumus, id velimus, quod poſſumus; niſi malimus trahi, quam duci. Praeter autem hanc neceſſitatis conſiderationem, quae nos ad generoſas perpeſſiones plurimum animare debet, eſt tum neceſſitatis hujus conditio communis: eadem omnes et morborum, et caſuum et mortis denique alligat neceſſitas: nihil eſt in te proprie conſtitutum. Quod ſi durius et aſperius multo, quam caeteri ſoleant, tractari videris, illud tibi ſuccurrat, Robuſtiores eſſe arbores qua parte Aquilones excipiunt, quam qua Zephyros vel Auſtros: Dura animi vires firmare, delicias frangere ſolere. Tum et illud meditandum

dum eſt, in caſtris periculoſa fortiſſimis imperari: Ducem lectiſſimos mittere, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut praeſidium loco dejiciant. Quod dum fit, nemo ex iis qui miſſi ſunt, imperatorem male de ſe meritum, ſed bene judicaſſe exiſtimabit. Hoc modo nos cum dura illa, et timidis ignaviſque flebilia patimur, dignos nos eſſe Deo viſos arbitremur, quibus non vulgares difficultates ſuperandae ſint propoſitae. Sed nos omnium horum obliti, ſi quid ſit quod mollitudini noſtrae officiat, aut voluptatum fructum perturbet; nos muliebribus ſtatim dedimus lamentis; aut excandeſcimus, tanquam fidem ſuam chirographo aſtrinxiſſet natura, omnia nobis caſura pro voto, inoffenſum proſperitatis curſum futurum, fortunam nos ſolos in deliciis habituram, ac tantum non in ulnis geſturam: ut, cum ita turpiter nos damus, exprobratio illa apud Juvenalem in nos veriſſime competat.

Te nunc delicias extra communia cenſes
Ponendum; quia tu gallinae filius albae.

Epictetus vult, *ut ſemper velimus fieri quae fiunt:* ubi tamen adjiciendum eſt, dummodo nihil turpe ſit adjunctum. Scelus quidem eſſet optare parentis, aut amici, vel cujuſquam funus: verum, poſtquam tale aliquid accidit, intoleranter dolere contra officium eſt. Paulus noſter noluit nos in ejuſmodi caſibus contriſtari, more eorum, quibus nihil ſpei reliquum eſt. Jam enim opere ipſo nobis numinis voluntas eſt declarata. Omitto quod immodicae dolorum ſignificationes arguunt animum

mum praeſentis lucis nimium amantem. Ex Stoicis nonnulli in hoc genus caſibus nobis moeroris ſimulationem non moerorem concedunt. Seneca quodam in loco leves quoſdam humanitatis morſus admittit: et immane eſſe ait, eodem vultu carorum funera, quo ipſos aſpicere; et non ad primam neceſſariorum diviſionem commoveri. Subtiliter quidem ab eruditis diſputatur, quomodo nos, non tam in noſtris, quam amicorum duris extremiſque temporibus, ad Dei voluntatem conformare debeamus; et quatenus ab eadem diſcrepare liceat. Verum tota rerum concluſio huc tendit, ut in omni affectu, undecunque is natus ſit, ſemper intelligatur ſalva et incoluminis ratio honoris, qui divinae voluntati debetur.

DEMET. Quomodo ſuſcipiendi ſunt iſti humanitatis morſus in alienis caſibus; cum nobis praeceptum ſit, ut in noſtris ipſorum aerumnis ſimus alacres? Aut quomodo me habere debeat procuratio quietis alienae, ſi mihi ipſi vitio vertitur ſubterfugere labores? Si in bonis ſunt vacare doloribus, et requieſcere; cur non mihi ipſi potius iſta paro, quam alteri? Num aliis bona ſunt, mihi non item? Vel hoc ratio aliqua poſtulat, ut alius mihi meipſo carior ſit? Adde quod potius animandi videntur ad tolerantiam alii, quam ſublevandi; cum ea in re virtutis fructus eluceat. Sin mala ſunt quies et indolentia; neque mihi ipſi, neque aliis ſunt conquirenda.

FLOR. Evagatur nonnihil iſta tua diſputatio: ſed quia in explicatione frugis aliquid ineſt,

 ſic

ſic habeto: licere nobis etiam mala iſta, quae poenae vocantur, tam a nobis ipſis, quam ab aliis hominibus, honeſtis rationibus propulſare. Neque hoc eſt providentiae ordinationem aut auctoritatem defugere: quandoquidem hoc a natura tributum eſt omnibus, ut ſe, vitam, corpuſque tueantur; declinentque ea quae eis videantur nocitura. Hoc tantum virtus exigit, ut dum nobis incumbunt, animis non cadamus, non exiſtimemus nos eſſe in magnis malis, ſuperos non incuſemus, imo ut fateamur nos majora commeruiſſe, eoque animi ubique praeſtanda eſt aequabilitas. Verum hic hoc obſervatu dignum eſt, proprium eſſe excellentis animi, indolentias, utilitates, et ſuavitates iſtas vulgares aliis facile et libenter permittere; et contra, honeſtum atque decus ſibi ipſi reſervare. Ad laudem ergo pertinet, dolentius ferre alienos caſus, quam ſuos; et alienis doloribus ſolicitius ſuccurrere: maxime ſi in eo, qui hoc officii meretur, infirmitas aliqua, quae alioqui ſuccubitura ſit, appareat. Neque hoc eſt minus, ſed plus ſeipſum amare: eo quod illud quod amovere ſtudes, non eſt in veris malis; et quod affers item, non eſt in magnis bonis. Ea gratia ſingulariter delector Patavinae illius mulieris virtute; quae, damnato Paeto marito, prior ſeipſam gladio confodit, virili plane et oratione et facto maſculinum animum teſtata. Non quod probem factum, ſed quod radius quidam excelſitatis neſcio quomodo mihi mentis lumina perſtringat. Sed audiamus Martialem:

Caſta

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Paeto,
Quem de viſceribus traxerat illa ſuis,
Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Paete dolet.

Praeſtantiſſimi item duces poſt victorias ſpolia plerumque concedebant militibus, gloriam ſuam eſſe voluerunt. Ageſilai, Catones, et Marii ſemper indignum duxere, in caſtris ſeipſos lautius tractare quam milites: monſtrabant potius tolerare labores, quam jubebant. M. Curius et T. Coruncanus (quod eſt apud Ciceronem) optabant, ut Samnitibus Pyrrhoque perſuaſum eſſet id, quod de voluptate maxime expetenda a quodam qui Athenis ſe ſapientem profitebatur (ut fama acceperant) erat definitum: nam ea ratione minus laborioſam fore victoriam ſperabant, ubi hoſtes ſeſe dediſſent libidinibus. Utinam apud nos, qui praecipue Chriſti imitationem profitentur antiſtites, quique ejus nomine plurimum et ditionis et opum poſſident, in nobili hac ſententia eſſent; ut ſe omnium, quod ad labores attinet, Chriſti inſtar maxime aerumnoſos eſſe velint; luxus atque opum contemptum vita ipſa nos docerent; vulgo corporis commoditates, hoc eſt, bonorum faeces relinquentes. Sed homines in hoc laudis genere modeſti, et minime ambitioſi, illuſtre illud laboris decus, quod in docendo Evangelio, et in reprimendis libidinibus ineſt, Chriſto permittunt: ipſi ſordes, diſſolutum vitae genus plerumque amplectuntur; contenti externo quodam cultu locum, quem tenent, et munus explere, et ceremoniis vulgo ſatisfacere. Sed quomodo quis

illud amplectatur, quod ne per ſomnium quidem vidit unquam, neque videre quovis modo ſtuduit?

DEMET. Iſtuc rurſus apparet ſe ipſum amare, et non alios; ſibi ipſi vera bona cupere, et quas vocas bonorum faeces ſinere vulgo.

FLOR. Utinam hoc amoris genus nos omnes haberet, et tanta eſſet ſingulis contentio in hoc de veris bonis certamine vincendi, quanta eſſe ſolet iis, qui de falſis perpetuo dimicant. Quam ſpecioſa, et quam generoſa eſſet illa pugna, ubi unuſquiſque alio ſtuderet tum modeſtior, tum fidelior, tum tolerantior, tum vitae hujus deſpicientior, tum ſapientior eſſe! Quanta ex hoc bello rerum pax, et quam florens exiſteret! Siquidem natura haec eſt bonorum verorum, et animi, ut ipſa propagatione et communicatione (contra ac eſt in falſis) creſcant. Sunt enim participia illius immenſi et infiniti boni, et ad divinitatem proxime accedunt, Quicquid vero ad corpus pertinet, hoc ipſo quod corporis eſt, contractum eſt et anguſtum: ideo late ſpargi ac diffundi in ſingulos non poteſt. Sed me callem deſerere cogis Demetri.

DEMET. Nunc nunc iſtuc quo vis, me referam. Res adverſas, quas caſus aliquis, aut naturalis neceſſitas affert, perfortiter ferendas facile tibi conceſſerim: ſed non perinde accipienda videtur iſta hominum improbitas, quae ſaepe longe diverſum meritis pericula creat capitalia. Hominem

minem omnino ratione uti decuit, et non inconſiderate ad faceſſendum alteri negotium procurrere.

Flor. Aliter ſe res habet, atque tu accipis: et fortaſſe ſi rem penitus excutiamus, inveniemus, injurias, quae ab hominibus fiunt, aequiore tolerandas animo, quam quae aliunde accidunt. Mors a natura eſt; corporis morbi perſaepe ab aëre: nunc ut naturales res expertes ſint indigenae (ut ita loquar) ſenſus et cognitionis; diriguntur tamen a Deo, ſine cujus nutu nihil neque ſupra, neque ſubter fit: eoque quae et caſu contingunt, proficiſcuntur a divino ſenſu, in quem non poteſt cadere perturbatio aliqua, aut ignoratio, aut infirmitas. Contra eſt in hominibus, qui plurimum non niſi aliquo modo perturbati nocent: conveniet ergo miſereri infirmitatis humanae; et exiſtimare homines non minus venia dignos, quam naturam ipſam, aut caſum. Si per urbem incedens puellus aliquis quadrimus in te lutum conjiciat, aut virga, quam tenet, faciem (quod fit interdum) caedat; nihil prorſus, niſi bellua ſis, ſuccenſes: tantundem ab adulto ſi fiat, iraſceris, quod huic ſit major ſenſus copia. Hujus haud dubie ſententiae fuit Socrates, cum a comite exſtimulatus aliquando eſſet ad ulciſcendum illum, a quo praeteriens fuerat injuria percuſſus. *Quid*, inquit, *ſi in me impegiſſet aſinus? Eſſetne ille mihi continuo furioſe vindicandus?* Nimirum illi aſini loco erat homo temerarius et inconſideratus.

DEMET. Verum, ut credibile eſt, natura, vel coeli providentia, nos non afficit ejuſmodi incommodis animo nocendi, aut aliquo ſtudio malevolentiae, ut faciunt homines. Homo item in inferendis ejuſmodi injuriis facit contra officium, et in ſe dedecus atque culpam admittit; quae quidem in naturam, aut numinis proviſionem, non cadunt.

FLOR. Quid tua illud intereſt, ſi ille nocendo culpam in ſe admittit? Tu non illi infenſus es, quia peccavit in leges aequitatis; ſed quia accepiſti tu damnum vel plagam, unde eſt dolor; adeoque ille animus nocendi illi ipſi cujus eſt, non tibi nocet. Et quis eſt hic animus nocendi? Vult tibi luxata membra, aut ademptam vitam. Nonne eadem, aut paria vult natura? Adde quod, quae ab illo deſignata ſunt, aut patrata, ſaepe ex metu exiſtunt: quod veritus ſit, ut te ſalvo res ſuae poſſent conſiſtere. At natura ſibi a te nihil metuit. Sed fac animum nocendi hic reddere hominis quam naturae cauſam deteriorem: tamen cum nemo niſi a ſeipſo, dum volens turpitudinem ſuſcipit, laedatur; tuae dexteritatis erit hic, praeterita illa cogitatione nocendi, quae nihil facit ad rem tuam, parem hinc inde tolerantiae laudem atque fructum colligere. Haec ſi non ſufficiunt, illud abunde te ad animi aequabilitatem excitare debet; quod nihil in te, etiam ab homine profectum, haerere poteſt, quod non divinitus ſit immiſſum. Poſſem hujus rei teſtes exteros et profanos citare; ſed nullum invenio luculentius hujus veritatis documentum eo, quod de Davide, prae-

ſtan-

ſtantiſſimo Hieroſolymorum Rege, in ſacris eſt proditum. Hunc aliquando, ſtipatum etiam lectiſſima militum manu, nefarius quidam vir non ſolum conviciis multis, ſed etiam jaculandis ſaxis petebat, regem virum ſceleratum et ſanguinarium palam vociferans: rei indignitate motus Abiſaius, ducum maxime inclytus, nebulonem protinus de medio tollere parabat. Caeterum Rex impetum ducis cohibuit, orationem hanc non minus prudentiae quam ſanctitatis plenam uſurpans: *Filius*, inquit, *meus Abſalomus inſidiatur vitae meae: quo minus mirum videri debet, ſi hic Semeius regnum familiae illi cujus eſt affinis ademptum dolens, mihi maledicat. Sinite ut quod coepit facere pergat. Ita enim ut faciat eſt illi a Deo ipſo, cujus voluntatis ratio quaerenda non eſt, imperatum. Et quis neget, hoc fortaſſe eſſe conſilii Deo, ut inſpecta hac mea tolerantia mihi malis erepto priſtinam rerum omnium dignitatem et gloriam reſtituat?*

DEMET. Cum vexationes et injuriae forinſecus advenientes, ſive eae ab homine, ſive a caſu veniant, ſint, quae nos in iras, metus, aegritudines et dolores conjiciunt; quamvis jam ſubtiliter et generoſe de perferendis adverſis dixeris in ſuperioribus; per tamen gratum nobis facies, ſi ad iſtam rerum ſubtilitatem atque ſublimitatem amplificationis aliquid adjunxeris, atque orationem parumper dilataveris.

FLOR. Tu fortaſſe Demetri, dummodo auribus tuis ſit ſatisfactum, non laboras, an ipſe confuſa et inordinata rerum tractatione inſipientiae atque ruditatis notam ſubeam.

Demet. Is mihi ſane videtur rerum nexus in argumento tam uberi, tamque late patenti, ut neceſſe ſit, eoſdem aut ſimiles locos ſaepe occurrere. Seneca et Plutarchus graviſſimis in iſto argumento tractando utuntur ſententiis; ſed fortaſſe minus diſtincte atque diſtribute collocatis. Cicero, qui ſibi laudem apte, diſtincte, ornateque dicendi ſuo jure, nec ſane immerito, vindicat; etſi diſtributius iis, quos commemoravi, in Tuſculanis quaeſtionibus diſputat; cogitur tamen interdum in eoſdem denuo locos incidere, quos (verbo abſit invidia) ornatius ſaepe quam acutius tractat. Tu ſane, ſi quid eadem de re rurſus dicendum eſt, nec prius dicta repetis, et quae nova affers, ita accommodas ad praeſens propoſitum, ut ea propria ejus loci ac temporis videantur.

Flor. Vis tu quidem, ut video, Demetri, prae abundantia quadam amoris ex culice facere elephantum. Sed ne nos fruſtra (etſi praeter meritum) laudaveris, tibi in praeſentia mos geretur. Itaque praeter ſuperiores rationes leniendi doloris, aut aegritudinis cujuslibet, reſtant aliae; uberrimae quidem eae, ut quae in multas rurſus partes diviſionem admittant. Vocemus harum primam, ſi placet, interpretationis candorem. Ea enim ſi adſit, opinione majores etiam ex ipſis doloribus et offenſionibus voluptates capiemus. Et iſtud ſane res erit ſingularis et ingenii et induſtriae, efficere ut in diverſum cedant quaecunque injuriae; et ut fortuna victa cogatur de nobis dicere, quod apud Senecam in Tragoediis de Hercule Juno queritur;

——*Quic-*

——Quicquid horridum tellus creat
Inimica, quicquid pontus aut aër tulit
Terribile, dirum, peſtilens, atrox, ferum,
Fractum atque domitum eſt: ſuperat, et creſcit malis:
Iraque noſtra fruitur: in laudes ſuas
Mea vertit odia; dum nimis ſaeva impero,
Indomita virtus colitur, et toto Deus
Narratur orbe: monſtra jam deſunt mihi:
Minorque labor eſt Herculi juſſa exequi,
Quam mihi jubere: laetus imperia excipit.

Etenim, ut ferarum domitores etiam leones et tygres manſuefaciunt; ſic ſapiens dolorem, egeſtatem aut ignominiam, cum ad eum pervenerunt, cicurat, et ad tolerabilem atque domeſticam quandam manſuetudinem perducit. *Tam imbecillum eſt* (inquit Seneca) *quod nocet, quam is cui nocetur:* quod equidem ſic intelligo, ex animi videlicet noſtri vigore, aut ſupinitate, moleſtiis pondus addi, vel detrahi. Si ergo noſtrae mentis infractio eſt, quae intolerantiam efficit; non res, ſed inertia noſtra culpanda eſt; non ſecus ac ſi onus aliquod eſſet, qund pro ferentis alacritate gravius aut levius redderetur: tum certe nemo merito poſſet ponderis cauſari iniquitatem. Hoc quomodo fiat, dicamus. Animus noſter in hoc corpus demerſus, et dum per ſcopuloſum hoc mare navigat, Sirenum cantu facile decipitur; hoc eſt, mire pronus eſt ad ea perſequenda, quae ad praeſentis vitae ſuavitatem faciunt: unde fit, ut ſtatim profunda patriae oblivione capiatur: neque unquam de reditu ſit ſolicitus, nunquam natalium recordetur; ſed hic perpetuo ſepeliri cupiat, non ſe-

cus atque ſus in volutabro coeni. Videtis ut ad mortis leviſſimam mentionem exhorreant ii, qui ſe totos vitae hujus deliciis dediderunt: imo ut ne Dei quidem, qui omnia largitur, illis unquam veniat in mentem. Ergo parens noſter, ne prorſus ſui obliviſcamur, ne prorſus degeneremus, immittendis difficultatibus haec mala et falſa noctis hujus gaudia conturbat, dolorum ſtimulis veternum diſcutit, et docet uſu ipſo, ſub roſis iſtis plurimum eſſe graviter pungentium ſpinarum; mel in ſuperficie natare, fundum verſus fel et amarorem contineri. Nonne et nutrices, cum a lacte ad cibum ſolidiorem traducere volunt pueros, papillas ſinapi aut amaritie aliqua obducunt? Et mehercle mihi quidem plane exultandum videtur, cum in res adverſas incidimus. Quis noſtrum, ſi in ea navi dormiret, quae demergi inciperet, non illi ex animo haberet gratiam, a quo eſſet excitatus, cum cuncti praeter ipſum in ſcapham deſiliiſſent, ut poſſet una cum aliis ſalvus ad littus deferri? Et profecto niſi prorſus dementes et impii ſumus, longe aegrius ferre debemus, divinam noſtram partem perpetuo inter ſordes conſopiri, demergi et ſepeliri; quam corpuſculum hoc, quod neceſſe eſt aliquando terra obruatur, in undas ſemel abjici. Sed tantum poteſt (Superi veſtram fidem!) apud nos ille Sirenum cantus, ut non ſecus iraſcamur rebus eis, quae nobis exitioſum hunc ſtuporem excutiunt, quam Micyllus ille cerdo apud Lucianum gallo ſuo, quem ſe extincturum minabatur, quod nocturnis clamoribus ſomnium illud ſuave, quo ſibi opibus et deliciis omnibus affluere videbatur, impediret,

diret, et ad vigiliam etiam lucroſam ex ſpecioſis illis viſis abduceret. Sed eſt haud dubie hoc argumentum animi nimium degeneris: et ut quemque maxime abhorrentem a diſceſſione ex hac vita, atque a diſſociatione corporis videmus; ita minimi nobis, quamlibet alioqui aut dives, aut formoſus, aut potens ſit, eſt faciundus: dat enim manifeſta ſigna ignobilis animi. Animus vero ubi ignobilis fuerit, quid nobile, aut quid alicujus omnino momenti homini eſſe poteſt? Sunt ergo nobis aerumnae pharmaca, aut antidota contra voluptatum toxica. Deinde praeſtant hoc, ut ipſi nobis explorati ſimus; et quantum in nobis animi atque fortitudinis inſit, aperte cognoſcamus. Quis enim ſcire poſſit, ut inſtructus ſit adverſus paupertatem, qui perpetuo divitiis affluit; adverſus ignominiam, qui inter plauſus ſeneſcit; adverſus dolores, qui voluptatibus deliqueſcit? Quod ſpecimen ingentis animi ille dare poteſt, cui inoffenſus ſit felicitatis hujus tenor; cui currunt albi dies, horaeque ſerenae; quem indignum duxit fortuna, quocum luctaretur; cui denique nulla unquam inſignis difficultas ſit objecta? Tradit Seneca, omnino fortis eſſe animi, cupere ſibi proponi arduum atque laborioſum aliquid, in quo animoſe perferendo, aut ſuperando, vim ſuam expromat et declaret: quemadmodum ille generoſae indolis puer Aſcanius apud Virgilium,

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

Talis

Talis animi vigor, me judice, etſi plane laudandus eſt, attamen non eſt omnino neceſſarius; eo quod nemini deſint ſuae quaedam intimae perturbationum difficultates, etiam ut nihil ex fortuna extrinſecus accedat, quibus profligandis abunde nobis laudem paraverimus. Verum cum ſapienti nihil inexſpectatum eſſe debeat, praeludiis et tirociniis quibuſdam condiſcenda eſt admirabilis illa patiendi ſcientia. Nam quae agenda ſunt in acie, exercitatione ludicra praediſcere, ac meditari convenit. Nemo diſcit, ut, ſi neceſſe fuerit, in roſa jaceat: ſed in hoc duratur, ut tormentis non ſubmittat fidem; ne libidine vel dolore victus, nativae dignitatis atque decoris propugnationem deſerat. Quocirca, quamvis nobis nondum terrificae illae rerum facies ſint objectae, nec vincula oſtendantur, nec lictor inſtet; interim tamen in minutis offenſiunculis diſcamus gradum facere ad majora, et conſueſcamus facile carere vulgaribus hiſce voluptatibus, perferre paupertatem, convicia, frigus, aeſtum, ſitim, et levia id genus incommoda. Qui lucernae lumine offenditur; quomodo poterit radioſi Solis contueri fulgores? Qui abſque molli pulvino quieſcere nequit; quid faciet, cum cubandum eſt humi, aut in carcere caput eſt inclinandum ad ſaxum? Qui levibus punctiunculis depellendis medicos arceſſit, qui ſtudioſe pharmaca adhibeant; quid ſibi reliquum fecit ad levamen, cum magni incumbunt dolores? Quo vultu crucem, ſecurim, aut flammas ſibi paratas aſpiciet, cui cum Venere et inter plumas vita omnis eſt exacta? Laconum pueros proditum eſt ſolitos ſe ſponte flagris offerre, in

quibus omnium generoſiſſimus et princeps is eſt habitus, qui omnium ultimus caedenti ceſſiſſet. Solida animi virtus, quae adverſis non ſuccumbat, nec proſperis infringatur, non paratur, niſi crebra virium periclitatione, et perpeſſionibus acerbarum rerum. Verum nos, omnino contra quam factum oportuit, ad debilitationem eam et infractionem animi, quam a natura accepimus, induſtriam addimus noſtram, nullum vitae momentum vacuum praeterire patientes voluptatis alicujus abjectae fructu. Non ſatis habemus vacare doloribus, niſi omnia adſint quae ad delicias faciant. Sed neque iis mediocribus contenti ſumus: imo novae ſemper et majores voluptates quaeruntur; nec deeſſe patimur, niſi ſumptuum magnitudo prohibeat. Vidi ipſe ex Antiſtitum ordine, qui, ne interea quidem dum ſacrum fieret, atque animus totus fuit ad divina ſubvehendus, in ipſis ſacellis carere voluerit cantionum deliciis, quas organa illa praeſtant quae vulgus populariter Violas vocat. Hoccine eſt comparare ſe ad dimicandum cum fortuna, et ad firmitatem animi, laudem in primis neceſſariam, contendere; et non potius, dum orientem Solem verſus eundum fuit, ad Gades et Herculis columnas plena velificatione properare? Ut ea ſit noſtra fortuna (quanquam nullius cujuſquam talis ſit) ut neque a morbis nobis, neque a doloribus, aut hominum injuriis timeamus, certe ſummum illum diem vitare non poſſumus. Ad eum, cum Seneca, non timide nos componere debemus. Magna res eſt, et diu diſcenda, cum adventat hora illa inevitabilis, aequo animo abire. Ea de nobis remotis ſtrophis

ac fucis pronunciatura eſt, utrum loquamur duntaxat, an et ſentiamus fortia; et an ſimulatio fuerit et mimus, quicquid contra fortunam jactavimus verborum contumacium. Poſtremo compenſatio quaedam eſt facienda; nec tam in mala quae adſunt, quam in ipſa bona intueri debes. Si natura tibi negavit formam; hoc damnum forſan rependis ingenio. Non ſunt tibi opes: es forſan extra aes alienum. In aere es alieno: ſed corpore vales. Humilis eſt tua conditio: pauciores invident. Carcer te ſepit: mentis uſus eſt liber; nec morbo gravaris. Morbus te affligit: verum animo (niſi nolis) et viges et flores. Ademptae ſunt opes: adſunt pleraque alia bona; vita, vires, ſenſus. Quod ſi praeſentia leviora tibi videntur, quam ut res ad aequilibrium revocare poſſint; annecte et praeterita beneficia: quantum tibi vitae exactum eſt in libertate, in honoribus, et in deliciis. Nam praeteriti beneficii gratiam non praeteritam, ſed praeſentem, imo ſempiternam eſſe oportet. Et ſane, ut mihi quidem videtur, etiam ut tibi infenſus et inimicus eſſe coeperit, etiam praeter tuum meritum, qui olim aliquid in te officii contulit; conveniet in omne aevum ſuperioris benevolentiae habere rationem. Sordidum nimis eſt, aliquem totum ex futurarum utilitatum ſpe pendere. Quod ſi nec horum acceſſione, malorum lanx ſe tollit; etiam futuras commoditates appone, *Laedere qui potuit* (ut cuidam ſcriptum eſt) *prodeſſe aliquando valebit.* Erit tempus, cum malis carebimus. Jupiter ſi hodie ex amaro dolio potandum nobis dedit, cras ex dulci eſt daturus; atque hoc ocius, quo

aequi-

aequiore animo amaritiem devoravimus. Siquidem, ut nemo nimium ſecundis rebus confidere debet; ita nec deſperandum eſt cuiquam, quamlibet luxata rerum ſuarum ſumma videatur.

Χ' ὠ Ζεὺς (*ut ait Theocritus*) ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει;

Quod eſt,

Nunc pluit, et nunc eſt tibi Jupiter ipſe ſerenus.

Ariſtippus, cum illi ex tribus unum eſſet ademptum praedium, cuidam qui ſe illius lamentari infortunium dicebat, *Tuum ipſius* (inquit) *potius defle, cum tibi unum duntaxat ſit praedium, mihi vero adhuc duo ſuperſint.* Antonius, cum jam victus animam efflaret, lachrymantem Cleopatram conſolatus eſt; admonens, *ut non ſe tam propter extremas illas calamitates miſerum, quam ſuperiorum ob temporum gloriam felicem exiſtimaret; ut qui fuiſſet inter homines longe illuſtriſſimus; neque admodum indecorum eſſe habendum, ſi Romanus dux a Romano duce eſſet ſuperatus.* Et adverſus homines item, cum in nos injurioſi ſunt, utendum eſt hoc candore. Excuſemus animi flammas humanitus et ſubito (ut fit) coortas; et alienam imbecillitatem non iracundia, ſed miſericordia noſtra excipiat. *Nemo* mortalium *ſapit omnibus horis:* aut nobis cum ſtultis eſt vivendum, aut abeundum eſt in ſolitudinem: imo ipſi nobis deferendi ſumus, ſi ſtultitiam contubernalem nolumus.

At

At pater ut nati, ſic nos debemus amici
Si quod ſit vitium non faſtidire,———

ait Horatius. Optat idem, ut quemadmodum *Balbinum polypus Agnae delectavit*, ita et nos aliena errata humaniter accepta decipiant. Quid nobis Chriſtianis, hoc eſt, ſanctis et divinis hominibus, unamque prope caritatem ac benevolentiam mutuam profeſſis, hic faciundum eſt, ſi ab hominibus profanis iſtiuſmodi officiorum humanitas exigitur? Adde quod hoc non jam plebis, ſed naturae ſcitum eſt, ut qui gratiam exſpectat ab alio, etiam gratia adverſus alium, et humanitate utatur. Volumus multa condonari infirmitati noſtrae; condonemus ergo et nos multa alienae.

Qui, ne tuberibus propriis (ait Horatius) *offendat amicum,*
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. Æquum eſt,
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.

Putemus ſemper alios, etiam inter offendendum, nos velut conceptis verbis obſecrare; ut, quanto animus noſter eſt natu gravior, ignoſcentior illorum ſtultitiae juſtitia noſtra ſit aliquid praeſidii. Hoc ſi praeſtiterimus, ubi qui laeſit ad ſe redierit, niſi prorſus bellua eſt, gratiam non mediocrem nobis eſt habiturus: ipſe ſe damnabit iniquitatis, noſtramque et admirabitur et exoſculabitur virtutem: ut qui maleficia illius non talione, ſed noſtris beneficiis extinxerimus. Et non multum diſſimile huic eſſe opinor, quod Paulo noſtro dictum eſt, de *congerendis in caput ejus, a quo ſis laeſus, carbonibus:*

ut

ut quo illius immodeſtia in inferenda injuria major fuerit, hoc plus eluceat bonitatis noſtrae ignis, dum nos non piget de diverſum meritis, atque hoſtibus ipſis bene mereri. Et iſtuc ſane paternum dederimus; quando in hoc maxime conſpicua eſt Dei immortalis, et parentis noſtri bonitas, quod Solis ſui lucem, et plurima alia beneficia, communia eſſe vult etiam impiis. Sed neque quicquam glorioſius eſſe poteſt, quam in ejuſmodi officiis praeſtandis etiam alium praevertere. Praeclarum eſt illud, quod de Ariſtippo philoſopho proditum eſt. Hic, cum jam longa inter illum et Æſchinem ſimultas interceſſiſſet, naturae ſuae bonitate tandem victus Æſchinem adiit, profeſſus ſe velle cum illo in gratiam redire, et ſimultates deſinere. Cui cum reſpondiſſet Æſchines, illud ſibi in primis gratum eſſe: *Memento igitur* (inquit ille) *quod cum eſſem natu major, prior ad te venerim.* Tum Æſchines: *Nae tu profecto me longe prior, hoc eſt, melior es: quandoquidem a me ſimultatis, et a te ſarciendae gratiae fuit initium.* Saepe item iracundia noſtra efficit, ut injuriae majores videantur, quam re ipſa ſint: quemadmodum ſolet fieri, dum aliquid per intermediam nebulam videtur. Exiſtit iracundia ex irritatione: et eſt rurſus in proclivi irritari, maxime cum nos contemni arbitramur: ſumus enim gloriae et laudum omnes appetentiſſimi, et caeterarum item utilitatum: quapropter protinus e medio tolli poſtulamus eos, qui ſe ſtudiis et votis noſtris opponunt. Sed temere oritur plerumque haec irritatio: nunc ab hebetatione judicii, non videntis alienum conſilium; nunc a conſcientia infirmita-

tis, vel turpitudinis alicujus noſtrae, quam tectam cupimus. Apud Terentium eſt,

Omnes, quibus res ſunt minus ſecundae,
Magis ſunt, neſcio quomodo, ſuſpicioſi:
Ad contumeliam omnia dicta accipiunt
Magis: propter ſuam impotentiam ſe
Semper credunt negligi.

Et ut equus, cui tergum eſt exulceratum, metuit appropinquantes, ne ulcus contingant, et ſubinde calcitrat; ita nobis et metus et iras turpitudinum conſcientia procreat. Contra, animus qui vel callens eſt in rebus aeſtimandis, vel bene conſcius, vel vere denique magnus, ſemper accipit in meliorem partem etiam offenſiones, ubi aliquid oſtenditur, quod praetexi atque obtendi poſſit. Admonitus eſt a matre per epiſtolam Alexander cognomento Magnus, ut a veneno Philippi medici ſui caveret. Ille nihilominus intrepide potionem a medico praeſcriptam eo conſpiciente exhauſit; mox eidem epiſtolam matris legendam dedit: magno ſane generoſi et non temere ſuſpicantis animi argumento. Verum ut ſerio contemnamur, ſatis intelligi poteſt ex ſuperioribus, nihil eſſe laudabilius, quam contemnere ejuſmodi contemptus; et, cum Diogene, dicere, *Derident me quidem, at ego non derideor.* Si culpa aliqua in nobis haeret, non contra eos qui nobis culpam objiciunt, ſed contra nos ipſos inſurgamus, qui longe pejus de nobis ipſis merentes patimur diutius labem nobis inhaereſcere. Non enim admoniti a quopiam veſtem luto eſſe conſperſam,

pro-

protinus illum luto conſpurcare, vel conviciis petere ſolemus (id enim extremae dementiae eſſet) ſed lutum detergimus. Ita conviciantes admonitorum nobis loco eſſe debent. Quod ſi culpa caremus, non accipiamus tanquam in nos dictum ſit convicium; ſed in illum, cujuſmodi nos eſſe ille qui dixit falſo exiſtimavit. Neque enim iraſcimur caecutienti, ſi nos de macula quae non inſit commonefaciat. Omnibus ergo tam maledictis quam maleficiis adhibendae ſunt excuſationes: et ingratae res ingenii dexteritate ſunt ad ſuavitatem quandam atque utilitatem revocandae. Vix invenietur apud vetuſtatem ingenioſius reſponſum, quam fuit illud nobilis in primis et ſapientis viri Alexandri Crechthoni, dignum quidem ſane quod inter apophthegmata referatur. Is cum nuper eſſet in legatione quadam, miſſa a Jacobo Scotorum Rege ad potentiſſimum Galliarum Monarcham Franciſcum, et ſatis magnam pecuniae vim in Gallia profudiſſet; ubi domum redierat, clam ab invidis et obtrectatoribus apud Regem delatus fuit, quod bonam praediorum Bromiſtonae ditionis ſuae partem tanquam decoctor oppignoraſſet, eſſetque in magno aere alieno. Rex Alexandro, quem ob ingenii ſuavitatem et prudentiam ſupra juvenilis aetatis captum admodum amabat, delationem expoſuit. Tum ille, *O Rex*, inquit, *cave tibi ab iis, qui iſtaec tibi narrarunt. Quid ita?* ait Rex. *Non ſunt iſti ii, quos tu arbitraris*, inquit ille: *hoc eſt, obtrectatores et invidi mei: imo mihi ſunt amiciſſimi; ſed tibi volunt imponere. Sciunt me tua etiam cauſa magnos feciſſe ſumptus, et non habentes in promptu commodiorem rationem, qua a te aliquid mibi petant, veri crimi-*

nis objectu ſimulant quoddam odium mei. Tum Rex admiratus generoſam et expeditam illam inverſionem, quanquam (ut audio) erat ad rem attentior, impulſus tamen fuit ea oratione ad benignitatem; accepitque paulo poſt Alexander neſcio quid praemii a rege. Verum nos, ut ad inſtitutum revertamur, bilioſi in modum, cui aliunde adhibitum nutrimentum ſtatim in bilem vertitur, quicquid accidit, noſtra culpa corrumpimus: cum tamen hic apum foret imitanda induſtria, quae etiam ex amaris ſuccis mel conficiunt. *Ita vita eſt hominum* (quod eſt apud Terentium) *quaſi cum ludas teſſeris: Si illud quod eſt maxime opus jactu non cadit; illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* Epicteto *res moleſta omnis duas habet anſas; alteram qua ferri queat, alteram qua nequeat.* Sed nos plerumque eam corripimus, qua teneri nequit; in id ſolum quod malum eſt aciem dirigentes: cum tamen ex ſingulis rebus id, quod utile eſt, ſit excerpendum. Nihil autem mali in natura eſſe, cui non ſit bonum aliquod adjunctum, commonſtrat aconitum ipſum, pernicioſum in primis venenum: in quo tamen inſunt remedia aliquot; cum ad alia, tum (ut tradit Plinius) ad oculorum vitia. Aqua item maris inutilis potui eſt; alit tamen piſces, et vehit rates. Egregius artifex non in una duntaxat materia induſtriae ſuae vim declarat: ſic ſapiens quacunque fortuna uti novit, ſtultus nulla. Qui morbo laborant, etiam delicias faſtidiunt: iidem ſani pane, caſeo et cepa veſcuntur. Quid? quod et iis, quos vehemens habet corrigendae vitae cura, etiam priores lapſus bono cedunt; dum inſpiciendis ſuperioris vitae indignitatibus, majo-

rem concipiunt alacritatem, ad perſequendam in poſterum diverſam et meliorem vitae rationem. Invenienda igitur nobis ſemper erit ratio, cur quodque toleranter ferri debeat: et ut pictores fuſcis coloribus jucundos ſuperinducunt, ita nobis triſtium rerum facies eſt laetarum hilaritate tegenda; nec muſcarum nobis mos eſt imitandus, quae ex ſpeculo terſo (quam ſimilitudinem Plutarchus affert) decidunt, ſcabritiem aut eminentias nactae adhaereſcunt. Neque item puerorum ſimiles ſimus; qui cum ludunt, ſi unum aliquod ex ludicris auferatur, ejulant, et reliqua omnia indignabunde diſturbant atque abjiciunt. Hoc ſiquidem et canum eſt, qui quicquid ore accipiunt integrum devorant, ſemper ad futuri ſpem hiantes. At ſapientis animus de praeſentibus laetus eſſe debet; citra moleſtas illas curas, quas abſentium cupiditas affert: cujus quidem hoc eſt potiſſimum malum, quod ingrata eſt; ut cui non tam jucundum eſt, multos poſt ſe, quam moleſtum, ante ſe vel paucos aſpicere: incipit ea ſemper a fine, praeteritorum oblita. Hinc eſt quod nos plurimum angit ſtolida illa aemulatio, dum ſemper oculos intendimus, non in eos, qui nos a tergo ſequuntur, ſed qui nos fortunae ſplendore antecedunt. Vincti ſolutos felices judicamus: ſoluti, ſi paulum aegrotemus, continuo ſanorum praedicamus felicitatem: ſanitas reſtituta nobis nihil eſt, niſi adſint divitiae: opibus aucti, ad principales honores, ad ambitionem convertimur: principatum ubi nacti fuerimus, adhuc ſuperſunt Reges et Monarchae, quibus invideamus illud humanarum rerum faſtigium. Et tandem ut locus ille

tingat, nobis non erit factum ſatis; eo quod deſideretur totius machinae ditio, et illa divorum immortalitas, quae moleſtae cujuſdam aemulationis materiam perennem ſuppeditet. Damus ergo merito poenas inſcitiae noſtrae; dum ſemper excruciamur moleſta abſentium, aut alienorum aviditate; nunquam gnari praeſentibus vel uti, vel contenti eſſe: *et lecticam videntes*, (ut ait Seneca) *vectum, et non vectores cogitamus.* Et fortaſſe ſi ex acervo calamitatum aequae portiones diſtribuantur, mallemus noſtras, quam illas aequabiliter depromptas. Sed de candore interpretationis hucuſque dixiſſe ſatis ſit. Nunc aggrediamur ad eas rationes, quae pene proprie ad doloris depulſionem pertinent. Is enim, ut diximus, non uſque adeo pendet ab opinione: ideo, cum quodammodo egrediatur fines ditionis humanae, ejuſdem cura tractanda eſt ſcrupuloſius. Neque tamen mihi hic diſputatio inſtituitur de iis auxiliis, quae medicina ſuppeditat. Sunt enim ea extra haec moralis diſciplinae ſepta, quibus nos in praeſentia concludimur. Omnis ergo noſtra ratio verſatur in dirigendis ingenii ſtudiis, et cogitationibus eam ad rem conducentibus. Ad depulſionem itaque aegritudinis, quae exiſtit peculiariter ex dolore, duae ſunt adhibendae rationes. Tertia propius dolorem ipſum attinget. Prima ergo ſit haec, Dolorem omnem vel longum eſſe; et tunc vel mitis eſt, vel intervalla dare ſolet ad quietem; quae quidem multo jucundior eſt ſtatim ab ipſo doloris ſenſu, quam ſit ea, quae longo aliquo tempore inoffenſum ſuavitatis curſum obtinuit. Si brevis eſt, et citra vehementiam; puerile aut muliebre eſt

eſt impatienter, quod admodum patibile eſt, perferre: ſin vehemens erit, continuo vel extinguit, vel extinguitur. Senſim enim et pedetentim progrediens extenuatur; atque ubi quo creſcat non habet, neceſſario aut deficit, aut remittit. Deinde quod in doloribus animi ſolicitudinem auget, eſt, quod ſoleant illi extinctionem noſtri, hoc eſt, mortem afferre. Quamobrem omnino profuerit eam ne tantillum quidem extimeſcere. *Contemne* (inquit Seneca) *mortem; continuo quaecunque ad eam ducunt ſuperaſti.* Eſt autem ea minime metuenda: primum, quod malum non ſit; quandoquidem aliud nihil eſt, niſi animi (hoc eſt, divinae hujus partis) ex corpore (quod quam indigna res ſit, ubi anima deſtitutum fuerit, ſatis videtis) diſceſſio. Neceſſe eſt, ut tum animus, niſi indigna nimium anteactae vitae ratio vetet, redeat ad originem ſuam, et ad divorum immortalium conſortionem deferatur. Sed quemadmodum pueri, poſtquam diutius et licentius luſerint, ſupplicii metu etiam ad patrem redire reformidant; ita nos ad Deum coacti quodammodo trahimur: quod profecto non fieret, ſi nobis id, quod longe veriſſimum eſt, perſuaſum eſſet; illum videlicet eſſe nobis non ſolum patrem, ſed ipſam bonitatem, atque adeo indulgentiam, modo ita eſſe animum credere inducamus. Eſt item et hic metus inutilis: nam ubi a morbo convalueris, mortem non effugies, ſed in horas aliquot diſtuleris: quod quidem ut fiat vehementer optare, animi ſane degeneris eſt et abjecti. Finge decem eſſe, quos lictor ad capitis ſupplicium ducat: nonne tu hunc ut ignobilem et timidum averſabere, qui hoc ſibi gratiae fieri

poſtularet, ut ultimus ſecuri percuteretur, et lucis hujus proferatur horula? Ejuſmodi plane nos ſumus, cum comperendinationes quaerimus, et vitam hanc quam fieri poſſit longiſſime prorogari. Sed delicata haec et umbratilis vitae noſtrae ratio, in qua omne aevum conſumpſimus, quae nullum unquam inſigne vulnus a fortuna accepit, quae depravata conſuetudine ex ſupervacuis iſtis fecit neceſſaria, ſic omnes virtutis nervos eliſit, ſic omnem animi vigorem labefactavit, ut ad diſceſſus hujus tam neceſſarii vel minimam mentionem conſternemur. Certe ſi ſeſe ratio in veſtiganda natura, et dignitate ſua (ut debuit) exercuiſſet, vidiſſet facile inanitatem rerum vulgo formidabilium; ipſaque ſibi id praeſtitiſſet officii, quod nos pueris, cum perſonis terrentur, praeſtamus. Quid facimus? Detegimus facies noſtras, et vacuas perſonas oſtendimus, ut diſcant non formidare. Et ſane perſona eſt quicquid formidamus, et inanis quaedam mali ſpecies: malum vero nullum eſt, niſi cum rerum vilium amore degeneri animi majeſtas imminuitur, et ille infringitur ordo in ſtudiis noſtris, quem inviolatum eſſe vult is, qui ordinis omnis eſt auctor. Sed nos, non ſecus ac pueros, perſonae, non res terrent. Et quando de pueris mentio eſt, pueris, imo et mente captis inferiores comperiemur: neutri enim timent mortem. Sed dices id fieri propter ignorantiam. Non te pudet, eam tibi ſecuritatem a ratione et ſapientia non praeſtari atque repraeſentari, ad quam ſtultitia perducit? Poſtea et illud nos nonnihil animare debet, quod nunquam poſſit eſſe vita jucunda, ubi ingens

eſt

eſt mortis vel timor, vel odium: etenim nullum bonum magnopere juvat habentem, ſi ad amiſſionem animus non eſt paratus. Nihil nobis certius aut manifeſtius eſt, quam nos brevi hinc migraturos. Quod ſi ea ratione nos magnis bonis ſpoliatum iri nobis certe perſuaſimus, non poteſt non inde animus eſſe in luctu. Et ſane ſi tenuius atque acutius res inſpexerimus, cum ſumus in morbis aut doloribus poſiti; exitus potius, quam diuturnior commoratio optabilis videbitur. Nam ubi ſemel abitum eſt, jacta eſt alea: unius mortis perpeſſione deſinimus multis modis mori poſſe; neque, ne amplius moriamur, eſt extimeſcendum. Sin vita prorogatur, vivemus quidem diutius: attamen in perpetuo tot mortium timore, quot caſus, qui ſunt varii et multiplicis generis, afferre poſſunt: tandemque, poſt tantos et tot timores vitae propagatione fruſtra ſuſceptos, miſeris erit omnino moriendum. Ideo acute dictum eſt Auguſtino, *inertius eligi diu vivere ſub metu tot mortium, quam ſemel moriendo nullam deinceps formidare.* Sed dices, Vita haec ſuavis eſt; moleſtum eſt relinquere caros, et omnem hanc ſpecioſam rerum ſupellectilem. Inepte, tune apud te ſtatuis, illum, qui tibi hanc lucem non ſentienti largitus eſt, qui tot opes, tot dotes nihil merenti contulit, non poſſe alia multo praeſtantiora donare? Si egregie eſuriens a quopiam in aedium aulam introducereris, ubi cibarius panis cum paulo caſei aut lardi apponeretur, aqua eſſet aut vappa potui; bene tecum actum putares, ſi lautioris vitae prorſus eſſes ignarus, aut ſiligine aut herbis victitare ſolitus eſſes inter ſentes. Poſt tempus

aliquod, ubi jam adſuetus eſſes ejuſmodi menſae, neque quicquam praeterea in aedibus noſſes, ſi idem te ex eo loco in conclave introducere vellet, ubi exquiſitiſſimi apparatus eſſet convivium; nonne ridiculus eſſes, ſi obluctarere et negares te iturum; illi diffiſus a quo jam antea commode, ut tibi apparuit, tractatus eſſes? Bene ergo Socrates timiditatem hanc abjectam ab arrogantia, et falſa quadam ſcientiae perſuaſione, profectam tradit. Cur enim trepidas exire, niſi quia magna te relicturum arbitraris; et illic, quo proficiſceris, aut mala, aut nulla reperturum? Quaſi non illic res eſſent verae, hic umbrae et ſomnia. Nec eſt quod caros deſideres; antegreſſi ſunt plerique cari, ſequentur qui ſuperſunt. Sed ſuntillic, quae multo tibi cariora futura ſunt, ubi ſemel fuerint aſpecta. Hoc ſi non credis, crede nihil eſſe animum; imo nihil eſſe Deum, qui tamen et ſolus eſt, et omnia eſt. Quanto generoſior eſt illa apud Ciceronem exclamatio, *ô felicem eum diem, cum ad illud animorum concilium coetumque proficiſcar, et ex hac turba et colluvione diſcedam!* Vita haec etiam profanis hominibus mors dicta eſt; et corpus Lethaeus fluvius, hoc eſt, altus quidam oblivionis ſopor. Et certe non aliud illuſtrius eſt praeſtantis animi argumentum, quam ſi haec omnia, quae circa ſe aſpicit, imo et ſidera ipſa, ſi mente vacent, res eſſe humiles, et ſe indignas judicet: ſeipſum tanquam carbunculum aut ſmaragdum aliquem longe pretioſiſſimum in annulo, qui ex luto aut argilla ſit, collocatum. Neque profecto ſecus ſe res habet. Sed eſt argilla haec interdum huic quam illi aptius compoſita, aut colorata venuſtius: paſ-

ſim

ſim tamen ejus ingenii, ut niſi ſumma cura adhibeatur, maculas quaſdam foediſſimas imprimat in impoſitam gemmam. Si per religionem liceret, equidem facile aſſentirer illis philoſophis, qui animos in corpora, tanquam in carceres et cuſtodias detruſos affirmant. Et fortaſſe tum male habuit animos illa detruſio, cum a veris rebus ad umbras depellerentur; etſi ex corpore ſuperioris vitae extiterit oblivio. Hoc utcunque habeat, mihi certe hinc in hanc vitae conditionem, hinc in mentis dignitatem intuenti, ejuſmodi apparet hoc corporis domicilium, vel ſi mavis hoſpitium; ut, licet multis modis ſit commodum, et ſuppellectile varia inſtructum; quia tamen idem et extrinſecus pluvias excipit et ventos, intrinſecus male ſit materiatum, corruptum et peſtilens; mens ipſa, ſi de principio res omnis fuiſſet explorata, omnino, ſi integrum fuiſſet, recuſatura fuerit ſubire. Sed cum providentiae parendum ſit, ſubit quidem in male gratum domicilium; ſed perpetuo, ſi conſervat aliquam priſtinae dignitatis memoriam, providentiae rerum rectrici pene ſubirata, uſurpat illos Virgilii verſus, quibus idem Æneam uſum ſcribit apud inferos, cum dilectae quondam Didus manes occurrerent.

Invitus, regina, tuo de littore ceſſi.
Sed me juſſa deûm, quae nunc has ire per umbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egere ſuis.———

Et nos inter has umbras et miſerias poſiti, ulterius dubitamus, aut cunctabimur, quando vocamur, ad

ad res, ad lucem et felicitatem commigrare? Tranſilienda eſt alacriter foſſa illa, ut in urbem illam opulentam admittamur. Nemo excluditur, niſi qui non libenter eo vadit: et ut quiſque maxime volens properat, et perenni ſtudio etiam in obſcuro hoc carcere poſitus illo verſus eminet, ipſeque ſe quodammodo ſolvit atque disjungit a corpore, ut videatur quodammodo tenuis fili nexu eidem adhaerere; ita gratiſſimus eſt hoſpes, et ſummo cum plauſu, cum illo ventum erit, excipitur. Neque vero ſolum mortes pro patria, aut pietate, aut penatibus oppetitae; ſed etiam quaecunque, imo et latronum prope dixerim, cum in furcas tolluntur, laudis aliquid habent, ſi ſint alacres, intrepidae, certoque quodam directae judicio. Una illa horula, ſi exhibes animum mortis contemptorem, omnem ſuperiorem vitam, quamlibet alioqui obſcuram, illuſtrat. Vulgus cum te morientem in cubiculo tuo, vel palam tyranni injuria, viderit; quia ex imbecillitate ſua alios metitur, te quodammodo miſerum judicabit. Sed tu unus, ſi tibi conſtas, et illorum fortiter contemnis errores, omnibus illis una junctis praeſtantior es: nam, cum ſinguli meticuloſi homuli et decepti in rebus maximis ſint, colluvies ipſa coacta deterior eſt; niſi dicere velis, ubi plura ſunt mala, illic mali eſſe minus. Ergo, ut vulgus te non videat, aut non admiretur, vel potius miſereatur; non poſſunt ſuperi non laudare voluntariam illam generoſi ſpiritus excluſionem, ubi omne hominum vulgus tantopere contremiſcit. Sed cur, aies, non nobis animum hunc adverſus mortem natura dedit? Non eſſet praeclara res,

nec

nec nobis laudi danda vitae contemptio et moriendi alacritas, ſi protinus a natura eſſet. Cui honori fuit, amare vitam, ſectari convivia, diffluere luxu, indulgere luſibus, aut dedere ſe voluptatibus, cubare in pluma aut roſa? Atqui ſunt haec a praeclara iſta natura. Sed cum contra adjunctae naturae, hoc eſt corporis, ſenſum atque ingenium, animus ipſe, ſapientiae ſtudio et invicta cogitandi cura, ſe a corpore quam longiſſime abstraxit, et ſua induſtria ſe in eam rerum excellentiam atque libertatem vindicavit, ut non modo pro nihilo habeat, ſed etiam beneficii loco ducat, cum res poſtulat, commodatum a natura diverſorium, mortalium ſocietatem, atque hanc rerum faciem, cui jam diu aſſuevit, deſerere; divina quaedam rerum dignitas atque incomparabilis honos eluceſcit. Qui ejuſmodi eſt animus, ut in corpore habitet, ſcias tamen liberum eſſe et ſolutum, imo corporis dominum. Quoties vero vides aliquem magni facientem res hujus vitae, aut invite de abitu exaudire; ſcias degenerem eſſe, ſervum, vinctum, alteque in corpus demerſum. Graviſſima et duriſſima catena vitae hujus amor eſt: quem qui depulit, liberum ſe fecit magis, quam ſint vel Regum Reges. Et certe dedit nobis natura quaedam hujus vigoris principia: alte tamen abſtruſa ſunt, nec nos magnopere etiam animis conditam veritatis notionem eruere ſtudemus.

DEMET. Cur ergo, cum ſemel a corpore eſt ſegregatus animus, iterum aliquando in idem eſt detrudendus, ſi tantum illi eſt a corpore incommodi?

modi? In ſacris enim noſtris eſt, fore ut reſurgant corpora, atque reviviſcant priſtinis imbuta mentibus.

Flor. Haec noſtra corpora, in quae prius animi detruduntur, vel quibus illigantur, plurimum habent impuritatis, adeoque animum ipſum quodammodo inficiunt. Eadem olim cum reviviſcent, purgabuntur, et alterius erunt dignitatis, et receptacula animis etiam beatis digna. Hiſce de rebus Paulus, ad Corinthios ſcribens, divinitus atque liquide diſſerit, non ſine magna eorum omnium, qui in Chriſto Dei immortalis filio ſpes ſuas fixerunt, conſolatione. Proinde haec diffuſius tractare, eſſet philoſophiae metas ſupergredi: quapropter ad illa humaniora atque humiliora redeamus. Eſt quaedam vulgaris ratio contemnendae vitae hujus, quod illa extrahenda multum perferamus calamitatum: ſed ipſe ſemper libens refugio ab eis rationibus, quae mollitudinem praeferunt: neque in magnis viris habendum cenſeo, qui mortem appetat faſtidio difficultatum vitae; quod, ut ille ait,

Rebus in adverſis facile eſt contemnere mortem.
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

ſed cui perinde eſt vel vivere, vel mori; qui ad utrumvis juxta eſt paratus; qui *ſummum nec metuat diem, nec* fortaſſe *optet.* Illud tamen veriſſimum eſt, morte, hoc eſt, vitae commutatione, nos duo vera et magna mala deponere. Nam credibile, poſito hoc corpore non futurum, ut amplius tur-

turpes ſimus, aut peccemus in leges honeſtatis, et parentem noſtrum facinoribus irritemus. Neque levis eſt haec ponendae vitae hujus ratio; ſed neceſſaria properatio explicandi locum non concedit. Alterum, quod ponitur morte, malum eſt, denſiſſimae iſtae ignorationis caligines, et inſcitia rerum futurae vitae. Inſigne eſt illud, et quamdiu hic rerum ſtabit orbis memorandum, quod de Canio Julio, viro longe illuſtriſſimo, literarum monumentis a Seneca eſt mandatum. Is Caii juſſu jam capite damnatus, interea dum mortem exſpectat, cum amico quopiam certabat latrunculis. Supervenit centurio, qui periturum agmen ducebat, et Canium una cum aliis ad ſupplicium vocat. Vocatus numeravit calculos, et ſodali ſuo, *Vide*, inquit, *ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe.* Tum annuens centurioni, *Teſtis*, inquit, *eris et tu, me uno antecedere.* Mox ad amicos moeſtos, quod tantum virum amiſſuri eſſent, converſus: *Quid moeſti*, inquit, *eſtis? Quaeritis inter vos an immortales ſint animae: Ego jam ſciam.* Et cum jam non procul eſſet a tumulo, in quo Caeſari talia quotidie fiebant ſacrificia, interrogatus a philoſopho ſuo, qui illum proſequebatur, quid cogitaret? *Obſervare*, inquit, *propoſui illo velociſſimo momento, an animus ſit ſenſurus ſe exire.* Nonne hic humanas formidines omnes inter lymphaticos metus numeravit? Non tantum non expaviſſe, ſed et irriſiſſe Tyrannum viſus eſt. Quem non in admirationem adducat tanta animi ſecuritas, rerumque mortalium contemptio? Hujus et ſimilium exemplo praebeamus nos ſaltem forticulos, et conatus aliquis virtutis adſit, interea dum ad ipſam venia-

veniatur. Sunt ex infirmis nonnulli, quos ad eſum non flectas; imo qui omnia exſpuant, niſi alios prius comedentes aſpiciant. Ex iis igitur, quae terribilia ſunt, nihil eſt quod non ſit ſaepius ab hominibus ſuperatum. Phocioni, Anaxagorae, Paulo Æmylio, Fabricio et Tuberoni divitiae ſunt ſpretae: Marius ſectionum dolores citra alligaturam eſt paſſus: ignem vicit Mutius, crucem Regulus, mortem ferro adactam Cato: Socrati, dum capitis cauſam diceret, tantum dedit fiduciae ac ſpiritus mens recti conſcia, et immortalitatis ſpes, ut judices non tanquam reus, ſed velut dominus ac magiſter ſit allocutus, et venenum eodem vultu, quo vinum, hauſerit. Apud Indos in mariti funere olim (ut proditum eſt memoriae) certamen fuit inter uxores, quae fuiſſet officioſiſſima: victrix hoc retulit palmae, ut liceret illi conſcenſo rogo ſe ipſam inferias dare marito. Non diſpar fuit Thracibus mos. Apud Gallos, paulo ante Caeſaris memoriam, clientes et ſervi dilecti, juſtis funebribus confectis, una cum dominis cremabantur: ne quis tanti eſſe putet interitum, qui hiſce omnibus fuit voluntarius. Celeberrimae ſunt Spartiatarum perpeſſiones. Brachmanes Indorum philoſophi, etiam bene habentes, ſponte fati diem occupare ſoliti ſunt. Sed quid opus eſt externis commemorandis tempus extrahere; cum domeſticis exemplis, longe et pluribus et illuſtrioribus, abundemus? Tantus fuit olim Chriſtianae pietatis ardor, ut nihil potuerit humani ingenii ſaevitia excogitare, quod non etiam tenerrimarum virginum patientiae ceſſerit. Quot Socratum, quot Mutiorum myriadas in noſtrae religio-

ligionis annalibus invenies? quid tibi Laurentios proferam, aut Vincentios? Tecla virgo expoſita beſtiis, injecta flammis, diſtracta tauris, a tortoribus ipſis, propter tolerantiae admirabilis ſtuporem, eſt dimiſſa. Sed miſſam faciamus hanc tam late fuſam fortitudinis ſilvam. Exitus non invenietur, ſi in eam penitus ingredi velimus. Hoc ſatis ſit, ex tot illuſtrium hominum patientia conſtare, et labores et dolores omnes, omniaque mortium genera, citra aegritudinem et offenſionem animi patibilia. Ratio quae omnium potiſſime nos ad aerumnas generoſe tolerandas commovere debet, eſt; quod ea ratione ſimilitudinem quandam accipimus Christi Servatoris noſtri. Poſtquam enim commune, et cum illo, et ab illo, exſpectamus laborum praemium, erubeſcere debemus vitae rationem in totum diſcrepantem conſectari, cujuſcunque tandem vel fortunae, vel ordinis ſumus. Sed, quia hoc eſſet a philoſophia humana longius recedere, rem ſuo loco reſervabimus.

Franc. Magnitudinem illam atque alacritatem animi in tolerandis adverſis, quae fuit in heroibus noſtris, nihil quicquam dubium eſt, fuiſſe quandam divini ſpiritus vim; quae illorum animos ſemper complere ſolet, qui legitime, et ut oportet, Christo fidunt, et ex Christo pendent. Quocirca cum ea jamdudum exoleverit, valde vereor, ne ſpurii, ſuppoſititii, et non legitimi Chriſtiani ſimus nos. Verum hac quaeſtione praeterita, illud explicandum videtur: un-

de fuerit profanis illis hominibus excelſus ille animi vigor in terrificis rebus? Nam licet cum noſtris neque in cauſa, neque in numero, neque in alacritate ſint conferendi; non vulgaris tamen illius fortitudinis non vulgarem eſſe cauſam oportet.

Flor. Quaeſtio iſta, etſi non eſt intempeſtiva, poſtulat tamen abundantius declarari, quam inſtitutum a nobis compendium patiatur: quare veniam mihi dabitis, ſi non erit pro merito tractata. Tantum pauca attingam, quae neque inutilia, neque injucunda vobis fore ſpero; quandoquidem etiam tractatio haec neceſſarie ſecum affert tertiam illam leniendi doloris rationem, quam ſupra dixi proprie ad ipſum dolorem pertinere. Ejuſmodi ſane praeſtantium virorum virtus, quae Heroica dici ſolet, clariſſime commonſtrat, hominem animal eſſe admirabilis generis, biforme, et ex rebus diſſidentiſſimis compoſitum; et in eodem ineſſe quiddam divinum, omnique mortalitate altius. Cernere eſt in ſingulis animalium ſpeciebus extra hominem, eoſdem affectus, eadem ſtudia, et rationes, ſi ſibi permittantur, omnibus in rebus nihil prorſus evariantes. At in humana gente, bone Deus! quanta eſt non jam varietas opinionum, atque ſtudiorum, ſed etiam pugnantia uſque adeo manifeſta, ut huic cum illo nihil dicas eſſe commune, praeter externam figuram; id quod vere hominem efficit, longe diſſimillimum credas! Vulgus totum rapitur ad praeſentia, nummos, venerem, plumas, cultum corpo-

ris,

ris, et aedium ſpeciem, quibus oculi capiantur; et plauſus item inanes captat, et perpetuo libenter inter haec humilia conquieſcit. Alius ille, ob cujus oculos radiat rationis praeſtantia, et decus, quod in eis rebus poſitum eſt quae ſenſus fugiunt, calcat opes, deridet honores, contemnit dolores, et vitam denique ipſam gravatur atque faſtidit. Neque tamen mentis inſanitatem ullam hic cauſari poteris; ſiquidem ſi eum ipſum vel de humanarum rerum rectione, vel de naturae viribus, vel de ſiderum diſcurſu rogaveris, appoſitiſſime ad ſingula reſpondebit. Quod ſi de altiore illo vitae ſuae inſtituto rogatio tua fuerit; ea ex illo audies, quae manifeſtum afferent divinitatis cujuſdam indicium: adeo ut ipſe tibi rem eſſe cum Deo quodam, potius quam homine ſis ſenſurus. Sed quorſum haec, aies? Ut intelligatur, nihil mirum eſſe, ſi illa ſuperior monſtroſae hujus compaginis pars, etſi plurimum deliteſcat, det interdum aliquod ſpecimen ſui; atque opere nos doceat, aliam ſibi eſſe natalium claritatem, aliam originem, et longe aliud ingenium, quam ſit corpori, vel animali huic parti. Sed cur ea non aeque pollet in omnibus? Duplex hujus rei ſolet eſſe cauſa. Altera eſt peculiaris ille divini ſpiritus inſtinctus, qui animum totum flagrare coeleſti quodam amore efficit, atque admotas dolorum faces vix, ut equidem ſuſpicor, perſentiſcere: cujus tu quidem proxime mentionem feciſti, et vere ex fidendi ardore natum dixiſti.

R 2 FRANC.

Franc. Videris ergo mihi ſtuporem quendam ea ratione ſenſibus induci ſtatuere, qui tollat cruciatuum ſenſionem: quod ſi admittitur, non apparet illuſtris illa tolerantiae laus, ubi dolorum ſenſus eſt ademptus.

Flor. Nequeo tibi liquide rationem et modum, quo id fiat, explicare; arbitror tamen ſenſionem dolorum valde imminui, eo quod animus totus ad Deum converſus eſt; qui, dum illo potiore igne flagrat, minus percipit ignes aut dolores extrinſecus adhibitos. Qui enim poſſent exultare, et illa laetitiae dare ſigna, atque, dum craticulis a foco candentibus alligantur, ſibi videri inter plumas et roſas volutari, ſi corporis ſenſus integer eſſet? Mihi ſane veriſimile non fit, mentis otium non valde conturbari a ſecretione illa violenta, et crudeli partium corporis diremptu atque exuſtione, ſi ſentiendi vis nihil quicquam ſit impedita. Neque tamen propterea tollitur fortitudinis laus: eo quod hoc ſummae laudis eſt, ita flagrare illo caritatis igne, ut te ipſum ſpolies externarum rerum ſenſione, vel certe eandem mirifice extenues. Jam et in illis quoque profanis, quibus celebre eſt ex dolorum perpeſſione nomen, inerat quaedam animi, etſi inferioris, et ab illa nunc commemorata generis alterius, peregrinatio: quae cujuſmodi eſſe potuerit, paucis (ut ego quidem ſentio, modo quaedam, quae omnino danda ſunt, dederitis) declarabo. Primum, ſenſio omnis eſt ab animo praecipue. Animo, inquit Plinius, videmus: oculi ceu vaſa quaedam viſibilem ejus partem accipi-

cipiunt atque tranſmittunt: ſic magna cogitatio obcaecat, obducto intus viſu: ſic in morbo comitiali oculi nihil cernunt animo caligante. Deinde et illud non minus evidens eſt, ſenſionem fieri hebetiorem, cum virtus ipſius animi eſt diſperſa in varias functiones; et contra, acriorem, cum ſe totam ad unum ſenſum confert: et hoc conducit etiam ut noctu quam interdiu commodius audiamus; cum mens impedita curis, et ſuppeditans vim oculis aliiſque ſenſibus, debilior eſt in auribus. Unde dictum eſt, ut ait Ariſtoteles in Problematis, νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει, quod eſt, *Mens videt, mens audit.* Tertio, et illud recipiendum eſt, quod quemadmodum viſio et auditio debilitantur peregrinatione, ita contingit fieri in tactione. Quod ut plenius ſit perſpectum, animadvertendum eſt, quod Peripateticorum acutiſſimis placere video, cum manus ab igne caleſcit, tres eſſe affectiones: quarum prima eſt, dum calor in corpus, quod caleſcit, diffunditur. Altera eſt, dum caloris ejuſdem ſpecies, et velut praetenuis imago, intra tactionis organum recipitur. Nam omnis noſtra tum ſenſio, tum cogitatio, fit per rerum ſpecies a rebus ad ſenſus et mentem derivatas. Duae hae actiones diſſociabiles ſint necne, non admodum refert. Apparet tamen priorem ſine poſteriore conſtare poſſe; eo quod ſuperfluum apparet, in rem ſenſus expertem, dum caleſit, ſpecies illas derivari. Tertia affectio eſt ipſa ſenſio atque perceptio rei admotae. Hanc poſtremam a duabus prioribus, aut ſaltem a ſecunda (nam ſunt ſenſus qui non accipiant intra ſe rem objectam, ſed ejuſdem duntaxat ſpeciem,

eſt viſus atque auditus) ſeparari uſus docet; dum ſaepe rem ob oculos poſitam quaerimus, et ſalutantes etiam ſatis vocaliter non exaudimus: quod eo fit, quod animus ſit in aliam quandam curam atque cogitationem diſtractus. Quocirca bene Latino ſermone *animum advertere*, et Graeco item προσέχειν τὸν νοῦν jubemur. Neque tamen officeret ſententiae noſtrae in praeſentia, quamvis ſenſio tactus fieret citra ſpeciem; hoc ſatis eſt, functionem non ſequi, ut objecta res ſit intima ſenſui, dum peregre abeſt animus aliorſum converſus. Nunc haec eſt excerpenda rerum concluſio: quod ſi levis animi ſeceſſio praeſtat, ut motus leviores extrinſecus pulſantes non ſentiamus; conſequens eſt, ut cum animus eſt vehementer peregrinabundus, etiam acrius laceſſentia non percipiamus. Verum in tactu opus eſt profundiore cogitatione, et peregrinatione longiuſcula; quod quae illum irritant, res maxime acres ſint. Calor, inquam, et frigus potiſſimum, quae non tam (ut jam dixi) tenues illas ſpecierum exuvias, quam ſeipſa in tactionis organa ſeu ſenſoria atque receptacula transfundant. Ergo adſuefaciendus eſt animus, ut ſeſe, cum volet, abducat ad cogitationem alicujus rei acrem et vehementem: quod multo fit facilius, ſi rem talem cogitandam deligas, quae vehementer ſit ſpecioſa et amabilis. Tum enim quo altius animus ſe infert in contemplationem, hoc invenit, quo ſe paſcat uberius, et quo ſuavius delectetur. Unde in periculis adeundis quidam amores ſuos ob oculos habent, alii celebritatem nominis, alii aliud; ſed omnes earum quiddam. Proinde, cum nulla res ſit quae conſpecta perpetuo

tuo et infinite admirabilior exſurgat, praeter Deum, qui ipſa eſt et pulchritudo et bonitas; hujus certe vel potiſſimum meditatione teipſum oblectabis. Et quamvis divinitatis ſpeciem aliquam, quae ipſam probe referat, confingere nequeas, (nam hoc illi cum omnibus rebus quae corporaturae ſunt expertes eſt commune) opificii tamen hujus formoſi imagines non deſunt, a quibus, nunc per affirmationis viam, et eam collectionis formam quae *a minori* dicitur, ad Deum aſcenditur: ut ſi ex his rerum umbris inſpiciendis nobis gaudium creatur, quid uſu venire arbitrandum eſt, quum ad verarum rerum devenietur ſplendorem. Nunc vero amotione utimur: ut ſi hoc moleſtum eſt, quod deliciae praeſentis vitae periturae ſint; quanta eſt illic gaudii ſoliditas, ubi deliciarum excellentiam aeternitatis viror comitatur? Tum ſunt beneficia item immortalis Dei, quibus nos et afficit aſſidue, et perpetuo affecturus eſt, non incurioſe ponderanda. Sed ipſe in praeſentia contemplationis formam inſtituendam non ſuſcepi. Tantum generatim volui vos admonitos, plurimum ad lenitionem dolorum prodeſſe, altiſſime ſe abdere in intentam rei alicujus ſuaviſſimae cogitationem. Ad cogitationis autem hujuſcemodi firmitatem atque conſtantiam, plurimum facit atra biiis: non illa quidem diluta phlegmate, aut nimium aduſta; ſed mediocriter ſpiſſa: quae cum ſubſidat in ſanguine temperato, efficit ut ſpiritus, quos ſanguis temperate ſpiſſus ad cerebrum exhalat, qui ſunt inſtrumenta functionis rationalis, ſint copioſi et durabiles; quemadmodum ignis ligneam nactus materiam, et urit acrius, et durat longius,

quam in ſtupa aut palea. Hinc eſt, quod Ariſtoteles viros excellentes, aut in rerum publicarum rectione, aut philoſophia, aut poëtica, aut artificiis, pleroſque omnes melancholicos fuiſſe tradit. Ejuſmodi ſunt illi, qui nunquam ſunt minus ſoli, quam cum ſoli ſunt. Ejuſmodi fuit Socrates, qui a lucis ortu ad alterum ſolem orientem, perdius atque pernox immotis luminibus cogitando conſiſtere ſolitus erat. Talis item Archimedes, qui geometricis ſtudiis intentus, Syracuſas patriam capi atque diripi non ſenſit. Talis et Nicias pictor inſignis, cui pingendi voluptas ſaepiſſime cibi fecit oblivionem. Avicenna Arabs, et philoſophus, et medicus non incelebris, memoriae prodit de quodam, cui in promptu fuit, cum vellet, corpus ſuum ſtupore afficere: et de alio itidem, adeo a rerum ſenſu meditationis altitudine interdum abducto, ut etiam ignem admotum non ſentiret, niſi quis poſtea dolor ex vulnere reliquus eſſet. Se vero dicebat, dum ureretur ab igne, aſſiſtentium voces, tanquam ex longinquo veniſſent, audiſſe. Si quis deficitur hac forma bilis, poterit defectum ejuſmodi, aſſuetudine acriter animum a corporibus abducendi, aliqua ex parte ſarcire. Intervenit ergo plurimum ſeceſſio quaedam animi, dum cruciatus alacriter perferuntur. Neque vero cuiquam videri debet incredibile hoc cogitationis beneficium; cum et ex ſacris, et ex philoſophorum ſcriptis diſcere ſit, contentae imaginationis vim etiam in immutandis corporibus eſſe mirificam. Nunc ſi his omnibus rationibus una collectis adhuc impares videbimur, nec ſatis comparati ad perferendos dolorum aculeos; hoc ſaltem

tem a nobis impetrent eaedem, ut indolentia ſimus contenti, nec voluptates magnopere requiramus.

Demet. Virilis et generoſa fuit oratio tua de dolorum tolerantia: exſpectamus ut aliquid dicas de contemptu voluptatum. Eſt enim haec dolori contraria, et immenſam hominum vim praecipitare ſolet.

Flor. Non hercle magis Apollinis oraculum verum eſt, quam id quod de voluptatis noxa dixiſti. Echinus, ut Ambroſio noſtro proditum eſt, piſciculus eſt tanta (quis credat?) vi, ut etiam magnas naves, plenis currentes velis, in mediis fluctibus ſiſtat: ſic ſaepe putidulum ſcortum, aut gula, praeſtantiſſima alioqui ingenia remoratur, atque a praeclaris inceptis retardat. Verum, cum de iſta ipſa nobis ſupra nonnihil dictum ſit; et ſimul conſentaneum non ſit, neque veriſimile, eum a voluptate ſuperatum iri, qui dolorum acrimoniam vicerit; non erat operae pretium ejus rei vituperationes prolixius commemorare, quarum pene omnes ſapientum omnium libri ſunt referti. Sed tu, ut video, conquieturus non es, Demetri, niſi auctarium aliquod ſenſeris: idcirco erunt nonnulla obiter attingenda. Ac illud principio eſt conſiderandum; cum voluptatem vituperamus, non eſſe nobis ſermonem de veris illis et ſalutaribus animi gaudiis, quae praeſtantium rerum commentatio, aut officii conſcientia parit, (ſunt enim illa fructus quidem virtutis) ſed de craſſorum ſenſuum, et potiſſimum de guſtus atque tactionis ſua-

vitatibus, atque his ipſis effrenatis et immodicis. Epicurei propterea voluptatem ſummum eſſe bonum ſtatuerunt, (voluptatis tamen interim vocem etiam ad honeſtas animi exhilarationes proferentes) quod ad eam omnia incredibili contentione ferri videantur. Sed hic error ex ignorantia diſtinguendi oritur. Eſt enim unaquaeque res a natura conſtructa ad ſuam quandam functionem atque operationem: oculus quidem ut videat, auris ut audiat, mens ut intelligat; et nullum ex iis, aut ex ſimilibus facultatibus, ut delectetur: delectatio enim functio aut actio non eſt; ſed potius in quodam patientiae genere poſita eſt, velut ſuavis quaedem affectio: neque haec propoſitio obſcura eſſe poteſt iis, qui naturae cognitionem vel modice guſtarunt. Illud jam huc aſſumendum eſt, voluntatem nunquam debere diſcrepare ab ordinatione naturae: unde continuo conſtat, ne honeſtarum quidem actionum voluptates in primis, ſed actiones ipſas, aut res, circa quas illae verſantur, perſequendas. Sed cum ita natura comparatum ſit, ut quoties facultas, vel res aliqua ſentiens, adepta eſt id quod ſibi convenit, jucunde et ſuaviter afficiatur; apparet, res ferri in ſuavitatem; cum tamen potius ferantur in rem quae ſuavis eſt, quam ſuavitatem ipſam. Quaeſtio ſane eſt plena reconditae ſubtilitatis, an poſſit appetitus aliquis non depravatus ferri in ipſam ſuavitatem, tanquam rem disjunctam a reunde ſuavitas procreatur. In belluis quidem hoc uſu venire videtur: non tamen ita ſe res habet, cum illae craſſiſſima duntaxat agnitione, ut quae neque convenientiam neque ſuavitatem in rebus poſitam ſecretione

tione aliqua colligat, fretae, ad res ſibi convenientes rapiantur. Eſt ergo ſuavitas non finis, ſed qualitas ipſius, et velut nativum atque non ſeparabile condimentum: ex cujus ſenſu colligitur, id, quod admotum eſt, ex eorum eſſe numero quae conveniunt, et dignum quod a facultate quaeratur atque tractetur, atque ejus ipſius rei adeptione ſenſum perfici. Sic oculorum finis eſt viſio, atque aurium auditio; non ſuavitas illa, etſi neceſſarie conſequatur, quam luce aut floribus inſpiciendis, aut cantibus exaudiendis percipimus. Quod ſi Epicurus ſummum bonum vocaſſet adeptionem rei maxime ſuavis, nullo reclamante obtinuiſſet litem. Ergo, cum delicatior molliorque ſit Epicureorum oratio, quam virtutis vis, gravitaſque poſtulat; neque illi ne manum quidem niſi voluptatis cauſa fuerint verſuri, jure ſunt a Stoicis atque Peripateticis exploſi. Hieronymus verecundius in indolentia conquievit: ſed magis probandus, ſi, ut Diodorus, ad honeſtatem adjunxiſſet vacuitatem doloris. Et certe hic moderatius quam Stoici ipſi mihi locutus videtur. Quamvis enim dolor non ſit in praecipuis malis; is tamen neque cum praeſentis, neque cum futurae vitae felicitate una ſtare poteſt: impedit enim plurimum contemplationem et ſapientiae ſtudia, in quibus felicitas poſita eſt; ex eo, quod ſenſus nequeunt diu et commode inſervire ingenio, et rerum imagines ad mentem perferre, ubi fuerint a doloribus dilacerati, aut oppreſſi.

DEMET. Unde eſt, quod gravius et frequentius peccetur ab hominibus in tactu et guſtatu, quam in odoratione, viſione, aut auditu?

FLOR

FLOR. Multis id fit de cauſis; ſed praecipuam eſſe arbitror, quod delectationes, quae in iis ſenſibus inſunt, ſint majores: quod quidem ſummo naturae ingenio factum eſt; eo quod eorum ſenſuum functiones ſint maxime communes, maximeque pertineant ad tuitionem generis, de quo natura potiſſimum ſolicita eſſe ſolet. Nullus enim animans invenitur, qui tactu careat: in toto autem animantum genere homo praeſtantiſſimi tactus eſt: atque inter ipſos rurſus homines, ingenii atque comprehenſionis praeſtantiam ex tactus bonitate colligimus. Eſt enim argumento ſanguinis probe attemperati; ex quo ſpiritus illi, qui imaginum in cerebro ſunt vehicula, meliores exiſtunt: qua ſane re non mediocriter creſcit ingenii uſus. Nihil itaque mirum eſſe debet, ſi in homine maxime acres ſint, qui ad venerem impellunt, ſtimuli. Verum ut praeſtantia temperaturae auget propenſionem in abjectas illas functiones; ita eadem contra illas ipſas adjumento eſt, dum juvat ingenii commentationes, et illos mentis diſcurſus, quibus rerum veritas elicitur. Ut enim quiſque ſenſu eſt minime obtuſo, ita facillime videt, voluptates has vulgares ad craſſiſſimos pertinere ſenſus, eſſe nobis cum belluis communes, exiles, breves, frangere altas cogitationes, nos ad magnas adigere indignitates; et ex iiſdem denique laborioſe quaeſitis, ubi abierint, nihil prorſus reliquum eſſe, praeter dedecus et infelices poenitentiarum aculeos. Quapropter iidem gravitate atque pudore ſe ſepiunt: probroſas illas delicias ſeveriſſime excludunt: earundem appetitum, ſi quando exiſtat, accurate diſſimulant:

non

non levi ſane indicio divinioris cujuſdam in nobis naturae, quae neque corporea aliqua propagatione exoriatur, neque diſſolutione intereat. Porro illud hic non eſt praetereundum, venereas appetitiones in homine non ſolum incitari ſolere excrementi copia, vel voluptatis ſtudio, vel generis perpetuandi amore; ſed etiam ipſa formarum venuſtate, quae ex lineamentorum mole, et figura, et coloribus probe miſtis exſurgit. Unus enim homo ex omni animantum genere quid ſit ordo, atque adeo quid ſit pulchritudo intelligit. Unus ad hanc, ubicunque illa habitaverit, arcana quadam vi rapitur: idque tum maxime uſu venit, cum corporis ſpeciem ingenii acumen, et morum ſuavitas, atque ſermonis lepos comitantur. Huc pertinent et laetae illae oculorum ejaculationes, amici pectoris nuntiae, et quae ſpem aliquam faciant potiundi. Ex iis rebus conficitur id, quod χάρις dicitur: unde ſignificatio ſit minime obſcura, et mentis formam in ſuo genere perfectam eſſe, corporiſque pulchritudini reſpondere. Apud Virgilium eſt de Ænea, ut fuerit

Os humeroſque deo ſimilis. Namque ipſa decoram
Caeſariem nato genitrix, lumenque juventae
Purpureum, et laetos oculis afflarat honores.

Tum autem quid contingit? Mox hoc animal formivorum, (utinam hanc vocem Romanus ſermo admitteret, non invenio quomodo quod ſentio exprimam) mox hic pulchritudinis helluo homo ad ſpeciem viſam exardeſcit, ad fructum properat, abradere eam, atque in ſe transferre ſtudet.

Multa enim ordinate compoſita, praecipue cum ingenii ſunt participia, prope referunt ſummum illud bonum, quod omne bonum hic diſperſum concludit, ad cujus fructum homo conſtructus eſt. Sed quid ad extremum, quamlibet alto atque prolixo ejuſmodi formarum fructu, aſſequamur, appoſite explicat Lucretius hiſce verſibus:

Ut bibere in ſomnis ſitiens qui quaerit, et humor
Non datur ardorem qui membris ſtinguere poſſit,
Sed laticum ſimulacra petit, fruſtraque laborat,
In medioque ſitit torrente flumine potans:
Sic in amore Venus ſimulacris ludit amantes
Necquicquam, quoniam nil inde abradere poſſunt.

Omnem linguae facultatem ſuperat, explicare, ad quantam caecitatem, atque inſaniam, ad quot mala divinum hoc animal homo a voluptate iſta degeneri deducatur. Haec haud dubie eſt illa Heſiodi πανδώρα, quae has coeleſtis lucis flammas e coelo depromptas, hoc eſt, ingenii atque rationis ſplendorem acceptum, ulciſcitur: per eam fere ſtat, quo minus ſimus toti rationales, neque unquam indecore appetamus. Jure igitur haec eſt illud μέγα πῆμα; de quo Jovi apud eum ipſum poëtam dictum eſt,

Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν ᾧκεν ἅπαντες
Τέρπονται, κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.

His ego pro igne malum cunctis quod dulce futurum
Sit, dabo, dum miſeri cupide ſua damna vorabunt.

Innu-

Innumerabilia (ne difficultatem hic cauſemur) ſunt contemptae voluptatis exempla; in quibus illud Nicetae Martyris mihi longe viſum eſt clariſſimum. Huic Maximini Tyranni juſſu, inter odores et florum amoenitates ſericis funibus revincto, et in molli lecto reſupinato, ſpecioſa meretrix, quae blanditiis omnis generis, et obſcoena contrectatione libidinem incitat, incumbebat. Divinus juvenis, dum quod faceret aliud non occurreret, linguam ſuam totam morſibus conciſam in incumbentis os exſpuit: atque ita hoc ſtrategemate, et ſe ipſum dolore excrucians, et mulieris vultum illecebroſum foedans, ſibi viam ad clariſſimam victoriam patefecit. *Quis non malarum, quas amor curas habet, haec inter obliviſcitur?* Et quoniam nobis ſemper ſunt opus purae vitae praeſentia exempla, alendae ſunt hae coelibum, hoc eſt, hominum ab omni libidinis contagio alienorum, et in ſacrarum literarum ſtudiis aetatem degentium, ſodalitates. His enim, qui ſibi ſponte voluptatum uſu interdicunt, inſpiciendis, diſcet hominum vulgus et ab illicitis in totum temperare, et conceſſis moderatius uti voluptatibus. Caeterum, an hic conducat vota ſuſcipere, et ad auſteriorem illam vitae rationem legum ſempiternis ſanctionibus aſtringi, non eſt praeſentis inſtituti diſquirere. His qui vel modice aliquando philoſophati ſunt, hoc eſt, naturae ſuae dignitatem ponderarunt, non poteſt vel hoc nomine non eſſe cariſſima, et videri digniſſima religio Chriſtiana, quae nos ſemper ad animorum excellentiam erigat; ſemper illud auribus inculcet, *ut quaeramus ea quae ſupra ſunt, non quae ſubter et in terra: ut qui habent uxores, ſint tanquam non habentes;*

tes; et quod praetereat mundi hujus ſpecies, et illa quae in coelo ſunt ſint ſempiterna. Libidinum excluſio divis et ſeparatis illis mentibus eſt naturalis: quamobrem ſi animus, in corpore etiamdum habitans, ſibi ſua ſponte ſimiles puritatis leges, quarum uſque tenax ſit, indicat, jam ſuperum quodammodo exaequavit dignitatem. Unuſquiſque ergo noſtrum ſe ad coelites ſubvehere ſtudeat, divos imitari conetur, et illis Virgilii verbis ſe ipſum ſubinde admoneat,

———*Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim*
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

DEMET. Certe et voluptates ſpernere, adverſos caſus quoſcunque boni conſulere, mirifice appareret conſentaneum; ſi illud liquido conſtaret, et in hac, et in futura etiam vita Deo res noſtras eſſe curae. Verum, ut accepi, Epicurei iſti voluptatum aſſertores plerique omnes, una cum Diagora, et pleriſque aliis, aut prorſus impii ſunt, aut Deo mortalium rerum procurationem adimunt; neque aliud in rebus hiſce, quam temeritatem, aut fatum ineſſe contendunt. Quid? quod iiſdem nulla futura vita creditur, quando una cum corpore animus iiſdem videtur extingui. Illos etſi turpiſſime falli non dubitem, plenius quiddam his ipſis de rebus de te exſpecto.

FLOR. Facerem equidem libenter, Demetri, in ſceleratam iſtam factionem impetum etiam in praeſentia, niſi tam uberis argumenti tractatio brevis aut jejuna non ſufficeret: et prolixa contra

tra hujus loci non eſſe videatur. Verum ſi probe tenuiſti, et ad unguem tibi intellecta ſunt ſuperius diſputata; invenies, ut utrumque detur, hoc eſt, neque animos a rogo permanere, neque Deum res hominum curare, generoſe tamen toleranda eſſe adverſa.

Franc. Quod petit Demetrius, ſalvo officio negare non potes: agitur enim fides tua, Florenti; eo quod ſupra, cum bonorum animae praeſtantiam propter immortalitatem exaggerares, iſta ipſa de re te poſt dicturum receperis. Inſurge ergo, et philoſophaſtros iſtos obvios, qui ſe contra veritatem opponunt, curſus tui impetu, quod ſoles, praevalido, de celeritate nihil remittens, proſterne atque conculca. Non enim poſſunt non eſſe fragiles illorum collectiones, in tam manifeſta rerum luce.

Cap. XV. 3) *Levitas opinionis Epicureorum confutatur; animique immortalitas aſſeritur.*

Flor. Tibi gratiam habeo, Franciſce, qui me, quem longior orationis fluxus promiſſi fecit immemorem, de liberanda fide commonefeceris. Faciam itaque quod petit ille, et utramque rem obiter, quando aliter propter properationis celeritatem non licet, attingam. Plurima fiunt in hominum vita perturbate. Florent improbi, impune violantur inſontes,

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas,

Digitized by Google

ut poëta ait. Rerum omnium ſumma plurimum eſt penes impios, ſtolidos, et crudeles; imo et religionum, ſacrorumque principatus iis conceditur, qui vix digni ſunt, quibus caulae cuſtodiendae tradantur. Apud Martialem eſt illud de Selio quodam:

Nullos eſſe deos, inane coelum,
Affirmat Selius: probatque quod ſe
Factum, dum negat haec, videt beatum.

Sunt item in natura et inſectorum, et animantium etiam aliarum, et in rebus quoque inanimis genera, quae vel noxia, vel in nullum uſum comparata videantur. His et ſimilibus adducti conjecturis, Deum plerique aut non videre, aut, ſi videat, negligere orbem hunc inferiorem ſtatuerunt. Illudque multum omnino momenti habere videtur, quod nemo vel mediocriter prudens navarchum crearet, vel clavum navis in undoſo mari ei regendum traderet, qui nullo ſit rei nauticae uſu: vel ducem bello daret, cui nihil ſit ſcientiae militaris: imo vel aurigam denique vellet, qui aurigandi prorſus eſſet imperitus. At nos dirigendis hominibus, quae ars eſt omnium et difficillima et clariſſima, quas paſſim belluas praepoſitas videmus? Quis item Princeps, cui aequitas cara ſit, ea aſſidue ſe vidente impune deſignari pateretur, quae ſeveriter, et graviſſimis ſint vindicanda ſuppliciis? Quam gravia autem et nefaria indies deſignentur, quis non videt? Sed illorum lapſus in impietatem origo inde fuit, quod non ſatis meminerunt ſe eſſe homines; et divinorum operum ratio-

rationes altiores eſſe, quam ut humana aliqua conjectura perveſtigari poſſint. De re, quae multiplicem claudit temporum rationem, nunquam faciundum eſt judicium, niſi omnibus iis prius diligenter ponderatis, quae cauſae meritum vel deprimere vel elevare poſſunt. Nam facillima eſt erratio, ſi in partem duntaxat cauſae, et pauca quaedam oculos intendas. Fingamus animo ruſticum aliquem, eumque luſcitioſum et caecutientem, qui praeter caſas et ruſticana tuguria nullum unquam vidiſſet aedificium: veniat is in urbem; ſubeat aedes Principis, aut alicujus civis magnificenter atque artificioſe extructas; in quibus multae ſint ambages, aditus varii, atque perplexi. Hic dum aſpicit columnas, porticus, atria, cameras, conclavia, feneſtras, laquearia, caeteraque ex quibus machina conſtat; ſi, indocta quadam ſuperbia fretus, quaedam perperam, et contra architecturae rationem vel temere atque ab re exaedificata ſtatuat; ut intercolumnia anguſtiora, aut feneſtram paulo elatiorem, aut oſtium incommode collocatum; nonne tibi plane ridiculus videretur? Sed faciamus ſubire alium, qui ſanis ſit luminibus, qui in urbe ſit verſatus, qui tamen ſit architectonices expers: num vel hic jure poterit reprehendere aedium rationem? Fac item architectonicen eundem deguſtaſſe; ſed non callere ad unguem, neque architecti tenere conſilia: nonne et huic temeritas eſt a lapſu continenda? Conveniendus eſt prius architectus ipſe, qui totam operis rationem animo comprehenſam habebat, priuſquam fundamenta ulla eſſent jacta, quique omnes artis partes in numerato habet. Hic ſi au-

 ditus

ditus eſſet rationem reddere operis ſui, facile ſe purgaret, et oſtenderet, quam ſtolidum ſit, aliquem curioſum eſſe alieni, cujus expers ſit, artificii aeſtimatorem. Proverbio tritum eſt illud, Sutor non ultra crepidam. Hic ſane non abſimilis eſt hominum caecitas, atque arrogantia. Deus et architectus et dominus, et moderator eſt immenſae hujus molis; cujus hic orbis omnis minutiſſima et infima quaedam eſt particula. Et quemadmodum in opificiis noſtris neceſſe eſt, ut inter ima et ſumma, imo ut inter ſingula ſit concentus quidam: ſic nihil eſt in hoc orbe, quod non reſpiciat quiddam aliud in ignota mundi parte poſitum; propter quod neceſſe eſt, ut aliter ſit diſpoſitum, atque nobis fieri debere videtur. In Muſica perſaepe invenias duas voces, quarum concentus abſurditatis aliquid habeat: tertiam adjunge, canor eſt abſolutus. Concentum itaque hunc abſolutum omnis hujus orbis, qui ex omnibus numeris conſtat, ſolus auctor intelligit. Solus ille intelligit cur quaeque res ſit facta, et quem habeat uſum, et cur hoc modo, et non aliter fieri oporteat. *Homines* vero *etiam ſapientiſſimi* (ut Socrates ex Heracliti ſententia, quemadmodum eſt apud Platonem in Hippiâ majore, ſtatuit) *cum Deo comparati, ſimiae ſunt:* imo, ut equidem arbitror, verius aſini vel ſtipites. Et nos aſini atque ſtipites, quorum omnis mentis lux, cum divini illius ingenii immenſis fulgoribus compoſita, tenebrarum verius, quam ſubluſtris lychni rationem habet, illius improbabimus adminiſtrationem; aut illum ignorationis, aut oſcitantiae (ora impia atque impudentia!) inſimulabimus; et non potius

de

de rerum illius inexplicabili magnitudine, ſummo ſemper cum tremore cogitabimus? Non deeſt ad ſingula reſponſio copioſiſſima: ſed finis non erit, ſi ſingula perſequamur. Laudaſſem eorum acumen, ſi tota ſemel argumentatione hoc tandem fuiſſent complexi, conſentaneum eſſe,ut ſit alius aliquis locus, ubi divinum hoc animal homo, quod ſane non poſtremas in hoc tanto opere tenet, ſit abſolvendum; poſtquam hic nunquam debitam naturae ſuae dignitatem aſſequitur, ſed novercali quodam odio a natura videatur abjectum. Alter ille de animorum interitu error, in quem non ſolum Epicuri gregales, ſed et Plinius quoque, naturalis hiſtoriae nobiliſſimus auctor, eſt prolapſus, hinc (ut opinor) eſt, quod in belluarum nonnullis, cujuſmodi ſunt grues, apes, elephanti, ſimiae, canes, formicae, delphini, polypi, crocodili, appareant induſtria, et aſtutiae quaedam ſingulares, ac velut documenta quaedam rationalis ingenii; quibus tamen propterea immortalitatis vigor non conceditur. Harum inſtar hominem eſſe arbitrati ſunt plerique; pluſculum duntaxat illi mentis concedentes, non animum durabiliorem, aut aeternum aliquod vitae ſpatium. Sed in re toties controverſa, et in eandem ſemper rationem judicata, et tot ſeculorum praejudiciis, totque doctiſſimorum hominum teſtimoniis corroborata, denuo comprobanda laborare, eſſet actum (quod aiunt) agere. Ex praeſtantiſſimis philoſophis unus Ariſtoteles hic apparet anceps, et ſibi parum conſtare: intellectus tamen dignitatis aſſertor eſt perpetuus, cui altius quiddam omni tempore facile ineſſe vidit. Ne aperte animum immortalem eſſe

ubique definiret, duo mihi obſtitiſſe videntur: tum quod non vidit quomodo mens citra ſenſuum et imaginationis miniſterium queat ſuo munere fungi: tum quod, cum mundum aeternum eſſe opinaretur, ſi animos immortales conſtituiſſet, viſus eſſet infinitatem quandam multitudinis rerum, a qua natura abhorret, eadem opera poſuiſſe. Sed, cum mundus eſſe coeperit (quanquam id philoſophis eſt obſcurius, tamen ratio etiam non deeſt) et falſus eſſet, qui clauſus in inſula putaret locum inacceſſum, quod neque pedibus, neque equo locus adiri poſſet (eſt enim et navigii uſus, quamvis inſulari illi ignotus) non debuit tam pertinaciter abſtinuiſſe aſſenſionem, in ſtatuenda animorum immortalitate, Ariſtoteles; quandoquidem etiam ex ipſius philoſophia, imo a ratione ipſa, ad hanc rem argumenta in primis efficacia ſuppeditantur. Nulla plane res eſt quae vehementer illud amet aut appetat, quod ſibi non congruit: ſiquidem ex convenientia, etiam ut ſingula percurras, exiſtit tum futuri appetitio; tum quies et ſuavitas, cum res praeſens adeſt: animum autem et noſſe et amare aeternitatem, et nihil aeque atque interitus vel recordationem exhorrere atque odiſſe, ex ſe quiſque ſatis intelligere poteſt. Unde nexu quodam manifeſto, cum haec a natura inſita appetitio, et perennium ſeculorum augurium quoddam ingenitum non poſſit eſſe ſupervacuum aut otioſum, conſequitur, animos res eſſe ſempiternae durationis. Quorſum enim attinuerat, Deum nobis tum ſui, tum immortalitatis notionem impertiviſſe; unde neceſſario flueret flagrantiſſimum deſiderium, et velut lau-

tiſſimum famelicis oſtendiſſe convivium, ſi tantum ſpectandum, et non pariter fruendum epulum concederet; maxime cum illi ea ratione decedere nihil poſſit, ſed potius ad laudis ipſius cumulum id pertineat? Adde, animum eſſe prorſus omnis corporaturae expertem, quemadmodum et oculi pupilla omnis coloris: (hoc enim in natura cognitionis poſitum eſt, ut id, quod perfecte cogniturum ſit aliquid, prorſus expers ſit cognoſcendae naturae, ſi ea corporea eſt.) Quod autem ad τῆς οὐσίας genus pertinet, et accretionem nullam habet corpoream, neceſſe eſt ſit immortale: cum diſſolutio omnis atque interitus, ſit ex pugnantia qualitatum, quae in corporibus inſunt; et ex eo, quod materia haec craſſa corporum, aliarum, quam quas habet, formarum eſt capax. Belluis ut demus formam aliquam ratiocinandi, certe nulla prorſus ſunt iiſdem ſigna vel notionis vel appetitionis rerum immortalium. Quod quidem efficit, ut non mediocre, ſed immenſum ſit intervallum inter eam, quae in hominibus eſt, et quae in brutis apparet, rationem. Unde nihil dubitandum fuit, his adimere, atque homini tribuere immortalitatis honorem. Craſſa igitur fuit illorum philoſophia; et in ſummo duntaxat ſenſu atque ſuperficie conſiſtens, intimas rerum rationes non perſpexit. In proclivi autem fuit iiſdem hic aberrare; eo quod res omnis in duorum valde diſparium generum confinio poſita, atque utriuſque inſigniter particeps, ſemper nata eſt afferre ancipites cogitationes; ut utrius generis ſit, non ſit in promptu ſtatuere. Ejuſmodi res homo eſt, ſi quid aliud, tanquam communis

 qui-

quidam mortalium atque immortalium nexus atque limes. Progreditur quidem natura gradatim ab imis ad ſumma, et contra a ſummis ad ima. Summa et puriſſima res DEVS eſt; vita ipſa et ſapientia compoſitionis omnis exſors: ſi tamen fas eſt, rerum principem et dominum incomparabilem in eum venire catalogum, ubi praeterea nihil eſt, niſi ſervi. Secundum hunc proximus honos eſt mentium illarum, corporaturae expertium, quae tamen ipſae compoſitionis aliquid habent; propterea quod non quicquid in earum natura ineſt, protinus eſt ipſa earum eſſentia. Hoc enim Deo proprium eſt, ut, quae apud nos qualitates ſunt, et ex accidentium genere, cujuſmodi ſunt ſapientia, bonitas, virtus, in eo ſint *ὑσίᾳ*. Sunt tamen eae mentes prorſus immortales. Ab altera parte, materiae et corporum inanimorum pretium vincunt ea, quae vivunt. Horum rurſus infimis, hoc eſt, ſtirpibus, adeſt vita quidem, citra tamen ſenſum: quamvis ex philoſophis nonnulli dubitarunt, an plantae ſentirent; Ariſtoteles tamen tradit, non eſſe iiſdem illud organi temperamentum, quod rerum ſpecies, neceſſarium omnis ſenſionis ac agnitionis apud nos principium, ut illi ſubtiliter diſputatum eſt, reciperet. Secundum ſtirpes ſunt belluae, quibus ſenſus eſt aliquid: quamvis et hic rurſus Ariſtoteli dubitatum ſit, utro in genere ſpongiae, et quae Graeci *ζωόφυτα* vocant, hoc eſt, inter plantaſne, an inter animalia ſint reponenda. A belluis ſtatim aſcenderetur ad hominem, niſi Pygmaei, quibus a brevitate nomen eſt, (eſt enim Graecis *πυγὼν* cubitus) remorae aliquid exhiberent. Tam mani-

mani-

manifeſtum illi dant rationis ſpecimen, ut Ariſtoteles ex hiſtoriae fide ad humanum genus pertinere credat. Placuit, tamen doctiſſimis quibuſdam eos in ſimiis, numerare. In animantibus demum ſummum obtinet homo locum, qui ſuperiora cum inferioribus conjungens, ſenſus cum belluis communes habet, et cum ſuperis rationem item. Haec immortalis eſt, reliqua interitui ſunt obnoxia. Qui negat immortalem animum habitare poſſe in corpore mortali; quomodo ſe poteſt a doctiſſimorum hominum diſputationibus, quibus liquido probatur, ipſam etiam divinitatis οὐσίαν ubique adeſſe, tueri? Verum in tanta rerum difficultate ignoſci nonnihil poteſt iis, ad quos verae pietatis agnitio non pervenit. Nullo tamen pacto ferenda eſt nebulonum quorundam indocta plane arrogantia; qui Deum, et religionis auctoritatem nihil reveriti, tam impias voces, et tam tetros de animorum duratione ſermones, ut eos fugiat ac reformidet oratio; eructare audent. Quaſi non jamdudum ſatis feneſtrarum ſit apertum nequitiae; niſi et peſtifera haec atque vaniſſima perſuaſio, quae ſtatuit, ſpes noſtras omnes cum hac vita terminari, tanquam auctarium quoddam accedat! Nulla nobis eſſe debet cum hujuſmodi hominibus ratio; imo ex ſacra hominum communitate, tanquam publicae peſtes, ſunt exterminandi: ſemper eſt in illis, pro ſingulis judicii aut eruditionis unciis, non ſeſcunciam, ſed libram faſtus obſervare. Ac vide hominum dementiam! Si mortalis eſt animus (ut eſſe non poteſt) quid mihi periculi eſt a funere ab ea perſuaſione, ſi, dum vivo, immortalem credo? Tenebar ea opinione,

quae tum ad tuendam hominis dignitatem, tum ad colendum officium non parum afferret adjumenti. Nec eſt periculum, ne quis alius me tum propterea irrideat, cum omnes aequabiliter erimus extincti. Sin viget animus a funere, atque in rerum cognitione efflorefcit illuſtrius; in quantum veniunt illi diſcrimen, qui dum hic viverent, falſa freti ſententia, nullum ſibi ſcelus defugiendum putaverant, modo clam hominibus eſſe potuiſſet? A natura ſenſili, et hoc temporum curſu, aliquid eſt praeſidii huic errori: ſed ille, cujus nos fidem ſequimur, naturae auctor eſt, et non ſolum temporis, ſed etiam aeternitatis conditor. Qui ſemel omnia, cum nihil adhuc eſſet, ut eſſent effecit: omnibus prorſus extinctis, et in nihilum redactis, ut rurſus ſint, cur non idem dare queat? Itaque quamvis omnes philoſophorum factiones contrarium docerent, nobis Chriſti doctrina eſt profitenda, et in aeternas illas ſpes eſt reſpiciendum. Si Cicero mavult cum Platone errare, quam cum caeteris recte ſentire; ſi Pythagoricis ſatis fuit illud αὐτὸς ἔφη; quanti nobis tandem videri debet iſta philoſophorum inconſtantia, imo ignoratio arrogantiae plena, cum Dei immortalis teſtimonio cauſa noſtra nititur. Non vitupero hic philoſophiam: tantum dico, debere illam ut ancillam, aut pediſſequam, religioni aſſurgere atque obſequi. *Nam hujus arma carnea non ſunt, ſed divina quadam virtute valida.* Haec nos corripiamus, his inſtructi incedamus, λογισμοὺς (ut Paulus vult) καθαιροῦντες, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ. quod eſt, *deſtruentes ratio-*

cina-

cinationes, et omnem altitudinem efferentem ſe adverſus ſcientiam Dei, et captivum ducentes omnem intellectum ad obſequium Chriſti. Videbor hic fortaſſe longius, quam decuit, productus: ſed certe ſi rerum ubertas et meritum ponderentur, me ipſum ex immenſo campo in exiguum gyrum compuliſſe, nimiumque celeriter ac peranguſte dixiſſe comperiar. Perſtrinxi promiſcue itaque atque attigi potius, quam tractavi res, prolixis acutiſſimorum hominum diſputationibus contritas: quas, ſi per tempus licuiſſet, momento quodam diſpenſaſſem, et ad popularem quandam facilitatem deduxiſſem. Quocirca nolim vos mihi vitio vertere, ſi ad hanc quam videtis molem columnae hujus excrevit tractatio; quae quidem et ipſa rerum difficultatem (ut opinor) notabiliter imminuit.

Cap. XVI. *Explicatio inſcriptionis ſeptimae columnae: Malle id eſſe, quod es, quam quidvis aliud: atque hac ratione te beatum exiſtimare.*

Deinde ad ſeptimam adimus columnam; cui inſcriptum erat,

ΠΡΟΑΙΡΕΙΣΘΑΙ ΕΙΝΑΙ Ο ΕΙΣ, Η ΟΤΙΟΥΝ ΑΛΛΟ: ΚΑΙ ΤΑΥΤΗ ΣΕ ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΙΝ ΝΟΜΙΖΕΣΘΑΙ.

Hoc eſt,

MALLE ID ESSE QUOD ES, QUAM QUIDVIS ALIUD: ATQUE HAC RATIONE TE BEATUM EXISTIMARE.

Huc-

Hucuſque oſtenſum eſt, quaerenti ſerio tranquillitatem, vera et propria bona, non falſa et aliena, perſequenda: idque citra omnem vel orationis, vel mentis elationem, vel obluctationem, cum faciunda ſunt providentiae imperata. Nunc hujus columnae doctrina vult, nos tantum in hac ſtudiorum ratione retinenda ponere fiduciae, tantum ſpei collocare, ut nos tales tantum, non prorſus et ab omni parte beatiſſimos exiſtimemus. Et contra, eos qui has umbras captant, et caecis raptantur furoribus, etiam ut ter maximi et feliciſſimi videantur, eſſe miſeros. Hoc certe primo occurſu παράδοξον videtur et incredibile. Verum ubi res fuerit penitus excuſſa, intelligemus licere non ſolum

——*ſub paupere tecto* (quod ait Horatius)
Reges et Regum vita praecurrere amicos:

ſed etiam dum in cuſtodia et vinculis ſumus, per nos ſtare ſolos, quo minus maximorum Regum felicitatem ſuperemus; et beati, quoad ejus in hac vita fieri poteſt, ſine dubio ſimus. Sed non ſatis eſt iſta ſeſquipedalibus jactare verbis: fulcienda ſunt omnia valentibus et manifeſtis rationibus. Ad felicitatem eam hominis abſolutam, quam Peripatetici definiunt, quamvis bona externa requirantur; minimum tamen eſt illud, quo natura eſt contenta, et quod ratio poſtulat: cupiditas in immenſum evagatur. Horatius *non poſſidentem multa beatum* vocat; ſed

——*qui*

——qui deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejuſque leto flagitium timet:

qui *fortunam laudat manentem; ſi celeres quatit pennas, reſignat quae dedit, et ſua virtute ſe involvit.* Non ſine voluptate mihi lecti ſunt illi Virgilii verſus de Corycio ſene,

——cui pauca relicti
Jugera ruris erant, nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
Lilia verbenaſque premens, veſcumque papaver,
Regum aequabat opes animis: ſeraque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis.

Quid? quod et Epicurum ipſum, voluptariae factionis ducem, proditum eſt fuiſſe

——Exigui laetum plantaribus horti.

Gygi Regum aetatis ſuae longe ditiſſimo (quod eſt apud Plinium) Delphicum oraculum conſulenti, *quis eſſet mortalium feliciſſimus;* ſecus, ac ille exſpectabat, reſponſum eſt; *Aglaum eſſe quendam Pſophidium ſenem, qui in anguſto Arcadiae angulo parvum, ſed annuis victibus large ſufficiens, praedium colebat, nunquam ex eo egreſſus.* Fuit ille haud dubie forte ſua, *ut ex vitae genere manifeſtum eſt,* contentus: eoque hoc *a minima cupidine* accepit beneficii, ut *mali minimum in vita experiretur.* Et quoniam veritatis profeſſio libera

libera eſſe debet; dicere auſim, illum et vere, et ſolum beatum eſſe, qui his fretus ſententiis, ſe beatum eſſe judicat: qui nullius fortunam ſuae anteponit: imo ne cum Regum quidem aut Monarcharum quovis conditionem ſuam commotare velit. Hoc autem totum inde eſt, quod hominem ea ſola parte aeſtimat, qua homo eſt. At hic mihi dicat aliquis, Si tu in hoc vitae ſtatu, qui rebus pene omnibus deficitur, malis is eſſe qui ſis, quam quivis alius, et tuam fortunam ſceptris anteponas, ipſeque tibi iſtum ad modum blandiare; delirus videbere, et commentitiam quandam beatitudinem ipſe tibi ſolo opinionis errore vindicare. Nam, praeter te, nemo erit in iſta ſententia: nemo te, praeter teipſum, magnifaciet: nemo erit, qui non malit ſe Perſarum, Byzantiorum, Gallorum, aut Britannorum Regem eſſe, quibus quicquid eſt deliciarum, aut ſplendoris, ſuperat; quam, cujuſmodi tu es, homuncionem ſentum, infirmum, ſqualidum, indoctum, inglorium, aerumnoſum, pannis anniſque obſitum. Addatur et illud, non propterea aliquem copiis et opibus affluentem beatum fore, ſi ipſe ſibi (ut Croeſus fecit) placeat, atque beatus videatur.

DEMET. Volui profecto ipſe iſthaec tibi objicere, et jam oratio ab animo ad linguam venerat: ſed tu has praeoccupaſti partes.

FLOR. Nihil hinc incommodi accipitur: perinde ac tute propoſuiſſes, reſpondebo. Hic Seneca reſponſum ſuppeditat, *hanc videlicet felicitatis perſuaſionem nemini eſſe propriam, aut perpetuam: neminem*

minem ſe aſſidue felicem exiſtimare, qui non idem ſit: et tam, denique, nobilem poſſeſſionem ad indignum dominum devenire non poſſe. Nemini perpetuo ſua placent (ſine quo beatitudo non conſtat) niſi ſapienti. Omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui; incidit ſubinde in conſiliorum naufragium, et poenitentias. Et ut ſtomachus bile redundans facile revomit, quod ingeſtum eſt; ſic ſtolidis mox taedio eſſe incipiunt, quae paulo ante placuerunt. Unde fit, ut tota eorum vita ex alternante ſatietatum et faſtidiorum ſerie ſit confecta. Tuae rationes hic ſunt diverſae. Nam quae tibi perſequenda propoſuiſti, hoc eſt, moderatio animi, imperium in affectus, obſervatio numinis, ſtudium dignitatis et libertatis tuae, divorum conſortio brevi ventura, ejuſmodi ſunt, ut ſatietatem aut faſtidium ſui afferre non poſſint. Nam corporeae duntaxat res ſunt, quae, ſuperficie dulce quiddam pollicentes, falſum animum ad ſe trahunt: ſed mox fraudem mens ſubodoratur. Sed nec hic quicquam de vulgi opinione laborandum eſt: plena ſunt omnia errorum, plena caecitatis, plena turpitudinum. Nullum contra apertam veritatem valere debet ſuffragium; nec omnes illi juncti magni ſunt aeſtimandi, quorum ſingulos ſtolidos et inſanos eſſe cognoſcis. Qui ex errore imperitae et abjectae multitudinis pendet, (quotuſquisque compertum habet, quod ſit verum decus?) certe in magnis viris nunquam eſt habendus. Tu non ad vulgi opinionem, ſed ad ſapientiae normas vitam tuam inſtitues, ſi ad rarum hoc tranquillitatis bonum ſerio contendis. Non inficiabere, niſi demens ſis, infinitis partibus praeſtare felicem eſſe, quam haberi. Jam ut

ut ſis, in te ſitum eſt: ut habearis, non item. De divite porro iſto, et iis qui vulgo abjectae felicitatis bractea imponunt, non ſolum videndum eſt, quid ſuper menſam, aut in conviviis inter adulantium turbas et gulae irritamenta poſiti, et ad temporis punctum, de ſe et ſuarum rerum ſtatu; ſed quid perpetuo ſentiant. Nam illa cogitationum inter epulas ſuavitas, quam admiratrix et circumfuſa turba falſo capta ſplendore efficit, brevis quaedam eſt reſpiratio ab inteſtinis illis animi curis. Atque ut is ſanus non dicitur, cui intermiſſiones quaedam in febribus conceduntur, (ſolent enim morbi intervalla dare) ſic nec is felix eſt, cui pauſae ſunt duntaxat aliquot breves aegritudinum, quas oblivio, non ſtabilis animi judicatus attulit. Multi in foro ſunt conſpicui, quorum vitam triſtem domi facit moroſa uxor: ſic et regno et opibus multa adſunt occulta mala, eaque ingentia, hoc eſt, ſolicitudinum cupiditatumque plurimarum turpiſſimi et flagrantiſſimi aeſtus; quos nulla queat aqua, praeter eam, quae ex ſapientiae fontibus hauſta eſt, extinguere. Et, ut res ſit apertior, conſtituamus, Quiſnam ſit dicendus beatus, quoad in hac vita beatitas homini contingere poteſt. Is ſane eſt, ut opinor, *qui habet* (ut breviſſime definiamus) *quicquid vult.* Addidit (ſi probe memini) Auguſtinus, *et nihil mali vult.* Sed ea acceſſio profecto non eſt neceſſaria: ſiquidem qui mala aliqua cupiditate illigatur, nunquam fit compos omnium quae cupit: cum ea ſit natura fallacium bonorum, ut ſitim animi cruciabiliter exaugeat, non ſuaviter extinguat. Quid? quod quicunque in parte quavis turpis eſt, huic nihil veri

boni

boni eſſe poteſt. Eſt enim, ut philoſophi docte et ſapienter definiunt, virtutum nexus adeo neceſſarius, ut qui una aliqua deficitur, deficiatur et omnibus. Et quamvis ſatis ex quarta columna liqueat, fruſtra expletionem animi peti ab externis, eoque neminem illis beatum fieri: quia tamen tu, Demetri, comparationem quandam attuliſti, vulgi opinione nitentem, videamus quae ſit iſta beatitudo Byzantii tyranni; hoc eſt, an ſit is contentus ſorte ſua. Obtinet hodie *Ægyptum*, Arabiam, Syriam, minorem Aſiam, Graeciam, Thraciam, Moeſiam, Daciam, Illyricum, Dalmatiam, opulentiſſima regna: unde aſſidue magnos alit exercitus, et pellicum vim non mediocrem. Nihil oriens, nihil occidens Sol videt, quod ad delicias pertinet, quo careat ille. Verum egeni animi manifeſta quotidie dat ſigna, dum toties Pannonias populabundus ingreditur; quicquid obſtat, barbarica immanitate ferro ignique, quoad per eum fieri poteſt, abſumens. Nec Pannoniis contentus erit, volet ſub jugum mittere omnes has Chriſtianas provincias; neque aliam ob cauſam uſque adeo illi arridet haec noſtrorum Regum diſcordia, quam quod ea potiſſimum ratione hucuſque imperium ſuum longe lateque propagaverit. Quod ſi illum tanta gerere dicas metu adactum, ne noſtris rebus creſcentibus illius opes debilitentur; plane id quod volo confiteris, timoribus et ſolicitudinibus perpetuis ferum tyranni pectus exagitari.

DEMET. Carmine nuper laudes Britanniae veſtrae deſcripſiſti; in quibus egreſſu quodam at-

tingis calamitates iſtas, quae a Turcis impendent. Fac, quaeſo, ut et Franciſcus audiat quid ſcripſeris. Nemini enim diſpliciturum id arbitror, niſi cui et Chriſtus ipſe non multum placet.

Flor. Cogis me, Demetri, ſaepius aberrare: ſed quia res pertinet ad religionem, cujus ſtudium nunquam poteſt eſſe immodicum, mos tibi geretur. Certe ſi Principes noſtri probe tenerent ipſi, quid ſit, et quam magnum bonum ſit Chriſtus; facilius quae jam tenent regna relinquerent, quam ſuſtinerent ut, ſua diſcordia, Chriſtiani ex profeſſo hoſtis potentia invaleſceret. Noſtra diſcordia eſt, quae illum vocat: noſtra diſcordia eſt, quae illi audaciam facit, quae illi et vires et arma ſuppeditat. Ipſe pro meo qualicunque in Chriſtianiſmum ſtudio, dum lanam, quam optimam et plurimam auſtralis Britanniae pars, quam Angliam vocant, ſuppeditat, inter caetera inſulae commoda praedico, et ad quas exportetur gentes oſtendo, hujuſmodi uſus ſum excurſu:

Regna foret nimium longum memorare propinqua:
Hac ſe veſtit Arabs, et cui rigat arva quotannis
Nilus, ab excelſo delapſus vertice montis:
Qui Libyam longo tractu diffindit aduſtam.
Utitur hac pariter veteris gens culta Damaſci,
Et Cilicum pubes, Cydno perfuſa nitenti.
Se tegit hac Thracum genus, et quicunque tyrannum
Agnoſcunt Scythicae faecis, cui dudum orientis
Imperium noſtri diſcordia contulit orbis.
Nunc ne ſit ſimplex dementia, rurſus eundem,

Qui

Qui genus exſcindat noſtrum, noſtroſque penates,
Viribus armamus noſtris, ultroque vocamus.
Haud ſecus ac ſi enſem ſtrictum quis porrigat hoſti;
Protinus hoc, dicens, ferrum in mea viſcera conde.
Securi interea nos inter ſtringimus enſes,
Et placet ut bellum plus quam civile geratur.
Nec nos ſacra movent communia, nec pudor ullus,
Non ſociae durae clades, et funera gentis,
Non temerata Dei templa immortalis, et omnis
Chriſti extinctus honos: quodque eſt vel dicere tantum
Grande nefas, pietas miſere peſſundata ſenſim,
Ingenuaeque artes expulſae, et praemia laudis;
Ille ubicunque fuit victor, rerumque potitur.
Nec lachrymae quondam, quas jam devicta datura eſt
Poſteritas, fruſtra queritans pertaeſa tyranni
Crudele imperium, nec non paſſura libido
Barbara quicquid erit ſaevi, quod juſſerit hoſtis.
Heu! quoties cupient, ut belli auctoribus hujus
Sit male, per quos non venienti occurrere damno
Eſt licitum, et primi curſus frenare furoris.
Impia tunc dicent haec arma fuiſſe, viroſque,
Noſque ſibi nimium male proſpexiſſe nepotes.

Sed quid externos Principes commemorem? Eadem fere ſunt et noſtrorum ſtudia, qui toti vel diffluentes deliciis, vel inanis gloriae ſtudio flagrantes, ſuſque deque ferunt, quam aerumnoſi ſint alii, modo illorum cupiditatibus ſerviatur. Multa hominum millia interdum in unius jactationem impendi oportet; et ſaepe falſarum laudum praemium tot orphanorum eſuritione, et tot viduarum lachrymis, imo et inſontium funeribus eſt redimendum. Jam hoc videatur, uter ſit prae-

ſtabilior: illene, qui dummodo cupiditatibus potiatur, pro nihilo habet turpitudinem ſuſcipere, coelum terrae miſcere, et magnam humani generis vim perdere; an is, qui vitam ipſam potius ponere velit, quam indecore quicquam facere, et in officii peccare leges. Certe idem qui praeſtabilior eſt et felicior, quandoquidem felicitas ipſa rerum eſt praeſtantiſſima. Agis Laconicorum Regum ultimus, praeter aequum ab Ephoris condemnatus, lictori, ob rei indignitatem, cujus cogebatur eſſe miniſter, flenti, *deſine* (inquit) *homo meam vicem flere: nam ſic praeter meritum et jus moriens, melior et felicior ſum his qui me occidunt.* Haec locutus, ipſe ſibi collum laqueo induit. Quod ſpectaculum vulgo habetur foedius, quam hominem ſic ex vita et communione hominum exterminari? Quod tamen ſane pudendum nihil habet, niſi cauſa aliqua turpis praecedat. Alioqui nihil eſt haud dubie, niſi vulgaris, idemque turpis error; ad quem ſi ſtudeamus vitam et mores inſtituere, non eſt quod unquam ſolidam animi requiem exſpectemus. Vulgus hic non intelligo pauperculam turbam; ſed quoſcunque, qui illiberaliter ſentiunt de virtute, qui magnifaciunt ea quae ad corpus pertinent, et ad vitae hujus jucunditates. Quocirca quoties tibi oculos perſtringet aularum ille fulgor; quoties vides viros principes tam numeroſa nobilitatis turba, tam varie tamque nitide veſtita, ſtipatos; ne inanis ſpecies te decipiat, ſcis quid tibi ſit faciundum? Expediam. Imminebat quondam Graeciae cum numeroſo exercitu (ut Romanarum rerum ſcriptores produnt) Antiochus. Apparatus varii et copioſi fama jam cunctos attonitos red-

diderat:

diderat: equitum peditumque nubes jactabantur, mare claſſibus abſcondendum, varia item armorum, et inaudita gentium nomina: Medi, Caduſii, Ælimaei, haſtati, cataphracti, amphippotoxotae. Quod conſpicatus T. Quintius Romanorum imperator, faceta et perquam familiari ſimilitudine varios timores diſcuſſit: narrans de quodam hoſpite ſuo Chalcidenſi, convivatore ſcito admodum et lauto; qui, cum conquiſitiſſimis cibis menſae exſtructae apparerent, interrogatus, *unde eſſet tam multa, et tam varia venatio ſolſtitiali anni tempore;* reſpondit, *omnia manſuetae ſuis eſſe carnem; ſed arte et condimentis accepiſſe ferinae ſpeciem tam diverſam: Ita,* inquit Quintius, *in praeſentia ſe habent Antiochi copiae: omnes illae gentes, quarum vos nova nomina terrent, Syri ſunt; hoc eſt, imbelle et ſervile hominum genus.* Hunc ad modum cogita tu, Principes, una cum comitibus, aſſeclis, et ſatellitibus, quantumlibet auro radient, aut ferro ſint terribiles, quantumlibet fortunae ſint ornamentis conſpicui, niſi illa ipſa quae habent, propter quae vulgo magni videntur, nihili faciant, omnes Syros, hoc eſt, nihili eſſe homines, et nequaquam inter illuſtres viros referendos. Semper haec duo in promptu tibi ſint, omnem (ut eſt) hominis praeſtantiam eſſe ex animo; et non pendendum eſſe ex vulgi opinione: quod niſi facias, ad minimam quamque occaſionem labaſces. Illorum, quos vulgus ſuſpicit ut felices, nemo non inteſtinis curis laniatur. Species quaedam externa laetitiae in illorum rationibus verſatur: ſed quia domi non illis naſcitur laetitia, hoc eſt, quia a ſapientia et conſtante ratione non proficiſcitur, ſolida et perpe-

T 3 tua

tua eſſe non poteſt. Neque enim omnis qui ridet, continuo gaudet. *Levium metallorum* (ut inquit Seneca) *fructus in ſummo eſt : illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſidue plenius reſponſura fodienti.* Perfunctoriam ergo duntaxat voluptatem praeſtat hic rerum fulgor exoticus: veram altae et ſapientes illae animi commentationes. Vis amplius videre, quanto tu perſonatos iſtos felices antecedas, ſi quam deſcripſimus ſtudiorum rationem fueris ſecutus? Tu animi ſapientia repraeſentas, imo et frueris eo, quod illi fruſtra et laborioſe per omnem vitam quaerunt. Te tua delectant, nihil magnopere ambis alienum, conquieſcis in illa tenuitate externorum, nulli ſuas opes invides, neminem propter externa tibi praefers: quod certe non fit ſine inteſtina, eaque et egregia, animi magnitudine. Illorum alius ſolicitus eſt de muliercula, qua cum potitus fuerit, tranquillum ſe fore ſperat. Alius tum clarum ſe et beatum fore putabit, cum cenſum ſuum ad centies ſeſtertium auxerit. Alius nihil ſibi amplius fore negotii credit, ubi ſacerdotium fuerit adeptus; ſupererit enim (ut videtur) illud duntaxat, poſt aliquot horas in templo conſumptas, domi dare operam deliciis. Alius ubi ditionem dilataverit, diis proximum ſe futurum ſperat. Et cur haec omnia moliuntur, niſi ut placide et quiete vitam agant? Illo jam tu frueris, quod illi tot ſudoribus quaerunt. Illi ſemper animi pendent, et de craſtino ſunt ſoliciti: tu ſecurus omnium, habes in animo opum et ſuavitatis ſcaturiginem perennem. Hodie vivis, hodie felix es; et jam temporis tranſgreſſus metas, tempus ad te pertinere non arbitraris.

Non

Non exſpectas, ut fias magiſtratus, non ut creſcat cenſus, non rapit te caecus aliquis formae furor. In ſumma, non exſpectas ut ſis felix; cum ſcias non eis rebus quas illi petunt, ſed iis quas jam domi tuae poſſides, felicitatem parari. Quanto ergo tu, qui jam portum tenes, et complicatis velis in optatis ſedibus conquieſcis, potior illis es, qui undoſo etiamdum jactati ſalo portum nunquam ſunt inventuri? *Vis ſcire* (ait Seneca) *quid nos faciat avidos futuri? quia nemo ſibi contigit.* Ego tibi omnium opto contemptum, quorum parentes copiam optavere.

Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto praeſtantior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis aequanda pericula rebus.

Non deſunt ex perſonis illis, qui et agnoſcant, et clam etiam fateantur ſuas miſerias, ipſa rationis vi coacti; ſed partim ſuperbia naturae, quae refugit videri erraſſe, partim impotentia affectuum atque conſuetudinis vinculis conſtricti, malunt cum multis turpiter errare, quam cum paucis ſapientiſſime atque feliciſſime ſapere. Nimirum videri, quam eſſe, magni malunt, et inteſtinorum cruciatuum dant poenas; quia externa haec immodice adamare pergunt. Tu interim ſingillatim expende, quanti tibi ſint felicitatis cumuli. Expers es formidinum; expers item conſcientiarum. Liber; nemini ſervis, niſi illi cui omnia ſerviunt. Conſcius es praeclariſſimi dominatus, dum nihil quicquam ex fortuna pendes, et affectus tuos pro

arbitrio dirigis. Timent illi, ne amittant; tu omnia tua tecum, hoc eſt, in animo circumfers. Bias idem interrogatus, *quid eſſet omnium in vita maxime* ἄφοβον, hoc eſt, *intrepidum:* ὀρθὴ συνείδησις, inquit; hoc eſt, *Mens bene conſcia.* Aſſiduae et domeſticae furiae ſunt improbis carnifices illae conſcientiae, quas, ut velint, prorſus deponere non poſſunt. Et tu, qui vides te nihil tupiter in animo inſtituere, non tam excellentis rei conſcientia exultabis? Exercitus toti olim perpeſſi ſunt rerum omnium inopiam, vixerunt herbarum radicibus, et dictu foedam tulerunt famem pro regno falſo et alieno: et id nos non faciemus pro vero et noſtro?

Serviet aeternum, qui parvo neſciet uti.

Quam abjecta ſaepe fiunt mancipia, quantum devorant indignitatis, qui iſtas fortunae acceſſiones expectant? Curſitandum pro alieno arbitrio, vigilandum, adulandum eſt, et indigna ſaepe obeunda miniſteria, ut levem aliquam gratiam a faſtidioſo patrono ineas. Fuit et mihi aliquando in aula Antiſtes longe illuſtriſſimus; in cujus fidem ac clientelam juvenis admodum, falſo ſplendore captus, me contuleram: ſed cum vidiſſem crebro ſupplicandum eſſe, et perferenda multa taedia ob neſcio quod fortunae praemium, barbara quadam fortaſſe ſuperbia ductus, contempſi diutius preferre turpes illas et libero homine indignas moleſtias, protinuſque miſeriarum contemnere atque calcare mercedem coepi. Magno emitur quod precibus, turpiſſime quod adulationibus. Cicero

ro *et gloriae cupiditatem vitandam* dicebat, *quod eripiat animi libertatem, pro qua magnanimis omnis debet eſſe contentio.* Cogit nos illa vivere ſub perſona, et ut ſupplices ſimus, et ut alienos ſumamus vultus, dum timemus deprehendi tales quales ſumus. Multa tamen interea incidunt, quae nos denudent; et ut bene cedat tanta ſui diligentia ne deprehendatur, *certe*, ut ait Seneca, *neque jucunda, neque ſecura eſt vita ſub perſona viventium, et ad alienos ſe nutus accommodantium.* Neque hic libet commemorare, quam indignae ſint illae ſervitutes amorum, et quam abjecta atque damnoſa res ſit *triſtes Amaryllidis iras, atque ſuperba pati faſtidia.* Breviter omnis ſordidus affectus nos ad turpem et eandem miſeram adigit ſervitutem: commentatio ſapientiae, et fortunarum, atque adeo corporis comtemptus, nos rerum efficit dominos. Proinde ne verbis quidem conſequar, quantum inſit voluptatis, cum quis ſibi videt adeſſe eam animi vim, ut non modo hujus vitae luxum ac faſtum, atque omnia quae vulgus admiratur, contemnat; ſed etiam nihil quicquam animo concidat, imo exſurgat potius, ſi ſibi vel in praeſentia moriendum intelligat. Sed neſcio quomodo nunquam ſumus contenti domeſtico animi teſtimonio; ſed ſemper quaerimus externas laudes. Si res ipſa clauderet dubitationem, an ſapiens fortunae contemptus res ſit longe praeſtantiſſima, prudentiae eſſet ad ſapientum confugere conſilia. Sed ſunt haec noſtra omnia, quae de animi magnitudine nobis dicta ſunt, luce illuſtriora: quare nihil opus eſt ut externum excellentiae noſtrae teſtimonium requiramus; ſi aperte videmus nobis

illum, quem tantopere laudamus, mentis adeſſe vigorem. Cato in Libycis illis arenis neglexit Ammonis adire oraculum, dum ait,

Quid quaeri, Labiene, jubes? an liber in armis
Occubuiſſe velim potius, quam regna videre?
An noceat vis ulla bono? fortunaque perdat
Oppoſita virtute minas? laudandaque velle
Sit ſatis, et nunquam ſucceſſu creſcat honeſtum?
Scimus, et hoc nobis non altius inſeret Ammon.

Laudabiliora ſunt ſane omnia quae ſine venditatione, quae ſine populo teſte fiunt: nec ullum eſt virtuti theatrum conſcientia majus. Principes et duces, qui propter res geſtas etiamdum ſunt celeberrimi, fere gloriam mercedem rerum geſtarum ſpectabant. Jam cum longe praeſtantior ſit victoria, jure ſe ipſum et affectus ſuos vincere, quam alios per injuriam ſuperare; tu ſi contempta aliorum praedicatione, conſcientia praeclararum rerum contentus, aſſidue honeſtum colueris, ipſos omnium gentium victores longo intervallo ſuperaveris: longe enim majoris laudis res eſt, totam illam affectuum conſpirationem labefactare et perfringere, quam ab aurora ad Gades orbem ſub jugum mittere. Pulchre dictum eſt Plutarcho, *amatorem ſine teſte gaudere amica; et avarum cum ſolus eſt, nummos non ſine voluptate contemplari in arca.* Ex quo facile colligitur, ineptos nos eſſe, ſi pulcherrimarum rerum conſcientia non ſimus contenti. Nunquam ſane deſunt et ſuperi ſpectatores, quibus placere multo amplius nobis curae eſſe debet, quam hominibus vel ſapientiſſimis.

Sed

Sed ne diutius hic laboremus, ilud breviter ſtatuendum eſt; nunquam illum vere laude eſſe dignum, qui humanae laudis ſit admodum appetens. Cavendum eſt item, ut ſupra dixi, laudis ſtudium: eo quod, quoties videri, atque laudari ſtudes, ponis quodammodo cum ſuperbo illo daemone ſedem tuam in aquilone, et altiſſimi exaequationem quandam impie affectas. His ergo rationibus beatus fies; et talis erit animi tui ſtatus, qualis eſt mundi ſupra lunam, ubi ſemper eſt ſerenum: et ut alcyones avium genus in media etiam hieme, cum turbulentiſſimae ſunt tempeſtates, perinde degunt, atque tranquillum eſſet mare; ita tu ſapientis animi beneficio fortunae ſaevitia minime conturbaberis: imo a tuo quodam fonte tibi perpetuo fluent rivi quidam ſolidarum voluptatum perennes, quibus copioſe atque ſuaviter animus irrigetur.

DEMET. Ergo et tu tandem voluptates perſequendas ſtatues?

FLOR. Non facio, Demetri; ſed ſtatuo, eas res perſequendas, unde voluptates exiſtunt, non quae mentis lumen extinguant, et ex homine pecudem faciant, ſed quae juvent et perficiant rationem, quae ſint homine dignae, imo quae ſint illi cum divis communes, et illi divinitatis ſimilitudinem atque excellentiam tribuant.

DEMET. Nae ille merito gaudet, qui ſe cernit ad eam animi dignitatem, quam ſapientia largitur, perveniſſe: veruntamen ut quis ſe magnum aut

aut beatum exiſtimet, videtur pugnare cum ſapientum praeceptis, qui proprium hoc eſſe ſuperbiae aut ſtultitiae ſtatuunt, *Sibi placere.* Quid? quod et columna quaedam tua magnopere hoc cavendum dixit, *Ne quis de ſe magnifice ſentiat.*

FLOR. Sibi placere dicuntur, qui ob aliquod fortunae, vel corporis bonum, vel ingenii dotes, aliis anteferri poſtulant, caeteroſque quodammodo deſpiciunt. Sed is, quem nos laetum eſſe volumus de rebus ſuis, nemini ſe opponit: contemni pro nihilo habet: fortunae, aut corporis dotes ſuas non eſſe putat. Hoc maxime nomine magnum ſe credit, ſi ſibi minimus, quamlibet etiam ingenii dotibus excellat, videatur. Scit omnia ex Deo eſſe, eoque illi omnia accepta refert. Neque enim hoc in modeſtiae ratione poſitum eſt, ut ignores tibi adeſſe divina munera: quin potius magni ſunt illa faciunda; ſic tamen ut magnitudinis laus omnis illius eſſe intelligatur, unde illa oriuntur. Neque tu homines contemnis; ſed apertas hominum, quod omnino licet facias, turpitudines. Miſeraris illorum errores; et quam maxime cupis participes eſſe divini illius muneris, propter quod tu, ut populariter loquar, in domino gloriaris. Quid? quod qui ſibi ſtolide placet, neceſſe eſt, propter eas, quas ſupra attulimus, rationes, ut idem ſibi ipſi ſaepiſſime diſpliceat. Nos autem de durabili et perpetua quadam quiete loquimur, quae ſane cadere non poteſt niſi in ſapientem. Inde eſt, quod conquieſcunt nunquam, propterea quod ſuperbia omnis ex aliquo inſipientiae genere naſcatur. Videtis

jam,

jam, ut et haec columna nihil difficile contineat; cum nihil animo carius, gratius, aut ſuavius eſſe debeat, quam cernere ſe ipſum quam praeſtantiſſimum, et quam feliciſſimum.

Cap. XVII. *Explicatio inſcriptionis octavae columnae: Exercitatio, converſatio, et potiſſimum cavere a ſe ipſo.*

Tandem ad octavam, quae ultima fuit, columnam eſt perventum: cujus haec erat Epigraphe, et quidem multiplex, ut mihi viſa eſt:

ΜΕΛΕΤΗ, ΟΜΙΛΙΑ, ΚΑΙ ΜΑΛΙΣΤΑ ΦΥΛΑΤΤΕΣΘΑΙ ΑΠΟ ΕΑΥΤΟΥ.

Quae ſunt,

EXERCITATIO, CONVERSATIO, ET POTISSIMUM CAVERE A SE IPSO.

Praeceptiones omnes, quantumlibet ſalutares ſint, et appoſitae ad dirigendam vitam, uſus niſi adhibeatur, ſunt ſupervacaneae. Quorſus cubiculi parietes tecti citharis et teſtudinibus, quarum nullus ſit futurus uſus? Dictum eſt nobis ſupra nonnihil de conſuetudinis potentia; quapropter conveniet ut hic breves ſimus. Si eas res (ut hinc principium faciamus) quas inviti patimur, vel ſuſcipimus, parvi temporis uſus faciles reddit; quid aliud, quam ſumma facilitas illic expectanda eſt, ubi rem aliquam gerendam ex animo ſuſceperis?

At

At jam nobis ſupra conſtitutum eſt, oportere unicuique adeſſe flagrans ſui perficiundi deſiderium, et rationibus item vel luce ipſa clarioribus oſtenſum eſt; cur id, et quomodo fieri oporteat. Ergo hoc tantum reſtat, ut vires periclitemur; et praeclaram hanc bene, hoc eſt, honeſte vivendi ſcientiam ad actionem ipſam proferamus. Nota nobis et patefacta eſt via: nobis proficiſci certum eſt: jam quod valetudinem cauſari non poſſimus, nullum eſt negotium commonſtrare. Quod vitae genus eſt tam vel periculoſum, vel aerumnoſum, ac nautarum? Et tamen cernere eſt pleroſque, quos nullis blanditiis ab eo vitae inſtituto deducas. Qui in triremibus vincti remigant, et qui in cuſtodias dantur, primis diebus indignabundi ſunt, et inſigniter triſtes: poſtea, temporis et uſus beneficio, eoſdem videas ad aequanimitatem quandam perductos. Gladiatores, barbari ac perditi homines, quas perferunt in arena plagas, ubi pugiles caeſtibus contuſi ne ingemiſcunt quidem: inexercitati vero etiam ex levi ictu turpiſſimos edunt ploratus. Venatores in montibus inter nives pernoctant, et ſe interdiu uri patiuntur. De Libycis feris proditum eſt, alio translatas, etiam cum maxime fervet aeſtas, quamvis uberes adſint aquae, bibere non ſolere; hieme contra potare largius: eo quod in arenis illis ſitientibus, ubi educatae fuerant, aeſtate aquae, ut quae defecerat, non eſſent adſuetae.

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli (ut ait Ovid.) *ſaxa cavantur aqua.*

Sili-

Silices, ſi Plinio fidem habemus, alicubi formicarum pedibus detriti inveniuntur. Ferrum ipſo uſu ſplendeſcit, ſitu contra et rubigine exeditur. Sed ut rerum ſit concluſio, Μελέτη (quod proverbium eſt) πάντα δύναται; hoc eſt, *Nihil eſt tam arduum, quod non aſſiduitate et pertinacia ſuperetur, et ad familiaritatem perducatur. Nulli ſunt tam feri* (ait Seneca) *affectus, qui diſciplina non perdomentur.* Alii nunquam riſere, alii venere, alii vino, alii omni humore interdixere corporibus. Didicerunt alii tenuiſſimis et adverſis funibus currere; et ingentia, vixque humanis toleranda viribus, onera portare: alii in immenſam altitudinem demergi, ac ſine ulla reſpirandi vice perpeti maria. Multa item ſunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne tranſcendit; oſtenditque, nihil eſſe difficile, cujus ſibi mens ipſa patientiam indixerit. Πολλαῖσι πληγαῖς δρῦς στερεὰ δαμάζεται; hoc eſt, *Crebris ictibus et rigida quercus domatur.* Demoſthenem balbum natura fecerat; neque poterat primam artis, cui ſtudebat, literam pronunciare: ſed induſtria uſque adeo omnia naturae impedimenta vicit, ut oratorum Graeciae longe princeps ſit ab omnibus habitus. Convertamus ergo ſapientiae praecepta in uſum; et cum tanta ſint propoſita praemia, hoc eſt, divina quaedam noſtri excellentia, nos non pigeat eum ſuſcipere laborem, qui ſaepe ob nihili res pleriſque toleratur. Cum geniis noſtris bellum geramus; et qui toties turpiter ſuccubuimus, periclitemur tandem quid ſit vincere. Coerceamus libidines. Contemni vel amemus, modo non ſubſit turpitudinis cauſa: et cum adverſum aliquid accidet, complectamur illud

lud libenter, tanquam materiam oblatam, in qua animi vires exerceamus, et nos ipſos magnos et praeſtantes efficiamus viros. Non inepte ſane nos ad doctrinae uſum Thebanorum exemplo cohortatur Plutarchus: hi cum ſemel Lacedaemonios antea invictos habitos viciſſent, nunquam ſunt poſtea ab iiſdem ſuperati. Et ſane pro fervore uſus in periclitandis viribus, accelerabitur illa facilitas, quam praeſtat habitus: quandoquidem et a philoſophis acute diſputatur, an una aliqua actio poſſit habitum generare. Vultis ſcire quid faciatis interea, dum ſapientiae commentationes in mores traducitis? Philoſophamini. Hoc enim eſt vere, re ipſa et ſerio, non verbo tenus philoſophari. Hanc philoſophandi operam ſemel ſuſceptam ad extremum tueri nos conveniet, ſi vere homines eſſe velimus.

DEMET. Ergo ſententia tua, omnibus promiſcue eſt philoſophandum. At ipſe arbitrabar, eos eſſe philoſophos, qui in utriuſque linguae ſtudiis ea gratia ſint verſati, ut ſciant et poſſint de moribus, atque de omni natura diſſerere: quod tu vitae inſtitutum mihi delegiſſe videris.

FLOR. Ejuſmodi homines, ſi non tam oratione, quam vitae actione incluſam animo ſapientiam populis demonſtrant; hominum genus ſunt haud dubie longe praeſtantiſſimum. Sin palam affectibus indulgeant, philoſophaſtri ſunt, imo hominum nocentiſſimi; ut quibus inſpiciendis vulgus facilius corrumpatur, dum a doctrinae nomine turpitudo aliquid auctoritatis accipit. Philoſophiae

phiae pars maxime utilis, eſt ars vitae. Quamobrem, ut indignum in primis eſt, aliquem, qui ſe grammaticum profitetur, barbare loqui; ita turpiſſimum eſt, vivendi artem profitentem in vita delinquere. Diogenes *hoſce ſimiles eorum eſſe* dicebat, *qui pictas caricas pro veris elegiſſent.* Neque tamen ex turpitudine quorundam, qui in literis verſantur, fas erit vituperare philoſophiam. Non enim omnes agri, qui coluntur, ſunt frugiferi. Atque ipſa ſe tibi multo ante inanem fore denuntiat, niſi ex ſtudiorum umbra in actionum palaeſtram prodeas. Sed quid hic dicendum eſt de illis, qui divinitatis imitationem quandam ſingularem profeſſi, et qui ſe pene divorum loco eſſe volunt, doctrina vel nulla, vel adulterina ſunt exculti; et peſſimis vitae exemplis ſceleratum turbae, ad nefaria ſemper tendentis, curſum adjuvant? Itaque tu tum te oratorum optimum eſſe puta, cum tibi ipſi quod oportet perſuaſeris: tum philoſophum item, cum tibi ſtudes, et quas de honeſto animo tenes praeceptiones in mores transfundis. *Nonne id flagitium eſt* (ait Menedemus) *te aliis conſilium dare, foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?* Siquidem alimenta, quamdiu in ſua qualitate perdurant ſolida, et in ſtomacho innatantia, onera ſunt; mutata, in ſanguinem et vires abeunt: ita quae legimus concoquenda ſunt, ut non tam in memoriam, quam in mores abeant. *Quantum ergo profeceris, non tam oratione, aut calamo, quam cupiditatum imminutione* (ut ait Seneca) *eſt faciundum.* Si gloriarum videlicet refrixit ardor, libidinibus minus indulges, ſi auri fames eſt ſedata, ſi te contemni non tam, quam ſolebas, gravate fers: haec

U ſigna

Digitized by Google

ſigna ſunt animi per philoſophiam jam ſanati, aut certe ad ſanitatem magno gradu properantis. Hic philoſophiae et ſtudiorum fructus eſt uberrimus, ſi nos indies meliores fieri ſentiamus; ſi animus aſſidue tum moderatior, tum purgatior redditur. *Oves* (ut pulchre Epicteto dictum eſt) *non revomendo quam eſitaverint herbam; ſed carne ſucculenta, copioſo lacte, atque lana, commonſtrant paſtori, quam laeta fuerint paſcua in quibus errarint:* ita nos non ambitioſis diſputationibus, aut epiſtolis, quae Ciceronis facundiam redoleant, vel libris, qui Ariſtotelis praeferant acumen; ſed conſtanti potius totius vitae modeſtia, oſtëndere debemus, in quibus et quam gravibus ſtudiis ſimus verſati. Hujus uſus qui rudis eſt, etiam quamvis ſexcentos Ariſtoteles, et totidem Platones ac Cicerones devorarit, non magis habendus eſt philoſophus, quam is citharoedus, cui multa ſit cithararum copia, aut muſices lectio, citra illam pulſandi peritiam. Et contra, qui ſapientiae praeceptis utitur, ut faber ſit, vel agricola, haud dubie philoſophus eſt: imo idiota, ſi Chriſti et coeleſtium rerum amore corripitur, theologus eſt egregius. Hoc ſi deſit, in ſubtiliſſimis de divinis rebus verſatum eſſe diſputationibus nihil quicquam confert. Eum, qui nihil praeter aridam et ſterilem cognitionem elicit ex lectione longa, non inepte quidam ſimilem dixit pictoris, qui formoſae mulieris lineamenta, colorem diligenter obſervat, ut depingat duntaxat: et contra rudem illum ejuſmodi ſtudiorum, qui tamen ſerio pius eſt, eum referre ait, qui ſubito ut formoſam vidit, citra ſubtiliorem inſpectionem totus eſt in amorem abreptus. Itaque

hoc

hoc quod philoſophari (quod eſt ſapienter vivere) dixi, eſt vere hominem agere. Hoc ergo more philoſophari commune eſt omnium qui ſe homines profiteri auſint. Curioſior rerum explicatio forte poſcit, ut hic nonnihil dicatur de eis viribus, quae aſſuefactionis ſunt capaces. Sunt enim quaedam facultates, quas fruſtra ad obedientiam condocefacere tentes; cujus generis ſunt, vis concoctrix, aut expultrix, aut appetentia illa alimenti. Nulla ſane induſtria efficias, ut non velut latret ſtomachus, cum alimento deficitur. Et pertinent haec fere ad illam animam, quae populariter Vegetativa dicitur. Senſuum functiones etſi naturales ſunt, (videt enim oculus naturaliter cum in luce coloratum aliquod eſt admotum) admotio tamen rerum convenientium eſt in arbitrio hominis, vel ſaltem intermiſſio functionis; cum integrum ſit oculos claudere, atque aures obſtruere, etiam poſt res admotas. Intellectus item naturaliter aſſentitur ſententiis illis, quarum veritas eſt evidens: poteſt tamen voluntas alio convertere cogitationem: poteſt item eadem ſibi quodammodo imperare. Omnis ergo animae vis habitu imbui poteſt, cujus functio noſtri eſt arbitrii atque ſpontis. Ariſtoteles appetitui animali rationem civiliter praefectam eſſe ſtatuit, eo quod illius motus etiam invitis nobis exoriantur: admittunt tamen (ut nobis ſupra oſtenſum eſt) diſciplinam: quapropter et ille virtutum eſt particeps, et habitibus quibuſdam, nunc pravis, nunc ſtudioſis inficitur. In corporis membra idem, quantum ad motus uſum attinet, animo tribuit herile imperium: quapropter jure vituperamur, ſi illis

 ſce-

ſcelerate abutimur. Ubi merum largius hauſtum eſt, non eſt in poteſtate noſtra, ne ſequatur ebrietatis aliquid; eo quod jam ventum ſit ad functiones prorſus naturales, et quae ſunt vegetatricis facultatis: prius tamen integrum erat, poculum non ori admovere, aut admotum non exhaurire. Verum haec diſputatio tantae utilitatis non eſt, ut ſit hic commemoranda: maxime cum typographica officina calami noſtri celeritatem praevertat: quo fit, ut tranſcurrenda ſint etiam quae videantur neceſſaria. Convertamus ergo nos alacriter ad praeceptorum uſum, ut praeclarae iſtae voluntates poſſint aliquando nos ad habituum firmitudinem perducere. Φιλεῖ (inquit Euripides) τῷ κάμνοντι συσπεύδειν Θεός; hoc eſt, *Laborioſe adnitentes Deus libens adjuvat.* Apud eundem eſt, ut nemo unquam clarus evaſerit voluptatibus, et vitae hujus deliciis: ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν; quod eſt, *Labores ſunt quibus claritudo paratur.* Si qua in parte nos praeclare dedimus, laboris moleſtia abit, honeſti decus eſt aeternum: contra, ſi turpiter aliquid nobis deſignatum eſt, voluptas quam petebamus actutum evaneſcit; inuſta macula perpetuo, niſi ſtudiorum fiat mutatio, adhaereſcit. Unde non poſſum ſatis admirari voluptariorum ineptiam, qui volunt ex praeteritarum voluptatum recordatione in animo naſci quandam ſuavitatem. Quod ſi de corporis deliciis accipiendum eſt, Quae, quaeſo, mihi voluptas inde exiſtere poſſit, cum mihi in mentem venit ſtultitiae meae, et quam turpiter fuerim deceptus, dum pro rebus umbras amplecterer? Quin contra eſt, hoc ſingulare animo gaudium affert, cum ſe

ſe videt facillime ſemper contemnere ea, ad quae vulgus incautum impotenter abripitur: ſe nuſquam decipi, ſed conſtante quodam judicio parvi facere ea, quorum ſpecies imponit vulgo. Penetrat nimirum in intimas partes, et videt ſolidi nihil ſubeſſe: vulgus in ſuperficie conſiſtit; nec cernit lutum et ſordes, quae ſub pulchre depicto tectorio latent. Profuerit item non mediocriter in hoc plilofophandi ſtudio, ſi quis quotidie a ſe ipſo penſum aliquod eruditionis, tanquam paedagogus aut magiſter, exigat: ſecumque ita cogitet; " Quomodo philoſophatus ſum hodie? " quid didici? quem vici impetum animi? reſti- " tine libidini? toleravine patienter injuriam?" Si feciſſe ſentit, gaudeat, ſibi caput demulceat; pomo, quod pueris cum probe dictata reddiderint fit, ſe donet; ipſe ſibi dicat, " Laudo, vir es, " perge: " ſic tamen, ut laus illa omnis ejus eſſe intelligatur, a quo uno laudis omnis ratio manat. Sin lapſum ſe ſentit, erubeſcat, ipſe ſe objurget; neque increpandi ſui finem faciat, donec ipſe ſibi polliceatur in poſterum ſe fortem, frugi virum futurum. Conducet item, ut ipſo mane, quotidie cum exſurgitur, Deo prius religioſe adorato, ſibi ob oculos unuſquiſque ponat quaecunque poſſunt accidere; ſive illa ſunt voluptatum irritamenta, ſive dolorum cruciatus; atque ita ſecum " ratiocinetur: " Hodie fortaſſe in eum locum " ſum venturus, ubi perſonae tam affabre forma- " tae erunt, ut pro rebus probent; ubi faces ſint " incendendae libidinum, ubi nihil denique non " erit illecebrarum. Quid faciam? abſtinebo, " philoſophabor, tuebor dignitatem meam. Fieri

" item poteſt, ut hodie a me diſtrahantur cariſ-
" ſimi, ut compilata ſit arca, imo ut ipſe ad car-
" cerem, adeoque et ad mortem abducar. Quid
" faciam? philoſophabor, reddam dictata, gene-
" roſe perferam, re ipſa major ero illis omni-
" bus, qui miſerum eſſe putant quicquam, ubi tur-
" pitudo abeſt: illuſtris animi ſpeciem divis ipſis
" ſpectantibus dabo." Debet ſane animus ſe in hiſce rebus cogitandis pervolvere, ut nihil ſit inopinatum: hac enim ratione paratur ſecuritas, dum adverſus omnem caſum proviſa atque praeparata ſunt remedia. Demoſthenem proditum eſt ſolitum adire ſtatuas, et ab ipſis aliquid petere. Interrogatus, *cur id faceret;* reſpondit, *ea ratione ſe diſcere, non commoveri, ſi quando ab hominibus non impetraret quod peteret.* Sunt haec quidem, quae commemoravi, virtutis tirocinia minime ſpernenda: in quibus et illud diligenter memoriae mandandum eſt, ut, dum irritant externae rerum ſpecies ad libidinem, celerrimus ſit rationis occurſus; neque concedamus otium, ut illecebrae prius animi aditus occupent, quam ratio ſapientiae praeceptis meatus obſtruat. Cum formam aſpicis inſignem, ſtatim in promptu ſit, perſona eſt, et diarii decoris flos; lutum eſt, ſpecioſa bractea cruſtatum. Nam ſi ejuſmodi cogitationes prompte non ſe proferunt, ſauciatur interim animus, et tacite venenum quoddam ſuave in eundem inſpiratur; invaleſcit mentis caligo, et res ad perniciem tendit, et invitius poſtea et laborioſius mala gaudia deſeris. Similiter item eſt in terroribus, ſi non protinus ſapientiae ſcutum corripis, res apparent impatibiles. Itaque

Prin-

Principiis obſta : ſero medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluere moras.

Ubi ad tempus aliquod hoc modo te gerere conſueveris, admirabilis erit rerum ex dexteritate hac extemporali ſuavitas. Deinde illud videndum eſt, ut convictores probos deligamus. Tales enim fere evadimus, quales ſunt illi quibuscum vivimus. Ex Theognide citat i lud Aſtoteles, ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι; hoc eſt, *De probis probitatem diſcas.* Nullus fere locus eſt, qui non ſit flagitioſorum veſtigiis impreſſus. Improbis omnia redundant; nec minus animorum, quam corporum, morbi (quod multis exemplis Plutarchus oſtendit) in nos imprudentes transfunduntur. *Itaque* (ut ait Seneca) *non tam valetudini prodeſt utilis regio et ſalubrius coelum, quam animis parum firmis in turba meliorum verſari.* Nam et belluae multum nativae feritatis, ex eo quod cum hominibus convivunt, deponunt. Atque, ut qui in Sole verſantur, colorem ex eo ducunt; quamvis non propterea ad Solem prodierint: ſic bonorum convictus ſemper nobis vel non ſentientibus probitatis aliquid affricabit. Si eum locum diligenter vitamus, ubi peſtilens ſit aër, qui corpus inficit; quanto majore cura ea declinanda ſunt loca, et cavendae ſocietates, unde nihil praeter morum corruptelam exſpectandum eſt? Multi boni, etiam ut ad exempla cohortationes addantur, aegre unum aliquem improbum poterunt ad frugem revocare. Quid ergo tum uſu venire veriſimile eſt, ubi improbitas ab infinitae multitudinis exemplo confirmatur? Natura nos finxit pronos ad imitanda

prava; eoque nihil pene turpe ducimus, quod vulgo factitari videmus. Fraude alteri imponere, labefactare alienam pudicitiam, famam commaculare, ferociter ulciſci injurias, vel per nefas augere peculium, nos non pudet. At cur quaeſo? Non ſane propterea, quod audeamus palam profiteri illa non eſſe mala: ſed quia paſſim ita fit; eoque non veremur, ne nobis illa vitio vertantur; quaſi ex hominum opinione pendendum eſſet, aut vulgi manifeſtus error aeternae rerum dignitati praejudicare poſſet. Multum igitur ſoliciti eſſe debemus in diligendis illis, quibuſcum vivamus, aut quos nobis intuendos atque imitandos proponimus. Diſpeream ſi ſaepe vel unciam hominis in iis reperias, qui non modo Chriſtiani, ſed etiam Dei pene terreni videri poſtulant. Ut in hac parte ſint conſpicui, in illa turpiſſime ſe dabunt. Semper ergo cum illis verſabimur, qui nos reddere poſſunt meliores, aut quibus nos noſtra opera utiles eſſe poſſimus. Fugiendi ſunt maxime omnes licentioſi coetus, ſpectacula ludicra, convivia laſcivorum, imo et privatae ſocietates, unde labis aliquid nobis aſpergi poſſit. Quid dementius eſt, quam eos quaerere qui corrumpant, cum in illos paſſim incidamus? Et quotuſquiſque eſt, qui egreſſus ad turbas et convivia, non deterior domum redeat, quam domo ſit egreſſus? Animis jamdudum ſtudioſae vitae uſu roboratis, multum eſt periculi ab iſta noſtra ſtultitia, quae in luxu et apparatibus relucet. Quid ergo lucri hic infirmis, et iis qui ne per ſomnium quidem quid virtus ſit viderunt, eſſe poſſit? Verum animus paulo compoſitior, ne tum quidem, cum futiles illas laetitias aſpicit, philo-

philoſophari atque fructum capere intermittet. Perpendet, quam ridiculum ſit vulgus, et quam abjectum, quod tam levibus rebus delectetur: augebit et confirmabit inſtitutum ſuum, et ex ſtultitia aliena ſapientiae fructum colliget. Si tales non ſumus, ut poſtquam curis vitae neceſſariis ſumus feſſi, animum recreare poſſimus formoſae hujus machinae contemplatione, aut evolvendis annalibus; ad ea nos animi laxamenta conferamus, a quibus nihil ſit prorſus mentis integritati periculi. Inambulandum eſt cum prudentibus; loquendum item de rebus utilibus; ſales vacent tum turpitudine, tum offenſione; omnis vitae uſus in animo incluſam moderationem reſipiat. Ex uſu fortaſſe erit id, quod a Seneca in ſcriptis relictum eſt, ut *fingamus ſemper nobis adeſſe virum aliquem gravem, factorum imo et cogitationum inſpectorem, Catonem aliquem, Scipionem, aut Laelium, quo praeſente delinquere erubeſcamus.* Praeſtat tamen, ſi tantum apud te auctoritatis et reverentiae eſt virtuti, ut ipſe te ſine teſte vereare; ipſe te eum efficias, quo ſpectante peccare non audeas. Tum ſane paedagogum dimittas licebit, ut qui jam in ſapientum atque magiſtrorum ordinem ſis cooptatus. Quod ſi populi dux et doctor es, vix licet ut te in angulum abdas, niſi ad tempus, dum ſacris commentationibus das operam. Diſcat non tam ex ſermone, quam ex moribus tuis, vulgus vivere: alioqui, dum te abdis, das aliquam occultae turpitudinis ſignificationem. O felices eos, quorum ea eſt vitae ratio omnis, ut ea lucem non reformidet! Verum illud longe ſplendidius eſt, eam tibi cogitationum puritatem et dignitatem eſ-

ſe perpetuam, ut vel fronte pingi quicquid cogites non recuſes; qui pectoris tui arcanis patefactis admirabilior exiſteres, interim Sileni in morem neglectus. Cum contra alii ſint, qui foris niteant; animus, qui verus homo eſt, ſi acutis et puris luminibus cerneretur, conſpueretur ab omnibus. Salutares ſane ſunt hae, et magnificae, cupiditatis frenandae rationes. Sed ea longe eſt praeſtantiſſima, quam religionis ſuppeditat doctrina; de vitanda turpitudine ob eam praecipue cauſam, ne illi (hoc eſt, Deo) diſpliceamus, a quo uno nobis eſt omne quod placet. Huc pertinent et auctores, qui nobis legendi ſunt. Si de his, qui extra religionem ſunt, ſit ſermo: ſi non tam linguam expolire, quam animum virtute collocupletare cupitis; noſtra quidem ſententia ex Graecis legendi ſunt Plato, Plutarchus, Xenophon; ex Latinis Cicero et Seneca. Naturas rerum arte et methodo tradit Ariſtoteles. Plinius naturae hiſtoriam ſingulatim, et citra illam doctrinae methodum copioſe, conſcripſit. Sed nos morum diſciplinam in praeſentia quaerimus. Ex noſtris veterum ſcripta ſunt anteponenda; ſpirant enim germanum quiddam in Chriſtianiſmo, et erudita quadam ſimplicitate nituntur: methodum tamen ſaepe in iiſdem deſidero. Recentioribus, qui ſunt innumeri, et methodus quaedam eſt, et acuminis ſane plurimum: ſed magna eſt rerum jejunitas, et ſaepiſſime in ludicris et frivolis ambitioſe oſtentant ingenium. Si quando illis ſacra tractantur, nullae ſunt flammae, nullus impetus orationis, quo incendatur ad rerum amorem lector. Ex uno prope Ariſtotele barbare intellecto, omnis illorum com-

commentatio eſt compoſita. Primi aetatis gradus mihi conſumpti ſunt in illorum captiunculis diſcendis: cujus utinam temporis bona pars utriuſque linguae ſtudiis impenſa fuiſſet. Ex ea incuria video me defici eis praeſidiis, quae neceſſaria ſunt illi, qui feliciter in literarum tractatione verſari velit. Placent ſane et illi, qui nunc nobis prae manibus ſunt, Franciſce, Auguſtini de civitate Dei libri. Eraſmus Roterodamus vir fuit feliciſſimi ingenii, tenacis memoriae, et plurimae lectionis, doctiſſimus utriuſque linguae; qui ſi pluſculum philoſophiae imbibiſſet, et paulo accuratior fuiſſet in Romani ſermonis puritate, nihil neque noſtra, neque ſuperiora ſecula vidiſſent, quod ſit cum illius ſcriptis (ut equidem arbitror) conferendum: ſingularis plane eſt, et in civilibus, et in Chriſtanis moribus fingendis artifex. Non ſine voluptate menſes abhinc aliquot vidi hic Lugduni Gulielmum Pagetum, potentiſſimi Anglorum Regis legatum; aetate quidem juvenem, ſed ingenio atque ſapientia maturrimum: fuit ille totus demerſus in lectionem Senecae, eo unice delectabatur: quod certe argumentum eſt ſolidiſſimi judicii; quandoquidem Seneca auctor eſt undecunque graviſſimus. Sed immenſi operis res eſſet de ſingulis quid ſentias pronuntiare. Omnia cum luſtraveris, ex ſolis ſacris literis eſt ſolida lectionis utilitas. Fac tibi eſſe *ſexaginta reginas, octoginta concubinas, et adoleſcentulas quarum non ſit numerus;* hoc eſt, ut tibi ſint omnes et eruditionis et facundiae opes, quas profani ſcriptores ſuppeditant: unica tamen ſacrarum literarum commentatio debet eſſe *columba tua, perfecta tua, unica matri ſuae, et electa*

genitri

genitrici ſuae. Roffenſis Britannus Antiſtes, vir in theologicis ſtudiis doctiſſimus, et, ſi non magiſtratui, illius etiam ſtudioſo (ut pleriſque placere video) contumacius reſtitiſſet, virtutis exemplar abſolutum, mihi, dum Londinum aliquando ex Gallia proficiſcerer, ſe inviſenti confeſſus eſt, *ſe magnopere admirari, quid ſibi vellet ea in re divina providentia, quod Lutherani aliquot longe feliciſſime enarrarent ſacras literas, et tamen eſſent haeretici.* Sed harum rerum judicium vincit facultatis meae vires. Nobis Eccleſiae auctoritas ſemper plurimi eſt facienda. Sed jam tempus eſt, ut cohibeamus hanc evagationem: praeſertim cum de ſacris nobis mox dicendum ſit. Illud nunc videamus, cur omnium maxime nobis ſit a nobiſmetipſis cavendum. In promptu ratio eſt, quod nemo niſi a ſeipſo laedatur. Nihil eſſent incurſiones hoſticae, aut impreſſiones quamlibet graves; niſi intra nos eſſent incluſi hoſtes domeſtici, qui foederibus quibuſdam perpetuis, una cum iis qui nos extrinſecus oppugnant, in noſtram perniciem conjurarunt. Latent in nobis immanes cupiditatum belluae, a quarum feritate, niſi caveamus, continuo diſcerpemur. Etenim in lucis hujus limine nobis hauſta ſunt illa Circes pocula, unde eſt crebra haec ex hominibus in belluas metamorphoſis. Inveniunt ſaepe ad quod exiliant eaedem: quod dum immodice faciunt, ipſo nos exitu ſtrangulant. Tractandae erunt ergo ſingulari arte atque dexteritate. Per itineris cauſam equo inſidentes, labaſcenti ſubinde, et ad tumulos offendere ſolito, frenum majore cura, maxime ſi ſalebroſum ſit iter, adducimus. Militiae, cum vicinus eſt hoſtis; domi

mi item, cum furum imminet fraus, aut latronum manus, excubatur diligentius. Cum rimoſa eſt navis, ſentina purgatur crebrius: et ſemper quo periculum propius adeſt, hoc ſtudioſius providetur, ne quid damni accipiatur. Quid ergo hic nobis faciundum eſt, ubi non ſolum circum, ſed etiam intra nos hoſtes ſunt poſiti, quos neque arcere vallo, neque caſtris exigere detur? Una nobiſcum perpetuo vivunt, ad extremos uſque rogos: prorſus debellare aut exterminare eoſdem, facultatis noſtrae non eſt; placare et mitiores reddere, res eſt non tam ovationis, quam juſti triumphi. Si per teſqua et ſilvas, ubi noxiae laterent ferae, nobis iter faciundum eſſet; quanta nobis cautio eſſet, ne quando praeda fiamus belluis? et cum intra nos concludantur multo truculentiores, non multo ſtudioſius vitabimus? Dant hae quidem intervalla, ſed rara, quod et febres ſolent; et quoad oſtenſa ſit praeda, leves et manſuetae apparent. Socrates in Phaedro dicit, *ſe velle ſeipſum conſiderare, utrum beſtia ſit aliqua Typhone multiplicior, ardentior et furioſior;* (fuit Typhon ex Titanum gente vir in primis crudelis, ex cujus cruore venenatas animantes procreatas eſſe fabulis proditum eſt) *an placatius quiddam et ſimplicius animal, et divinae cujuſdam mitiſque ſortis particeps.* Si vultis haec familiarius explanari, ſic habete. Conſpicis magnam pecuniae vim, variam et pretioſam ſupellectilem, numeroſum ſervitium divitis alicujus: mox ex latebris erumpit cupiditatis Lupus ad praedam. Cernis venuſtae mulieris formam et charites: hic Sus libidinis bellua expergiſcitur, et ad fructum furioſe feſtinat. Affectus tibi videris injuria,

juria, aut damnum ab aliquo accepiſſe: hic Leo ex luſtris exilit, et ſe ad ultionem magno cum rugitu parat. Contrahis cum alio aliquid, in quo fidei integritas ſit praeſtanda: hic fraudulenta Vulpes ſe admiſcebit, et ſui commodi gratia fallaciam facere volet. Eſt in te dos aliqua, aut ſaltem tibi ita videtur, quae non ſit vulgaris vel ingenii vel corporis: hic Pavo caudam ſuam glorioſe admirabitur, et conſpici atque laudari volet. Praeripuit tibi alius lucrum, aut in laude aliqua tibi eſt antepoſitus: hic Canis, qui non fert praedae participem, aut ſolitarius Erithacus, indignabitur. Offeret ſe difficultas, aut periculum aliquod gravius in praeſtando officio: hic Cervus, aut Lepus, terga dare volent. Sunt et aliae plurimae, quae omnes ſolicite ſunt clathris ſepiendae, imo in perpetuis habendae vinculis, niſi malimus ab iiſdem in vinculis haberi. Externi hoſtes non poſſunt nobis noſtra adimere bona. Hae belluae, in animi receſſibus abditae, nos ſapientia, moderatione, et virtutibus ſpoliare non intermittunt. Quiſquis fuit, qui, cum ſolum quendam, neſcio quid ſecum loquentem conſpexiſſet, dixit, *Cave ne cum malo homine colloquaris*, ſapientiſſime et ſenſit, et locutus eſt. Siquidem in hoc bello tum difficili, tum perpetuo, non una eſt inſidiarum aut inſultus ratio. Nam leonum irae graſſantur apertius; et poſito vel temporis beneficio impetu animi, ipſi ad ſpeciem incolumitatis ſponte noſtra redimus. Sed blandientes libidinum et laudum Sirenes, hyaenarum inſtar, quae ſermonem mentientes (dictu mirum) humanum, et paſtorum inter ſtabula nomen ediſcentes, evocatos paſtores eoſ-

eoſdem dilacerant, nos ſub amica quadam ſpecie perpetuo decipiunt; imo, ipſi nos decipimus; neque vel cum nobis ipſis verum dicere ſuſtinemus. Dubitatis? Fidem vobis faciet quotidianus uſus; et ipſa experientia oſtendet perennitatem inſidiarum, quas ipſi nobis ſtruimus: quas tamen, quia cum nobis ipſis perpetuo verſamur, imo propter aſſiduitatem minus verſamur, hoc eſt, noſtri curam negligimus, non ſatis animum advertimus. Hoc quomodo fieri ac deprehendi poſſit, attendite. Phryne Athenienſis, inſigni forma meretrix, Praxitelem ſtatuarium praeſtantiſſimum, (ut Pauſanias tradit) a quo amabatur, rogavit, ut quod eſſet artis et ingenii ſui opus eximium ſibi donaret: aſſenſus eſt ille quidem, et promiſit, optionem atque electionem illi permittens. Verum, quum ſenſiſſet illa Praxitelem diſſimulare quod eſſet eximium; ſubornavit ſervum, qui Praxiteli, dum domo fortaſſe abeſſet, incendium domeſticum nuntiaret, quo tamen non omnia conflagraſſent. Tum Praxiteles tantum percontatus eſt, an Satyrus et Cupido illaeſi ſupereſſent: unde conſtabat, de caeteris illum non magnopere laboraſſe. Mox Phryne occurrens omnia ſalva domi eſſe nuntiavit: et cum ea ratione quod eſſet artificioſiſſimum deprehendiſſet, Cupidinem abſtulit. Sed quorſus haec? dicetis. Cum abripimur citra aliquam certam induſtriam, et permittitur ſibi mens in cogitationes aliquas ire; ſuperveniamus nobiſmetipſis incautis, et expendamus quibus rebus volutandis et verſandis animus oblectetur. Imo ſi ſcire cupis, quam laute aut frugaliter ſe habeat aliquis tibi vicinus in victu, oportet ut citra invitationem aliquam

ino-

inopinato ſupervenias diſcumbenti. Et quid tandem inveniemus? Nos videlicet ſemper in eis verſari cogitationibus, quae vel ad lucrum, vel ad gloriam, vel voluptatem aliquam denique noſtram pertineat: quae quidem ut non ſit proprie noſtra, ſatis " eſt quod nos attingat utcunque. Ille me praedi- " cat, jam magnus apparebo. Ex hac vel illa re no- " men meum perveniet ad Principem. Illa, cujus " gratiam exambio, ſi hoc mihi contingat, me " magnifaciet. Hujus rei ubi potiens ero, jucun- " de vivam. Inter homines mei ordinis hac ra- " tione primus habebor. Scotorum delector lau- " dibus, vituperatio offendit. Si Chriſtiani junc- " tis viribus, duos aut tres conficiant exercitus; " quorum unus per Pannonios ad Byzantium con- " tendat omnium fortiſſimus; alius navalis Ioni- " um teneat mare, et Boſporum Thracium ob- " ſideat; tertius in Syriam exponatur, aut Cili- " ciam. O utinam Caeſar in coelum, aut ad in- " feros abeat!" Quid ea intereſt? aies. Et Scotus ſum ipſe, et qualiſcunque Chriſtianus; qui niſi eſſem, aliter inſtitueretur cogitatio. Et mihi veriſimile fit, alios conſimilibus pulſari cogitationibus. Uſque adeo vigilat haec noſtra φιλαυτία perpetuo, ut ſeſe, quo jure qua injuria, magnificet et extendat ſolicita. Quomodo ergo hic tuebimur noſmetipſos a nobiſmetipſis? Excubet memoria, prompte ſe exerat ratio, et ſibi dicat unuſquiſque; " O quanto formoſior eſſes, ſi tibi formo- " ſus non viderere! Non te prae pudore abſcon- " dis, qui hominibus, cum nihil ſis, videri ali- " quid poſtulas? Quam bella res eſt ſtolidis aut " meretricibus placere cupere? Quid ſuperbis,

" ter-

" terra et cinis? Ad quam fragiles ſpes confu-
" gias, cum opes vel hominum gratiam laborioſe
" captas, non vides? *Dominum Deum tuum adora-*
" *bis, et illi ſoli ſervies.*" Hujuſmodi ſane ſententiis comprimenda eſt atque mitiganda belluarum noſtrarum feritas. Verum ſubito ſimul atque intermiſerit ratio hujuſmodi caſtigationibus uti, ſtatim redeunt ad ingenium belluae; et

Naturam expellas (ut ille ait) *furca*, *tamen uſque recurret:*

priſtinus revenit cogitationum, pene velim nolim, modus: et ſemper libentius privatas cupiditates in animo verſo, quam ea quae ad verum decus, vel immortalis Dei gloriam pertineant. Debet ergo unuſquiſque noſtrum ſibi ipſi perennes denuntiare inimicitias, et ſecum bellum gerere ſempiternum, ſe ipſum perpetuo excutere, excitare, admonere. Nam

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Et fortaſſe hoc eſt odium animae noſtrae, ſi eam ſalvam cupimus, quod in Evangelio praecipitur. Ad haec praecipue videndum eſt, quae in nobis ferarum omnium maxime ſit indomita; ad eam cicurandam potiſſimum eſt incumbendum, ſive leo ea ſit, ſive lupus, ſive denique ſus: hoc eſt, ſagaciſſime odorandum eſt, quo maxime ſe efferat ingenii pravitas; et in ea parte confirmanda (quod et urbium propugnatores ſolent in locis infirmioribus) maxime eſt elaborandum:

dum: *in noſmetipſos* (ut inquit Seneca) *inquiramus, nunc accuſatoris, nunc judicis, nunc deprecatoris denique fungamur partibus, nec noſmetipſos ſubinde offendere vereamur.*

Demet. Et aliis adſunt ſuae ferae, quemadmodum et noſtrae nobis.

Flor. Quid tum? duplicatur quidem ea ratione bellum, non extinguitur. Et, quanquam ſemper nobis plus eſt a noſtris, quam alienis feris timendum; bella tamen et tumultus inde oriuntur, dum ad communem, vel opum, vel honorum, vel amorum denique praedam, magnis concertationibus atque odiis, a ſingulis inhiatur. Et tu ergo ipſe fera es; et quicunque tibi circumfuſi ſunt, etiam ut ſapientiſſimi appareant, feras in pectore geſtant. Videas (fateor) multos, qui prorſus cicures videantur; quorum ſermo ſuaviſſimus, aſpectus amicus, et qui tibi ſe omnia obſecuturos polliceantur: ſed iſtud tantiſper durabit, dum non oſtenſa erit praeda, ad quam eos ſua potiſſimum fera proripiat. Dic eſſe ſordidos, et parce facere ſumptum: nihil dicent; nam fortaſſe non adeo benignitatis laude delectantur. Dic eſſe ignobiles, aut ſtolidos, vel quod ab illis eſt ſerio adamatum laedere vel abripere coneris: mox ſe commonſtrabit illa vel iracundiae, vel arrogantiae, aut alicujus alterius generis fera. Non domita eſt illa quidem; ſed coercita paulisper paulo metu, aut pudore; interea dum intereſſe viſum non eſt, prodiret, necne. Nam et ſerpentes peſtiferae, dum frigore rigent, tuto tractantur: ſic

non

non ſemper nos, ſed cum adſunt inſtrumenta, et eſt occaſio, nequitiam noſtram explicamus. Alium videas virginalem quandam verecundiam praeferentem; ſed quae mox ſit in laſciviam abitura, ſi remotis teſtibus libidinis potiundae fiat copia. Alius modeſte de ſe loquetur, et gloriae ſtudium etiam editis voluminibus deteſtabitur; in hoc tamen fortaſſe ſcriptis, ut quam repudiare videtur claritatem acquirat. Non ergo credendum eſt frontibus: multiforme animal homo eſt, fuci plenum: frontis et animi, linguae et pectoris, rara eſt concordia. Quapropter ex Ariſtotelis ſententia pernicioſſimum animantium eſt improbus homo, eo quod rationis atque ingenii armis ſit inſtructus, quibus facile abutitur ad potiundum ea, quae ſcelerate concupiſcit. Ergo non tam cum in turba ſumus, quam cum ſoli, ipſi nobis ſemper diligentiſſime obſervandi ſumus, ne nos ferarum iſtarum neceſſarius convictus, ad tranquillitatis ſedes contendentes, in ipſo itinere crudeliter dilaniatos detineat, aut remoretur.

Hujuſmodi (ut opinior) eſt inſcriptionum intelligentia; ex qua deprehendi, philoſophum illum, quem de principio Democriticae arbitrabar fuiſſe factionis, eruditius fuiſſe inſtitutum, et ad Socraticam deflexiſſe doctrinam. Ab eo rerum curſu mihi viſus ſum ſubire templum ipſum, in quo inerat incredibilis rerum tum ſpecies, tum ſuavitas. Triumphum ex fortuna egeram; mortis ademtus erat metus; pavi me ipſum contemplatione naturae; ſecurus aſpexi mortalium vulgus, quod ad eas aedes, in quas ipſe jam ingreſſus eram, per

ſentes, per anfractus, et per devia quaedam loca, quae tamen prima fronte amoena videbantur et plana, fruſtra contenderet. Et quem non ad felicem illam tranquillitatis arcem perducat flagrans et conſtans perficiundi ſui ſtudium? in eo maxime, qui intelligit, quae ſint ſua, et vera bona; omnemque hominis dignitatem eſſe ex animo: qui intrinſecus quaerit requiem: qui non pendet ex opinione vulgi: qui ſponte praeſtat, quod neceſſario eſt, faciundum: quem non poenitet ſuae ſortis in hac rerum excellentia: et qui denique tam cautus eſt in vitae uſu, ut a nemine diligentius quam a ſe ipſo (cum nemo niſi a ſe ipſo laedatur) caveat. Verum, in tanta bonorum ubertate atque copia, ut ingenue quod verum eſt fatear, deſiderare tandem aliquid coepi; atque ſubvereri, ne non eſſet ille verus et ſummus perfectae tranquillitatis locus.

FRANC. In tanta bonorum Iliade, quod aiunt, quid fuit ulterius exſpectandum? Vide ne a praeceptis illis, quae columnis inſcripta erant, aberraveris; nondumque plene cupiditates frenare didiceris, et tua ipſius culpa ex tranquillo in ſcopulum ſis delatus. Num te ſenex ille in fraudem induxit, aut falſa aliqua ſpe complevit? Vide ne ingratus ſis adverſus eum, cujus ope ex fluctibus in portum es convectus. Ejus doctrinam ſi ut mancam traduxeris, omnes philoſophorum familiae tibi litem intendent.

FLOR. Seni me plurimum debere fateor: quandoquidem nulli adeo felix contingit natura, ut

ut citra ſapientiae praecepta ad tranquillitatem perveniat. Sed quae fuerit fluctuationis meae cauſa vobis propediem explicabo. Vos quaeſo, ut adhuc attente feciſtis, ita quae reliqua ſunt audiatis. Senex, ubi inductus eram, aliorſum digredi mihi velle viſus eſt: cum ego apprehenſum per humanitatem denuo obſecro, ut qui ſupereſſent in animo ſcrupos ſtirpitus eximeret; et beneficium, quod magnum me ab eodem accepiſſe confitebar, acceſſione quadam cumularet. Tum ille, quid vellem exponere juſſit. Ipſe continuo hunc in modum ſum verba exorſus: " Tua in me merita " ingentia eſſe, venerande ſenex, ut negare non " poſſum, ita libenter agnoſco. Verum cum in" genui animi ſit, ei, cui multum debeas, plurimum " etiam velle debere, non dubitavi in praeſentia " paulo fortaſſe confidentius te alio divertentem " remorari; ut beneficium hoc magnum, cujus " fundamenta jam per te jacta ſunt, tua etiam ope" ra ſit abſolutum. Multa ſane eſt in hoc templo " tranquillitatis ſpecies: ſed animum meum habent " haeſitationes quaedam, de rebus certe non levi" bus; quae niſi tollantur, animo tranquille con" quieſcere non poſſum. Voluntatem tibi non de" eſſe ad praeſtandum quod volo, ſatis mihi decla" ravit, jam uſu ipſo mihi compertus humanita" tis tuae candor. Facultatem autem ut non mi" norem eſſe credam, efficit iſta quam ſuſtines ſa" pientiae profeſſio, quae hoc ſuſcipere ac polli" ceri videtur, ut veritatis notionem omnibus eam " ſtudioſe quaerentibus communicet. Haeſitatio" nes autem hujuſmodi ſunt: non inficior i[illegible] ar" gumentationum tuarum vi hucuſque me permo-

"tum eſſe, ut valde in eam ſententiam propen-
"deam, quae procurationem rerum omnium Deo
"tribuit, atque animorum ſtatuit immortalitatem.
"Sed, quia pene tota doctrinae ſtructura his niti-
"tur fundamentis, cupiunt plenius quiddam au-
"res meae. Nam collectiones tuae non adeo lu-
"cidae viſae ſunt, ut nihil contra dici poſſit.
"Porro, ad tranquillitatem opus omnino mihi vi-
"detur certiſſima quaedam rerum tum ſpes, tum
"agnitio. Cur tantam ingenii noſtri caliginem eſ-
"ſe voluit Deus, ut nobis clare videri non poſſit,
"quid de nobis poſt brevem hanc vitam futurum
"ſit? ſuperfuturuſne ſit in aeternum aevum, aut
"mox interiturus animus? Et, ſi ſupereſt, quo erit
"illi commigrandum, et quomodo ſit habendus?
"Multo enim magis noſtra intereſſe videtur, harum
"nos rerum animo et ſcientia compotes eſſe, quam
"vel diſcurſus ſiderum, vel naturae vires, vel diſ-
"ciplinarum demonſtrationes ad unguem callere.
"Certe nuda illa virtutis dignitas, ut ſit egregia,
"ad tranquillitatem tamen conficiundam per ſe non
"ſatis efficax et idonea videtur. Niſi enim adſit
"commentatio illa naturae, proprium hominis
"munus, ſemper manca eſt noſtra conditio, et
"deficitur praecipua ſui parte. Et quidem virtus
"una cum doloribus conſiſtere poteſt; cogitatio-
"nes vero ſapientiae non item. Nunc vero, cum
"vita haec variis ſit doloribus et aerumnis obno-
"xia, quibus a nobili illa commentandi ratione
"avocamur, quamdiu hic vivitur; ſi anima ſemel
"efflata non ſupereſt, ludibrio a natura haberi vi-
"demur, qui in eum conditi ſumus finem, quem
"nunquam ſimus aſſecuturi. Stoici fortaſſe hic
"me

"me mollem aut iniquum dicent; qui non juxta "habeam non fuiſſe, et non fore; et qui non ad "me ſolum inſtans quoddam interjectum punctum "pertinere arbitrer: contendent, hoc eſſe mortalem immortalium conditionem poſtulare, cupere aliquem, ut quacunque ſui parte ſit ſuperſtes. "Flere prohibebunt, atque ita demum animo cadentem fulcient;

" *Deſine fata deum flecti ſperare precando.*

"O macram conſolationem! A natura ſcilicet ad "tumultus duntaxat hoſce, et turpitudines atque "iniquitates conſtructi ſumus! Sane ſi quis eſt ea "animi aequitate, vel duritia potius praeditus, "ut eodem loco habeat non fore et non fuiſſe, "nec ejus oculi aeternitatis viriditate rapiantur, "nec quicquam hiſce rerum tenebris offendantur; "gaudeat ille ſuo illo bono, me certe rivalem non "eſt habiturus. Cur id faciam, ſi requiris: ſi aliud "non occurret quod afferam, quanquam plurima "non deſunt, cum Socrate dicam, ἐναντιοῦται τὸ "δαιμόνιον. Sed jam faciamus conſtare, animos eſſe ſempiternos; et rem eſſe extra omnem controverſiam. Hic protinus ſe offert alia ſollicitudo non mediocris: omnino veriſimile eſt ſupplicium ſumendum de iis, qui officium, dum in "terra agerent, non coluerunt. Et jam quotuſquiſque eſt, qui vel Deo debitam gratiam referre ſtuduerit, vel qui quam oportuit humanitatem aliis praeſtiterit? Imo quis non eſt, ſi totus "intus et in cute (quod aiunt) conſpici poſſit, qui "non inveniatur inquinatiſſimus, et qui non omnia

"ſit commeritus extrema?" Tum ſenex, qui mihi longiorem viſus eſt refugere explicationem, haec pauca reſpondit: "Querela tua duas mihi "partes complecti viſa eſt: altera pertinet ad ca-"ligines, et nutantem hanc rerum, quae ſunt ani-"ma et, procuratione divina dignae cognitionem: "altera petit certam et indubitatam quandam ſalu-"tis ſpem, ubi haec vita erit exacta. Nam ſine "illuſtri tum notitia, tum ſpe tantarum rerum, "animi quietem conſtare non poſſe, nec injuria, "credis. Ingenii humani vigor tantus non eſt, "ut quamdiu in corpore habitat, exacte tenere "poſſit animae aut ſui ipſius agnitionem. Eſt "enim fortaſſe maximum orbis miraculum homo; "dum tam arcte duae res, quarum altera ſit "digniſſima, altera abjectiſſima, copulantur. "Quare nihil mirum eſt, ſi animus corporis te-"nebris ſeptus, ſe clare non aſpiciat. Hoc ſi in-"dignaris, indignere te eſſe hominem. Voluit "Deus, eſſe tale animantis genus, quod multa "ſciret liquido, quod multa prorſus ignoraret, "et quod multa opinione duntaxat et conjectura "aſſequeretur. Nec defuerunt noſtri ordinis ho-"mines, qui multa ſint de manium ſtatu et rebus "locuti: ſed quia argumentationes illorum non "tam ſunt illuſtres et firmae, quam tu exſpectas, "facile praeteribo. Itaque hoc tibi certe aſſen-"tior, morbi ac defectus aliquid ineſſe in natura. "Philoſophia remedii aliquid ſuppeditat; et huc "te, quo non ita multi veniunt, perduxit: quo "nihil ab eadem majus aut uberius praeſtari pot-"eſt. Hoc ſi tibi ſatis eſſe non videtur, excuſa-"tum me habe rogo, boni quod praeſtiti conſule,

"nec

" nec a me ea requiras, quorum ſum inſolens at-
" que ignarus: quandoquidem et philoſophi ho-
" mines ſunt. " Hic digreſſo ſene, ſtatim illud mentem ſubiit, Deus ſcientiarum dominus eſt.

Cap. XVIII. *Ædes Chriſtianae Religionis.*
Explicatio inſcriptionum. Somnii finis.

Ad coelum itaque ſubito, (cum jam naturae auxilium nullum amplius ſperaretur) et oculos et animum converti, Deumque immortalem venerabundus ſupplexque precatus ſum, ut, quae ad placidam quietem ducit, viam oſtenderet. Sed, ut verius dicam, ille me prior exſuſcitavit, ut ad ſe confugerem: imo priuſquam confugere ſtatuiſſem, θεὸς (quod aiunt) ἀπὸ μηχανῆς opem tulit. Mox igitur alter editior collis ſe oſtendit, in quo poſita erat aedes, quae infinitis, quod fieri antea poſſe non credideram, partibus prioris ſpeciem atque magnificentiam omnem ſuperavit. Tanta ſane fuit ſpectaculi commutatio, ut ipſe mihi, quamvis priora illuſtriſſima eſſent, viſus ſim ex ſubluſtri quodam vel potius tenebroſo ſpecu, ad diem et ſplendidiſſimi Solis aſpectum eductus. Ædis ſpeciem fruſtra vobis explicare coner. Nulla tanta eſt humana facundia, quae queat dicendo rerum exaequare dignitatem. Ad eam ducebat anguſtus quidam callis; quem tamen nemo terebat praeter eos, quos numen ipſum ad id peculiariter delegiſſet. Ubi proxime a foribus aberam, mihi conſpectus eſt vir, in cujus vultu coeleſtis quaedam majeſtas elucebat. Coepi ipſe, rerum quodam-

modo magnitudine perterritus, retrocedere. Verum ille, non exſpectata ulla mea vel ſalute vel quaeſtione, ut bono eſſem animo juſſit, omniaque ſibi et viſa et audita dixit, quae mihi ad inferius illud templum contigiſſent. " Et philoſopho, " inquit, illi tuo recte dictum eſt, Voluiſſe Deum " eſſe quoddam animantis genus, quod multa ignoraret, quod multa ſciret, quod multa item opinaretur. Sed addendum fuit, quaedam ignota ejus generis eſſe, ut, quamvis ſciri poſſint, " et noſtra interſit eadem ſcire, id tamen fieri non " poſſit naturalibus ingenii viribus; ſed opus eſſe " peculiari coeleſtis cujuſdam eruditionis luce. " Hanc autem partem, tam neceſſariam cognitu, " naturae occultam voluit eſſe Deus, ut ne nos " aliquando tumore aliquo mentis humanae modeſtiae fines egrederemur. Si dos aliqua homini ſit a natura, propter quam ſibi placere poſſet, ea eſt ingenii praeſtantia: nam reliqua ſunt " cum belluis communia. Jam, cum homo uſque " adeo ſuperbiat in his ingenii tenebris poſitus; " quid faceret, ſi illi naturae arcana omnia comperta eſſent, et ratione comprehenſa? Multum " ſane omnino ineſt periculi ab cognitionis praeſtantia; niſi ea adeo praeſtans ſit, ut nulla prorſus ex parte, neque cum generatim, neque " cum de ſingulis eſt faciundum judicium, fallatur: quod ſane nemini, citra auxilium aliquod " Dei non vulgare, contingit. Voluit itaque " Deus, non ignarus quam proni ſimus in neglectum ſui, poſtquam nobis cernere dederat, multum ineſſe defectus in natura noſtra; non tam

" no-

" nobis vires deeſſe ad ſanitatis ſalutiſque viam " tenendam, quam viae ipſius agnitionem eſſe " ignotam: ut tandem uſu ipſo atque periculo in- " telligamus, illum, ut eſt, eſſe omnia; nos au- " tem, ſi cum illo conferamur, nihil. Si cui " haec viae ſalutis agnitio contingit, illius eſt bene- " ficium: ſin deſtituimur, noſtrum eſt vitium, non " Dei. Nam in rectum ipſum obliquitas nulla cadit. " Age vero querelas omitte; certam jamjam " rerum omnium, quae ad ſalutem atque tranquil- " litatem adipiſcendam ſunt neceſſariae, et agni- " tionem et ſpem accepturus." Hujus oratione adeo me incitatum ſenſi, ut tum primum mihi germanum tranquillitatis inveniendae magiſtrum et ducem contigiſſe ſim arbitratus. Juſſit ille ut legerem, quae ſupra fores erat, inſcriptionem.

ΜΑΚΑΡΙΟΙ ΟΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ
ΕΝ ΤΩ ΟΙΚΩ ΣΟΥ.

id eſt,

Beati qui habitant in domo tua.

" Hic, inquit, eſt locus ille quem quaeris. De " hoc nobili in primis Vati dictum eſt, *Sedebit* " *populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fi-* " *duciae, in requie opulenta.* Illuſtris ille et ſacer " Hieroſolymorum Rex maluit in hiſce diem unum " agere, quam in iſta veſtra obſcura ſane regio- " ne annorum myriadas. Maluit hic abjectus " eſſe, quam inter improbos, cujuſmodi ſunt om- " nes homines, regni faſtigium tenere. Et ut,

" quod

" quod illic tibi per longas ambages, et diu quae-
" renti non contigit, hic compendio aſſequare,
" duabus tantum opus eſt praeceptionibus, quas
" vides duabus illis in ipſo aedis ingreſſu poſitis
" columnis inſcriptas." Erat illarum prior,

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. Poſterior,
ΓΝΩΘΙ ΤΟΝ ΘΕΟΝ.

Ex his enim continuo et neceſſarie omnem officii et pietatis fructum, imo felicitatem perfectam, effluere indubitanter conſtituebat. Senſit ille interea me aliquid animo ſolicite verſare, juſſitque ut intrepide quod cogitarem eloquerer. Tum ego, illius hortatu animatus, quid ſibi vellet illud NOSCE TE IPSUM, quaeſivi: quandoquidem omnes illae priorum columnarum praeceptiones illud ipſum complecti videbantur, " Haec, in-
" quit ille, agnitio ſui, quae hic praecipitur, in-
" teriorem claudit intelligentiam, quam ſit ea
" quam jampridem audiſti. Diverſae ſunt iſtae,
" plurimumque diſſidentes philoſophiae. Illa na-
" turae inſtitutio tantum jubet, ut externas for-
" tunae acceſſiones, et corporis bona parvi faci-
" as; teque totum philoſophiae, quae eruditione
" et virtutibus te ſit expolitura, permittas. Et
" ſane non prorſus degener eſt illa inſtitutionis
" forma. Sed haec noſtra diſciplina altius quid-
" dam continet.

" (*Senſibus haec imis, res eſt non parva, reponas.*)

" Hic

“ Hic praecipitur, ut non ſolum agnoſcas omne
“ tuum bonum eſſe ex Deo uno, (ne nos credas
“ pervulgata decantare) ſed etiam tantam eſſe na-
“ turae tuae infirmitatem et corruptionem, ut
“ iſta ipſa officia tua ſint inofficioſa; iſta ipſa tua
“ juſtitia quodammodo injuſta; iſtae ipſae virtu-
“ tes vitioſae: in ſumma, quicquid ex te ipſo pro-
“ ficiſcitur, quantumcunque vel tibi vel vulgo
“ videatur ſpecioſum, non eſſe ejus generis, ut
“ te in judicio tueri poſſit, ſi tecum ſummo jure
“ Deus agat. Hinc eſt, quod *juſtitias noſtras omnes*
“ Eſaias vates praeclariſſimus *ſimiles eſſe* dixit *panno*
“ *mulieris menſtrualis*. Hinc mihi toties inculca-
“ tum eſt, *non inveniri in carne noſtra bonum*; to-
“ tamque hanc naturae noſtrae maſſam adeo eſſe
“ vitiatam, ut, citra peculiare numinis auxilium,
“ nihil proferre valeat, quod Deus munere ali-
“ quo aeterno dignum judicet. Et quoniam, *niſi*
“ *ſincerum ſit vas*, *quodcunque infunditur aceſcit*; fit ut
“ etiam affectus pii, et actiones honeſtae, ad quas
“ a divini ſpiritus impulſu (me facio, ac ſi adhuc
“ vobiſcum conviverem) excitamur, vel fraudis
“ vel tarditatis aliquid accipiant. Perverſus enim
“ noſtri amor, quem tam alte imbibimus, a nobis
“ fere perpetuo extorquet, ut quicquid gerimus,
“ referamus ad aliquam utilitatem aut laudem
“ noſtram, et Deum debita ſibi gloria fraudemus.
“ Efficit idem, ut in eo, qui unus, et ſine modo
“ complectendus, imo deperreundus eſt amando,
“ inerti quodam languore obtorpeſcamus. Quo-
“ tuſquiſque noſtrum eſt, qui eam praeſtet in of-
“ ficiis alacritatem, quam ſaepe in profanis cu-
“ piditatibus perſequendis oſtendimus? Jure ita-
que

" que ſingulari illi tolerantiae exemplo Jobo dictum eſt, *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. Ne coeli quidem ſunt mundi in conſpectu tuo: quanto minus nos ſcelerati homunciones, qui habitamus domos luteas? Si habuero quippiam juſti, et hic quoque judicem veniam deprecabor.* Nullum luculentius adverſus me dici poteſt teſtimonium, quam ſi ipſe coner me ipſum innocentem oſtendere. Non poteſt non eſſe nocens, qui ſe innocentem, vel leviter profiteatur, aut cogitet. Ergo quocunque te vertas, intelligis te nihil eſſe, niſi ſordes, vitium, infirmitatem, ſcelus, adeoque omni odio dignum: omne auxilium, omnem ſalutem atque dignitatem a Deo exſpectandam: *te eſſe figmentum, illum eſſe figulum, qui quidem vas aliud* (ne ſuperbe de aeternitatis praejudiciis queramur) *in honorem, aliud in contumeliam apparat.*" Quae equidem dum audio, Paulum illum Tarſenſem cogito, Chriſtianae philoſophiae longe haud dubie et ſcientiſſimum interpretem, et fortiſſimum vindicem.

Franc. Nunc, ut apparet, *incedis per ignes ſuppoſitos cineri doloſo:* tractas argumentum litigioſum, et hac noſtra tempeſtate mirifice controverſum. Nam dum ita extenuas noſtras vires, et officiorum quandam ſtatuis impuritatem, eorum eſſe ſententiae videris, qui actionibus noſtris, etiam bonis, meriti rationem adimunt. Vide ſis igitur tu, qui nobis ſemper reverendam ſuades Eccleſiae auctoritatem, quam ſint iſtaec conſentanea: quod quidem dico, non ignarus religionis atque integritatis tuae: ſed quod, ſi quando tale aliquid in vulgus

gus edas, exiſtere poſſint invidi et malevoli homines, omnia in pejorem partem rapere parati. Adhibenda igitur huc in praeſentia apparet non ſolum cura acris, ſed etiam illa deprecandae impietatis religioſa cautio.

FLOR. Gratiam tibi habeo pro iſto admonitionis officio. Sed quid opus eſt tam ſolicita cautione; cum ipſe ea duntaxat tractem, quae in communi religionis agnitione poſita videantur, et quae ſcire etiam cerdonum interſit? Verſor item in cauſa cum ea moderatione, et Eccleſiaſticae auctoritatis reverentia, ut neminem, niſi vel impium vel ſtolidum, ſermo meus offendere poſſit. Quod ſi improbi aut iuvidi lectoris tanta habenda eſt ratio, nihil unquam neque dicendum, neque ſcribendum erit; quandoquidem ingenioſae improbitati nunquam deſit calumniandi anſa. Verum (ut ad illud, quod coepimus, redeamus) ſi quis orationis noſtrae vim expendat, inveniet nos exaugendi, non minuendi in honeſtis actionibus meriti, rationem tradere. Fieri enim poteſt, ut divina bonitas, quia divina, hoc eſt, immenſa eſt, etiam imperfecta illa noſtra officia, cujuſmodi eſſe omnia dixi, boni conſulat; meriti loco habeat, et laude ac praemio digna judicet. Verum mihi aegre licere arbitror, ſtatuere, aliquod meum ulla in re meritum; quandoquidem ab eo, cujus imperium detrectare nefas eſt, jubemur, *cum fecerimus omnia, quae officii noſtri ſunt, fateri ſervos eſſe inutiles.* Neque profecto ille voluit, ut aliud in lingua, aliud in animo haberemus; et fucata quadam uteremur modeſtia. Deponenda eſt ergo, quae ex operibus aut rebus no-

noſtris geſtis, quamlibet praeclaris, naſcitur fiducia: nos totos in Deum conjiciamus: ille nobis ſit ſacra anchora; una illius bonitate atque miſericordia nitamur: nos totos in illius fidem ac clientelam conferamus: neque ſic ſalutis noſtrae laudem dividamus, ut partem alteram Deo permittamus, alteram nobis vindicemus. Quod cum nefarie fiat; quid ſentiendum eſt de iis, qui merita ſua jactare atque venditare, tanquam ipſis ſupereſſent, non verecundantur? Quocirca, non eſt opus nos eſſe ſolicitos de pactis aut ſyngraphis producendis, quibus ille obſtrictus ſit, labores noſtros propter ſe ſuſceptos praemio afficere. Neque enim memoria illi adeo infirma eſt, ut periculum ſit ne non recordetur; neque tam avara voluntas, ut ſudores noſtros defraudare velit. Omittamus timorem; manebit promiſſis, non deſeret conſuetudinem ſuam: hoc eſt, ſi pie aliquid et grate fecimus, majoribus non modo quam nos digni ſimus, ſed etiam quam excogitare poſſimus, praemiis eſt collocupletaturus. Non inficior, licere mercedis ſpe impelli ad perferendos labores: nemo tamen, ut arbitror, paulo generoſius inſtitutus non gratuitos eſt mercenariis antepoſiturus; pluriſque facturus illud officium, quod ad nullum aſpexit commodum, quam illud quod voluptate ſit mutuatum, aut mercede aliqua evocatum. Satius igitur eſt nos ad nullum aliud confugere pactum, quam quod ille dudum ſit pollicitus; felicitatem iis, qui ſuum filium per fidem illam, ex qua caritatis officia manant, amplecterentur. At iſtuc non eſt ſuis meritis, ſed Chriſto niti. Extenuemus ergo ſemper laudes noſtras; abjiciamus

eam,

eam quae ex nobis eſt, fiduciam: fateamur nos ſolo odio dignos; deberi tamen ſalutem, eo quod adhaereſcamus Chriſto. Et ſane (ut res paucis abſolvatur) non alia eſt praeſtantior bene merendi ratio, quam ſi ſemper, etiam poſt quam praeſtitimus quantum debuimus, quod tamen haud ſcio an unquam contingat, fateamur, nos aut nihil prorſus, aut certe flagella mereri. Atque utinam non ita ſe res haberet. Hac animi modeſtia ille unice delectatur. Sed video me inſtitutae diſputationis non bene ſervare decorum; dum quae poſt dicenda fuerant, ante tempus fortaſſe uſurpo. Sed jactura haec levis eſt. Jam redeamus ad Paulum; qui *omnia concluſa* dicit *et conſtricta peccatis*, *omnia foedata turpitudinibus*, *quo illuſtrior ſit Dei bonitatis ac miſericordiae gloria;* qui in nos, ultima omnia commeritos, tot tantaque conferre ſolet. Jam patefacta eſt nobis infirmitas noſtra; quaerenda eſt ſanatio: tenemns quaedam ſalutis principia, dum nobis agnitus eſt noſter morbus. Confugiendum eſt aliquo, unde auxilium ſit infirmitati noſtrae. Quo vero confugiendum foret, monſtravit altera illa columna, quae erat de AGNOSCENDO DEO. Eſt enim ille rerum omnium et parens et ſalus. Verum, cum neque illum per nos commode cognoſcere poſſemus; et ut cognitus eſſet, tanta erat indignitas noſtra, ut non modo accedentes non admitti, ſed ad cuſtodias ſempiternas, peſſimis (ut meriti eramus) perdendi exemplis, abripi debueramus; opus fuit et itineris dux, et gratioſus precator aliquis, qui ad offenſum rerum et principem et parentem ablegaretur; cujus ductu atque auſpiciis res noſtra

omnis conſtituenda foret. Superius ergo in arcu, qui columnas jungebat, divini cujuſdam juvenis mihi imago conſpecta eſt; cujus caput corona ſpinea contegebat, latus, manus et pedes perfoſſionum geſtabant cicatrices, totum denique corpus cruoris notis apparebat reſperſum: ſuperne capiti imminebat verſus hic tanquam coelo veniens,

ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ Ο ΥΙΟΣ ΜΟΥ Ο ΑΓΑΠΗΤΟΣ, ΕΝ Ω ΕΥΔΟΚΗΣΑ: ΑΥΤΟΥ ΑΚΟΥΕΤΕ.

Quod eſt,

Hic est filius meus ille dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.

Inferius ad pedes hic alter erat,

ΕΓΩ ΕΙΜΙ Η ΟΔΟΣ, ΚΑΙ Η ΑΛΗΘΕΙΑ, ΚΑΙ Η ΖΩΗ.

Quod eſt,

Ego sum via, veritas, et vita.

Statim mihi agnitus eſt dulcis ille noſtri generis Servator Jesus. Tum Paulus rurſus orationem hunc prope in modum eſt exorſus: "Hic eſt æterni illius atque omnipotentis Regis filius; in cujus Evangelio propagando omne meum ſtu-

« dium

" dium, poſtquam ad id munus delectus fueram,
" poſitum erat. Deformatur hic plurimum ab
" ejus veſtrae aetatis praeconibus, aut eis qui
" tales haberi poſtulant: eoque fit, ut minus ame-
" tur, plurimumque ſit in orbem et errorum et
" calamitatum invectum. Hunc quia philoſophi tui
" ignorarunt, *viam pacis non cognoverunt; non fuit*
" *timor Dei ante oculos eorum. In hoc uno ſalus eſt*
" *omni credenti. Per hunc eſt nobis aditus familiaris*
" *ad patrem. Hic eſt conciliator ille, qui nos in gra-*
" *tiam cum patre reduxit. Hic eſt pax noſtra, qui fe-*
" *cit utraque unum. Hunc diſciplinam pacis noſtrae* dixit
" praeclarus ille vates Eſaias. *Hujus livore ſanati*
" *ſumus.* Hic eſt et prora et puppis ſalutis no-
" ſtrae. Hic eſt, qui juſſit, *ne extimeſceremus*
" *eos, qui hoc corpus occidunt, et quo nocere poſſint*
" *ulterius non habent. Hic primus extulit immorta-*
" *litatis vexillum*, docuit poſt breves has aerumnas
" eſſe nobis locum in coelo, ubi beati ſempiterno
" aevo fruamur: depulit item terrores et carni-
" ficiuam conſcientiarum, inde venientes, quod
" ſcelerati ſimus, et non praeſtitimus quod fuit
" muneris noſtri. Nam propter hunc certo no-
" bis condonantur ſcelera, et ad aeternas illas
" ſedes ſublevamur; modo illi flagrans illa fides nos
" conjungat. *Hic* ergo *eſt ille theſaurus et ſapientiae*
" *et bonitatis divinae:* hunc tibi jam oſtendi: hunc
" amplectere, hoc fruere: hic eſt certiſſima et
" compendiaria ad tranquillitatem ſempiternam
" via: hanc tu, ſi ſapis, perpetuo inſiſte. Ve-
" nient propediem infinita illa futurae vitae gau-
" dia: interea certiſſima ſpe completus, quae
" ventura ſunt ſumma animi cum hilaritate con-

„ ſtanter exſpecta; nihil quod ſit in hoc orbe, „ vel in altero, minarum reformidans. Imo *ſi* „ *fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae.*" Haec ubi dixerat introrſus ſe in glorioſam illam aedem abdidit. Ego vero tum ſomno ſolutus ſum quidem; attamen in tantarum rerum cogitatione habitans aliquamdiu ſubſtiti, vix certe animi prae gaudio compos: Deoque tandem immortali, qui mihi Christum ſuum oſtendere dignatus eſt, gratias pro viribus egi.

Cap. XIX. *De Veritate Religionis Chriſtianae.*

Franc. Longe praeclariſſima ſunt iſta, quae de Chriſto praedicantur. Sed quoniam tranquillitatis ratio potiſſimum pendere videtur ex certi ratione; per nobis gratum facies, ſi fuſius explicaveris ea, quae ad nos certos reddendos pertinent. Nemini dubium eſſe poteſt, vera eſſe, quae Deus, hoc eſt veritas ipſa, docet. Sed quomodo mihi poterit certo conſtare, Chriſti doctrinam eſſe ex Deo? Non enim omnibus ſatisfacit, illud ita ab Eccleſia definitum eſſe: nam qui paulo curioſior eſt, quaeret, unde conſtet ea de re iſti Eccleſiae; et unde item mihi conſtare poſſit Eccleſiam non poſſe falli. Deinde, ut certo conſtet Chriſti doctrinam a Deo profectam; in eo tamen non continetur, me ſalvum fore, niſi hac lege ac conditione adjecta, dummodo Chriſto per fidem illam flagrantem adhaeream. Hoc autem in me poſitum non videtur,

tur, cum ſit res divini muneris: et eo ut a Deo ſim affectus munere, ab eodem tamen aliquando excidere poſſum: quod ſi excido, non amplius Chriſto adhaereſco. Me autem a fide illa non caſurum, in ſacris literis non continetur. Jam ut a dialecticis ſtatui audio, ſi principia argumentationis ſunt infirma, et quae conſequitur rerum concluſio nutat. Accedit huc, quod Salomon ſtatuit, *Neminem ſcire, amorene, an odio dignus ſit;* ſed omnia in futurum ſervari incerta. Fluctuant ergo adhuc rationes meae; nec dentes adeo tenaces ſunt anchorae, nt aberrationem incertam a navi mea prohibere queant. Et quamvis ipſe profecto non tam quam prae me fero addubitem; delector tamen plurimum orationis iſtius curſu, quae pietatem una cum eruditione feliciter copulare videtur.

Flor. Iſtiuſmodi diſputationibus non me cupide offero; neque libenter cum quoquam hiſce de rebus inſtituo certamen; non invitus in inſtitutis patriis maneo: turbulenta ſunt tempora: hominum eſt, ſi quando alias, irritabile genus. Verum cum fas non ſit quenquam hoſpitem eſſe in inſtitutis urbis ſuae; et res, quas me tractare vultis, ejus ſint generis, ut percurſas animo atque decantatas eas omnes habere debeant, quicunque Chriſtianiſmi profeſſionem ſuſtinent; mos vobis geretur. Omne hoc Chriſtianae religionis myſterium a Deo vero profectum eſſe, quinque (ut nobis videtur) praecipue rebus apertiſſime commonſtratur. Afflatu numinis, Eccleſiae auctoritate, Chriſti ipſius vita, Doctrinae ejuſdem ge-

 nere

nere, et prodigioſis illis denique operibus, quae Miracula vocantur. Jam de ſingulis obiter aliquid vobis dicetur: quae ſingula ſi nequeant, certe juncta fidem abunde facient. Uſus ipſe nos ſatis docet, omne ſtudium noſtrum deorſum tendere, contra quam naturae noſtrae dignitas poſtulat. Divini ergo ſpiritus opera eſt, quae erigit animos noſtros ad ſe tum agnoſcendum, tum amandum: quam quidem nos non incommode Afflatum vocabimus; de quo dictum eſt ipſi Chriſto, *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Eodem pertinet et illud in Actis Apoſtolicis, *Crediderunt autem, quotquot erant deſtinati ad vitam aeternam.* Et eſt haec praeſtantiſſima, et quam nulla vis labefactet, firmitudinis ratio. Nulla ſane *ἀπόδειξις* philoſophica, aut viſio oculorum, aut tactionis experientia eſt, quae tam potenter eliciat animi aſſënſum, quam ſolet divinus ille impulſus; quoties illi libitum eſt inſtinguere atque excitare aliquem ad fidem, etiam rerum alioqui non apparentium. Hoc qui dubitat, expendat invictam illam Heroum noſtrorum, quos Martyres vocamus, conſtantiam; et videbit, non fuiſſe *arundines vento agitatas.* Huc item ſpectant illa Pauli verba, magnitudinis atque confiſionis animi pleniſſima: *Certus ſum enim quod neque mors, neque vita; neque angeli, neque principatus, neque virtutes; neque inſtantia, neque futura; neque altitudo, neque profundum; neque creatura alia, poterit nos ſeparare a caritate Dei, quae eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Jam et Eccleſiae, hoc eſt, tot praeſtantium in omni ſapientiae genere virorum, ſummus de Chriſtiano dogmate conſenſus, jam inde ab ejus exordio in

hunc

hunc uſque diem, non parum hic obtinere debet momenti. Non enim ſolum doctrinam hanc (quod impii quidam cauſati ſunt) amplexa eſt indocta turba, aut aliquot anus; ſed ſumma atque in omni philoſophia exercitatiſſima ingenia; quod qui latius narratum cupit, conſulat ſcriptores eos, qui illuſtrium noſtrae religionis virorum catalogum compoſuerunt. Hoc tamen hic non praeteribo, neminem ſuperbum, quantumcunque ingenio excellat, Chriſtianae eruditionis eſſe capacem. *Abscondita eſt prudentibus hiſce et ſapientibus, detegitur parvulis.* Verum hoc non humilitatem, aut abſurditatem doctrinae, ſed excelſitatem arguit: eo quod ejus tanta eſt puritas, ut in animam illam, quae tam foeda et indigna labe, quam eſt ſuperbia, eſt contaminata, non cadat. Nihil enim tantopere ſaluti noſtrae apud Deum obeſt, quam ingenii inflatio, et tumor ex propriae ſapientiae opinione natus. Non *ergo intrat in coelorum regnum, niſi qui converſus* ab illa magnitudinis ſuae opinione, *parvuli inſtar efficitur.* Julianus, Romani imperii Rex, partim prae regnandi libidine, partim prae ingenii ſuperbia a Chriſto defecit; et jactare illud ſolebat, *Nihil nobis eſſe praeter nudum illud πίστευσον.* Sed qui tres illas poſteriores quinquepartitae diviſionis partes excuſſerit, inveniet haud dubie veriſſimum illud eſſe, quod a Regum ſanctiſſimo, vatumque pariter eximio dictum eſt, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt admodum.* Ad religionis dogmata, cujuſmodi eſt Trias illa glorioſa, Virginis partus, Humanae naturae in Chriſto cum Divinitate copula, illa mortuorum generalis Reſurrectio, paucaque alia id genus conſtituenda, próprias afferre demonſtratio-

nes nequimus quidem: omnia tamen ejus generis eſſe, ut digna ſint quae ſine dubitatione credantur, oſtendere eſt in promptu. Dicam tamen breviter, tum quod inſtitutum compendium ita requirat; tum quod celerior ſit ingenii veſtri facultas, quam ut opus ſit manſum (quod aiunt) in os inſerere. Primum, Chrſti vitam extra crimen fuiſſe, indubitatius eſt, quam ut oſtendi oporteat. Nihil in illa inerat, quemadmodum in philoſophorum pleriſque fuit, ad ſanctitatis oſtentationem compoſitum. Nihil non caſtiſſimum, nihil non moderatiſſimum, nihil faſtidioſum, nihil indignabundum, nihil a communi conſuetudine diſcrepans, niſi aliquando aliter fieri ex divini honoris uſu fuiſſet: omnia plana, omnia ſimplicia, omnia humanitatis atque miſericordiae plena. Quapropter Phariſaei, qui vulgo ſancti, propterea quod cultu ac cerimoniis a vulgo differrent, videri volebant, Chriſto non mediocriter ſuccenſebant; quod, contra atque illi factitare eſſent ſoliti, cum publicanis et peccatoribus verſaretur ac manducaret. Et Simon ille indigne tulit, quod pedes ſuos Chriſtus a laſciva et infami muliercula, quae tamen lacrymoſis ſingultibus ſpurcitiem ſuam jampridem deteſtata fuerat, contingi ſit paſſus. Et cum vitae laus omnis duobus illis verbis, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, hoc eſt, *Suſtine*, (ſubaudi adverſa) *et abſtine*, (ſubaudi ab illicitis) ſit concluſa; evolve annales, et vide, an ullius vitae ratio fuerit cum illius comparanda. Sola popularitas illi a nefariis et ſuperciliosis vertebatur vitio: quam tamen ille amplexus eſt vel idcirco, ut neminem a ſpe ſalutis auſtero vitae genere deterreret; et oſten-

oſtenderet, non in ſolitudine, aut aſpera atque ſingulari victus ratione, pietatem, quae nos Deo gratos efficit, poſitam eſſe. Tota rerum illius ratio ſimplicitate quadam candidiſſima eſt referta: et quo fixius in eam fueris intuitus, hoc tibi ſemper admirabilior exſurget. *O terque quaterque beatum*, cui videre datur divini illius juvenis praeſtantiam. Sed me revoco. *Non mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum*, propterea dicendo aequavero minimam partem virtutum earum, quibus omnis ejus vita fuit exornata. Relinquamus itaque hanc partem; et accedamus ad doctrinam. Nam hic urgent acrius pietatis hoſtes. Complectitur autem illa, ut breviter dicamus, tres partes. Prima poſita eſt in praeceptis vitae: Altera pertinet ad finem bonorum: Tertia complectitur myſteria quaedam; quorum agnitio ad humanae ſalutis conſilium pertineat. De praeceptis ab eo traditis quid attinet dicere? Quanta paſſim in illis tum aequitas, tum humanitas, tum ſanctimonia relucet? Nihil illic reperire poterant, quantumlibet ingenioſi calumniatores, quod reprehenderent. Voluit nos ſobrie, juſte, et pie vivere: Et non ſolum de amicis, ſed etiam de inimicis bene mereri: perferre fortiter injurias; et humanitate etiam adverſus eos, qui nos hoſtiliter perſequerentur, uti. Porro de bonorum finibus vide quid conſtituerit: ſummum bonum, nempe apertam Dei, hoc eſt, principis rerum cauſae, agnitionem in aeternum aevum duraturam; ad quam tamen et purgati atque reformati corporis ſocietas accedet. Sed neque hic philoſophorum ſuggillationi locus eſſe potuit. A cruce iſta fortaſſe

abhorrebunt illi: indignum aut ridiculum dicentes, ut qui Dei filius ſit dictus, tollatur in crucem; et ut hac ratione, in ſpeciem tam ignobili, contingat hominibus exſpectata felicitas. Obruor copia eorum, quae hic reſponderi poſſunt: Sed contrahenda eſt in brevem quendam gyrum haec immenſitas. Et ne vos putetis me fulgentibus magis quam fortibus armis praeliari, accipite hunc hypotheticum Syllogiſmum; cui (ut equidem arbitror) reſponſio nulla opponi poteſt. Eſt enim valida argumentationis forma, ut dialectici tradunt, ubi conſequentis negatione tollitur antecedens. Si Antonius eſt perfectus orator, eſt peritus philoſophiae: ſed Antonius non eſt peritus philoſophiae: ergo non eſt perfectus orator. Sed hic prius prior ἀκολυθία, hoc eſt, *conſecutio* eſt corroboranda. Sic ergo nos colligamus, Si Chriſtus falſo praedicavit ſe eſſe Deum, et mendaciſſimus et deterrimus ille fuit omnium, qui unquam ab orbe condito fuerunt, hominum: ſed hujuſmodi non eſt noſter Chriſtus: ergo non falſo, ſed vere praedicavit ſe eſſe Deum. Prior conſecutio vel inde liquet, quod omnium ſcelerum, quae excogitari poſſunt, illud maximum eſt, manifeſte et falſo ſibi aſſumere divinitatis gloriam. Si quis ſolis ſpecie atque utilitatibus (quae non exiguae aut paucae ſunt) captus, humana quadam ignoratione eum velut Deum aliquem adoret, execrabilis eſſet impietas; et crimen illud omnium ſummum, quod vocatur εἰδωλολατρεία. Quale ergo illud nefas eſſet, aliquem falſo ſe ipſum commendare mortalibus ut Deum adorandum? Fuerunt barbari aliquot, et Romani item Reges, qui impie

ſibi

ſibi ſtatuas erigi curaverant, et qui in diis haberi voluerunt: ſed fuerunt illi viri aperte impii et ridiculi; neque a quoquam tales, quales poſtulabant, habiti ſunt. Mahumetes ſe duntaxat prophetam profitebatur. Verum aliquem praedicare, unum eſſe duntaxat Deum, rerum parentem et Regem; et ſe eundem eſſe Deum, et cum patre ſuo ὁμοούσιον; illudque aſſidue inculcare, curareque, ut per univerſum orbem propagetur; cujus eſſet ſceleris res, cujus impietatis? Quantum in divinam majeſtatem peccaretur, ſi aliter ſe res haberet? Imo omnia mala facinora ab orbe condito nata una conjuncta, cum hoc comparata, nihil eſſent. At iſtud Chriſtus fecit, atque indies fieri curat; curabitque quamdiu terrarum ſtabit orbis. Jam eundum eſt ad deſtructionem conſequentis prioris ἀκολουθίας; hoc eſt, oſtendendum eſt, illum non fuiſſe deterrimum mortalium, quin potius omnium extra aleam optimum. Veriſimilene eſt Deum, cujus nutu omnis hic orbis adminiſtratur, tantam paſſurum fuiſſe inſaniam atque impietatem? Quid dixi paſſurum? Imo plurimis et manifeſtis infinitae potentiae ſuae ſignis confirmaturum tam perniciofum, qui in ſe redundaret, errorem? aut adjuturum fuiſſe tam audax et ſuperbum mendacium? Vide nunc Chriſtum imperantem ventis et mari; nunc mortuos et excientem ex ſepulchris; nunc caecis viſum, nunc morboſis ſanitatem reſtituentem. Quid dixi CHRISTUM? Vide diſcipulos, abjectos in ſpeciem homunciones, quibus in ipſam rerum naturam fuiſſe videbatur imperium. Nonne etiam ipſa Petri umbra morbos depulit? Apertiores

tiores erant illae, et majores res, quam ut intervenire potuerit ulla impoſtura, aut falſa miraculi ſpecies. Ad hoc autem adhibita fuiſſe divinitus illa teſtimonia, ut ipſa Chriſti divinitas declararetur, cum ex plerifque aliis locis, tum liquet ex eo, ubi dictum eſt, *Ut autem cognoſcatis, quod filio hominis ſit poteſtas remittendi peccata, dixit paralytico, ſurge.* Num Deus voluit nos de induſtria falſa dictione teſtimonii in fraudem inducere, aut veritati collibitum eſt nos mendacio decipere? Deinde conſidera, quanto cum ſucceſſu illa divinitatis Chriſti praedicatio in hunc uſque diem floruerit: quod ſane temere in hac rerum, quas noſtra religio tradit, raritate, maxime cum ſummi hominum ordines reluctarentur, fieri non potuit. Non juviſſet ergo Deus, nec tam potenter confirmaſſet ejus cauſam, ſi fuiſſet ille deterrimus, et tam impudentis impietatis praeco. Nunc ergo tollamus prioris conſecutionis antecedentem partem; et conſtituamus id, quod de principio propoſueramus, Chriſtum non falſo praedicaſſe ſe eſſe Deum. Sed ut bonitas tum vitae, tum doctrinae Chriſtianae nobis paulo ſit apertior, familiares aliquot ſimilitudines, eaſque perbreves adducam. Hoc tamen nobis praeparationis cujuſdam ſit loco, quod Cicero vere ſtatuit, *eam virtutem, quae nos gratos efficit, matrem eſſe reliquiarum omnium.* Hinc pii ſumus in parentes; hinc boni cives, et de patria bene merentes; hinc ſancti et religionum colentes; quae omnia ſunt grati animi fructus et officia. *Equidem* (inquit Cicero) *nihil magis proprium hominis exiſtimo, quam non modo beneficio, ſed etiam benevolentiae ſignificatione alligari: Nihil porro tam inhuma-*

humanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Hinc eſt illud Senecae, *Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris.* Jam animo finge, parentem tuum peregre abiiſſe, adhuc tu dum vagires in cunis, qui tamen amplum providiſſet patrimonium; et etiam abſens ſummo ſtudio curaſſet, ut per omnes aetatis gradus ſic ad excellentiam eſſes inſtitutus, ut nihil, quod ad utilitatem vel gloriam pertineret, in te deſideraretur. Num jam grandiuſculus, cum in eam bonorum, quam patris cura tibi providit poſſeſſionem veniſſes, conquieſceres in fructu, neque ullo patris agnoſcendi, quem adhuc ſuperſtitem eſſe conſtaret, deſiderio tenerere? Et non potius illi non vulgarem referres gratiam, qui tibi parentem tam benignum commonſtraſſet? Finge item, quod pariter exempli cauſa poſitum ſit, numeroſam eſſe tibi ex neceſſariis familiam, qui ex te uno pendeant, deeſſe tibi omnino unde alas; ſingulo tamen mane tantum auri tibi dormienti ſub pulvino reponi, quantum ſat ſit ad honeſte reficiendum familiam. Nonne magnopere ſcire averes, unde eſſet haec benignitas, et auctoris indicem praemio liberali pro viribus afficeres? Superſtes eſt noſter parens, imo immortalis eſt et aeternus: unde non nobis tantum eſt puſillum illud auri, ſed quicquid uſpiam boni nobis eſt. Nos ingratiſſimi, illum neque agnovimus, neque agnoſcere ſtuduimus. Unus Chriſtus, ut agnoſceremus, praeſtitit. Quapropter multo juſtius illi (etiamſi Deus non eſſet) divini exhiberentur honores, quam Cereri, Minervae, Baccho, Apollini, Muſis; quibus ſuperſtitioſa,

tioſa, imo impia potius antiquitas, quod frugum, oleae, vitis, medicinae, et artium crederentur inventores, divinitatis gloriam attribuere non eſt verita. Nec eſt opus hic ſingulatim recenſere, qualis in nos ſit Deus; Quot ſenſibus, quot animo voluptates colligantur; et ut nihil ſit vel oculis vel animo viſum, quod mallemus eſſe, quam homines. Nonne ergo graviſſimi delicti culpam ſuſtinemus, ſi adverſus auctorem ingrati reperiamur? Hic interim dum calamus velociſſime ad metam feſtinat, in mentem venit communis cujuſdam, ſed vulgo parum animadverſae dementiae. Si tu graviſſima ſiti aeſtuans, aut in maximis conſtitutus doloribus, invenires, qui liquore aliquo in os aut vulnus infuſo, aut admoto pharmaco, protinus omnem dolorem tolleret; nonne te illi immortaliter et ſumme obſtrictum putares, non ſolum dum praeſens ſentitur beneficium, dolorque abit; ſed etiam cum jam abiiſſet? Dic, Demetri, eſtne conſentaneum quod dico?

DEMET. Eſt profecto: immortalem enim beneficii, praeſertim tanti, gratiam eſſe par eſt.

FLOR. Quod ſi ejus eſſet generis dolor, ut niſi illi perpetuo inſtillaretur, perpetuus eſſet: Num propterea minus merebitur ille gratiae, quia pergit eſſe officioſus et miſericors, et perpetuo inſtillat?

DEMET. Omnino contra eſt: nam velut praeſens aliquis Deus eſſet ille habendus.

FLOR.

Flor. Vide nunc, ut iniquiter apud nos beneficia haec Dei maxima, quia continua ſunt, pretium omne amiſerunt: nec jam beneficia, ſed quaedam naturae debita habentur! Delectat me formoſus hic rerum decor: ſed quia in promptu mihi eſt cum volo ea voluptate frui, quodammodo parvi facio. Quod ſi oculi uſus eſt ademptus, tum demum intelligerem, quanta ſit in luminibus jucunditas. Vita item ſuaviſſima eſt: ſed quia curſus ejus eſt continuus, auctoris beneficium non ſentitur. Itaque cum hoc Chriſti beneficium, quod nos gratos efficit adverſus parentem noſtrum, ſit tam magnum, ut nullum ſit quod cum eo componatur; tam illuſtre, ut negari non poſſit; fatendum plane eſt, ab improbitate tantum boni non potuiſſe profluere: imo divinam in illo ineſſe bonitatem; cujus ſolius opera effectum eſt, ut nos grati, hoc eſt, boni, imo divini ſimus. Bene ergo Paulo de ejus doctrina dictum eſt, *Exhortatio noſtra non eſt de errore, neque de immunditia, neque in dolo.* Relinquamus igitur hoc pro conceſſo et probato, Chriſtum eſſe Deum; adeoque nihil in ejus doctrina contineri, quod non ſit veriſſimum.

Cap. XX. *Qua ratione certi de ſalute aeterna reddi poſſimus.*

Nunc venio ad illam alteram partem argumentationis tuae, Franciſce; ubi dixiſti, me certum reddi non poſſe de ſalute aeterna; aut me Deo gratum eſſe certo colligere nequire; propterea

pterea quod hoc adjectione quadam intelligatur, dummodo perſiſtam in illa fidei, quae requiritur, flagrantia: qua de re certus eſſe poſſe non videor. Profecto hic cura quaedam me torquet verentem, ne indoctius aut obſcurius tantae res tractenter, et ne oratio non digna ſilentio et exſpectatione veſtra videatur. Et quia ordinata rerum diſtinctio plurimum lucis affert, quinque ſententiis reſponſionem meam abſolvam. Primum hoc vos fugere non debet, non eam hic requiri certitudinem (liceat hac voce uti) quae eſt in mathematis, ubi ſenſus aut evidens ratio extorquet animo aſſenſum: ut quod ignis calcat; aut quod quae ratione praedita ſunt, ſint capacia diſciplinae. Moralis eſt praeſens rerum tractatio; cujus res dum probantur, populari et craſſiore quadam ratione ſunt contentae. Equidem Byzantium nunquam vidi; accepi tamen, et ſcriptis et fama, eſſe principem Thraciae urbem: veruntamen cum homines illi ſint, aut fuerint, ex quibus ita eſſe didici, fallere poterant: non tamen propterea dubito, ſit necne ea urbs. Nulla ἀποδείξει mihi conſtat, parietem qui imminet, me vel jam nunc non eſſe oppreſſurum: attamen ea de re non ſum ſolicitus: Faciunt quoque ſigna et exempla fidem; imo et probationes, quas ἀτέχνως, id eſt, *inartificiales* vocant. Deinde hic illud repetendum eſt: Illos, qui divinum illud fidei donum accipiunt, propter internum illud ſpiritus magiſterium, minime dubitare: *Ipſe enim ſpiritus* (ait Paulus) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus.* Finitimum eſt illud ejuſdem. *Scio cui credidi, et certus ſum.* Et forte eodem referri poteſt *manna illud abſconditum.*

tum, et nomen novum in calculo, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Tertio et illud, ut equidem arbitror, intelligendum eſt, Omnes quicunque legitime Chriſtiani ſunt, debere certo perſuadere ſibi, ſe gratos et eſſe, et perpetuo fore, Deo patri, propter eum quem amplectuntur Chriſtum. Nam haeſitare, poſtquam legitima praeceſſit poenitentia, et in Chriſti fidem ac clientelam te contuleris; eſt divinae diffidere bonitati, et non credere illius gratiam, quae in Chriſto eſt, ſuperare indignitatem tuam, quae ſimul atque Chriſtum amplecteris evaneſcit. Hujus ſententiae fuit ille, cujus ſupra mentionem feci, Roffenſis Antiſtes: Hieronymus item Hangeſtus, vir in diſputando acutiſſimus, quales multos profert nobiliſſima illa Pariſiorum academia, illud ipſum pene in ſcriptis reliquit. Hic ego non loquor de illo gratiae habitu a caritate diſtincto: nam ejuſmodi aliquid nobis eſſe omnino cognoſci non poteſt. Expedire item plurimum, ut illud fiat, hoc eſt, ut tibi certo perſuadeas, te perpetuo fore propter Chriſtum Deo gratum, duabus de cauſis arbitror. Primum, quod hoc non eſt vere gratum eſſe Deo, ab eo ad punctum temporis aliquod accepiſſe beneficium, quod mox ſis amiſſurus, unde aeterna quaedam calamitas conſequatur. Deinde, quod hac ratione magnopere augeatur amor adverſus Deum. Nam nemo unquam magnopere illum amabit, de cujus fide ac benevolentia erga ſe dubitat; vel ſi timet, ne praeſens gratia aliquando vertatur in odium. Quid enim mihi prodeſt Deus, niſi fuerit (ut pie certe ille inquit) *Deus, Deus meus?* Ergo cum amor flagrans ſit, qui parit ſolidos vir-

tutum fructus; is ſuadendus eſt potius, quam timor. Nec eſt quod hic proferas, illos principium duntaxat facere a timore, qui docent dubitare, an grati ſimus Deo. Omnis timor ſervilis eſt haud dubie in eo, qui amari ſe dubitat. Quiſquis ergo timorem hunc docet perpetuo, amare, atque adeo fortiter et generoſe agere, dedocet. Unde fit, ut mirum non ſit, ſi neque vulgus, neque Principes Chriſtiani multum habeant Chriſtianae virtutis; et prae perituris rebus aeternas illas ſpes, virtutiſque decus omne contemnant; cum amare Deum (utinam non vere dixerim) nunquam didicerint. Profuerit plurimum, ſi religionis magiſtri id conſilii, quod Menedemus dedit Chremeti, qui filium auſteritate abalienaverat, ſequantur: Quod facient, ſi praeſtent, *ut ſentiamus illum eſſe patrem; ut audeamus illi omnia credere; ab illo petere, et poſcere; ne quam aliam quaeramus copiam.* Quum mihi dicis, hoc non in fide, hoc eſt, in generalibus illis ſcripturis contineri, me nunquam caſurum a fide; Tibi reſpondebo, diſputationem iſtam eſſe paulo curioſiorem: neque illud tibi proponi credendum, quod te prorſus fugiat, quae ſit pectoris mei fides; cadit tamen in fidem meam: poſſum enim ipſe videre, an mihi placeat Chriſtus; an ex animo diſpliceat omnis improbitas: quae ubi adſunt, impium eſt dubitare, an ſis Deo gratus. Et ut certo apud te ſtatuis, in omnem vitam amplecti Chriſtum, et omne improbitatis genus averſari; ita certo perſuadere tibi potes, te perpetuo Deo gratum fore. Non deſerit hoc genus ſtudia ille. Valeant itaque qui me a complexu tam ſalutaris perſuaſionis divellere conantur. Utinam mihi indies ſen-

ten-

tentia haec creſcat; ſic enim, et non aliter, me legitime Chriſtianum fore credam. Tum exſurgent caritatis officia, et contemptus rerum hujus mundi. Falſae opiniones ſceleratos efficiunt: opinationes languidae, et imbecillae in religionis rebus aſſentiones, ut caveant (ſi tamen cavent) a turpiſſimis facinoribus; certe perpetuo torpent, neque quicquam proferunt tanti, hoc eſt, Chriſtiani nominis profeſſione dignum. Quarto loco animadvertendum eſt illud, ut in diſciplinis, ita et hic certitudinis (hujus vocis uſum mihi concedi poſtulavi) eſſe gradus. In philoſophorum ſcholis major eſt principiorum, quam concluſionum certitudo aut evidentia. Notius eſt hominem eſſe rationalis naturae, quam felicitatis capacem: notius eſt, nullum eſſe ultimum rei individuae, quam lineam non fieri punctorum commiſſura. Ita in hoc fidei ardore ſunt magna diſcrimina: alius longe fuit ille Pauli, alius noſter: omnis tamen etiam infimus, et tantulus quantum eſt granum ſinapis, ſuum affert fructum. Hoc Chriſtus ipſe in Evangelio docet, ubi demerſionis Petri in fluctus cauſam in fidei exilitatem conferebat. Et Apoſtoli item ſibi fidem, hoc eſt, inclinationem ſui in Deum, exaugeri poſtulabant.

Demet. Poteſtne iſta fides cum aliquo turpi propoſito aut fine eſſe conjuncta? Et, ut familiarius tecum loquar, Si aurum alienum fraudulenter detineo; ſi illicitos puellae amplexus exambio; ſi incommodare cuipiam cupio, qui me damno affecit; num propterea deſino eſſe ex legitimis Chriſtianis?

FLOR. Maxime: imo ne homo quidem tunc es: nam iſta quae commemoraſti, fere etiam fiunt vel contra Ciceronis aut Ariſtotelis officia. Vide ſis tunc, qui poſſis Chriſto interea placere, qui amicam, hoc eſt animam, ac mentem ſibi gratam vult totam eſſe pulchram, et ſine omni macula. Hoc tamen hic addo temperamentum, quod quintae ſententiae loco ſit: ſubducere ſe nobis interdum pauliſper ſolere divinum ſpiritum (quod tamen ſemper culpa noſtra contingit) aut certe velut in nobis dormitare: unde fit, ut in turpitudines interdum etiam inſignes viri delabantur. *Sed cum ceciderint, non collidentur; quia Dominus* (ut ait ſcriptura) *ſupponit manum ſuam*: facile ad ſe redeunt, et deflent infirmitatem ſuam. Sed ſumma ſolicitudine cavendum eſt, ne frequentia defectionis a Deo nos indies reddat indigniores, qui allevemur. Nunquam poſſumus nimium timere, ne ſimus turpes. Caeterum illud quod tu, Franciſce, ex Solomone attuliſti, referendum arbitror ad caſus hujus vitae, quod praeſenti fortunae non ſit confidendum, *eo quod neſciamus, quid ſuperventura pariat dies*. Certe abſolute accipi vix poteſt, eo quod nemo noſtrum non novit, aut ſaltem noſcere debet, ſe eſſe odio dignum. Ergo, ut ad plenam rerum concluſionem tandem aliquando ventum ſit, Fiducia hac, quae ex Chriſto eſt, freti, jure nobis gloriam filiorum Dei vindicamus. Quod ſi filii ſumus tanti Regis, a quo nobis timendum eſt? Num quicquam eſt in hoc regno, quod ad illius vel nutum non contremiſcat? Quid aliud nobis mors ipſa afferre poteſt, niſi ut, deſerto hoc exilio, regni aeterni poſſeſſionem atque fructum capiamus?

piamus? "Gaude igitur ſerio anima mea, exulta "confidenter: ſed interea ſemper ob oculos tibi "ſit tuus Chriſtus; qui unus omnibus illis et mor-"tis et conſcientiarum et inferorum terroribus te "liberavit, et certiſſima, propediemque ventura "aeternae felicitatis ſpe complevit. Interim cum "illo generoſe et laetus perfer, ſi aerumnoſus "ſis et abjectus." Franciſce ergo, et Demetri, nonne vobis oſtendi facilem parandae tranquillitatis rationem?

Franc. Viciſti profecto, quanquam ea magna fuit, expectationem noſtram: et communi bonorum omnium auctori gratias agimus, qui iſtam tibi facultatem tribuerit, ex qua ad nos non parum adjumenti veniſſe ſentimus. Et ſunt iſta tua (ut Ovidii verſum uſurpem)

Somnia formoſo candidiora die.

Verum illud dic item, quod mihi praeteriiſſe videris, Sitne aliqua ratio, qua inſtinctus ille divinus, qui fidem iſtam praeſtat, certo parari poſſit?" Quod quidem non eo dico, quod inde velim vindicare aliquid laudis induſtriae noſtrae; ſed ſolum hoc, ut inde ſequi poſſit, ut minus indigni nos ſimus, qui afficiamur tanto beneficio.

Flor. Eſt ſane, et ea ipſa de re cogitaveram; ſed praecipiti orationis lapſu in alias ſum abreptus cogitationes. Et eſt ea duplex; ſed quae tamen conjuncta perpetuo permanere cupiat. Altera eſt, quae poſita eſt in precibus;

quibus aſſidue Deus pulſari amat. *Petite*, inquit Chriſtus, *et accipietis. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Altera eſt ſacrarum literarum lectio aſſidua. Simplex eſt orationis facies; ſed incredibilem tum fructum, tum delicias claudit. Nemo enim unquam (dicere auſim) fuit, qui animo perficiendi ſe ipſum eis ſtudiis ſe dediderit, qui non vel ex malo bonus, vel ex bono melior ſit effectus. Et ſane in hac rerum nocte, ſi libros illos excipias, nihil prorſus eſt in divinis rebus lucis: quapropter par eſt omnino eos ipſos omni ſtudio atque obſervantia, perinde ac theſaurum aliquem incomparabilem, et conſervare, et venerari. Habent (mihi crede) neſcio quid arcanae et velut magicae cujuſdam (ſi tamen ita loqui fas eſt) virtutis, in rapiendis in coelum, et Deum verſus, animis. Et ſane mihi animus eſt, in iiſdem tabernaculum vitae collocare. Sed me hiſce de rebus prolixius dicere, cum inſtituta brevitas, tum operae Typographicae exemplum ſedulo efflagitantes prohibent.

FRANC. Quanquam jam adveſperaſcit, adhuc tamen te non dimittemus; niſi illud prius expoſueris: an, praeterito priore illo templo, liceat in editiores illas aedes ingredi? Quod ſi datur, cur nos eo per ambages ducere voluiſti, et longos anfractus, quo compendio ire licuit?

FLOR. Plane licet, prioribus praeteritis, hoc eſt, citra exactam et curioſam naturae indagationem, Chriſtianae tranquillitatis fructus illos ſuaviſſimos colligere: et pene adducor ut

cre-

credam, feliciores eſſe, quibus hac tranſitione uti contingit. Verum, quia idem et naturae et religionis auctor eſt; *et raro aliud natura, aliud ſapientia* (ut Juvenalis verba paulum immutem) *dicit*, viſum eſt et naturae afferre praeſidia: maxime cum non deſint inflata quaedam ingenia, quorum ambitio ſit ipſa ratione (qua ſe falſo praeſtare credunt) comprimenda. Quamprimum ergo petamus illum religionis portum, et cum Paulo ſubeamus illas Chriſtianae pietatis aedes, quae unae veram et ſempiternam praeſtant tranquillitatem: priores umbratile quiddam, ac imagines ejuſdem habent; vel certe gradus quidam ſunt duntaxat, per quos ab imaginibus ad res ipſas ſcanditur. Et fortaſſe me clam vultis reprehendere, quod prolixius atque intempeſtive ſim philoſophatus. Agnoſco culpam. Sed hic duo cogitate: tum eam eſſe rerum majeſtatem, ut, etiamſi ditiſſimus et ingenii et orationis eſſem, ſemper aliquid ſit deſiderandum: tum fortuitam fuiſſe orationem, nullo ſumpto prolixiore ad cogitandum ſpatio. Contenti itaque ſitis hoc brevi reſponſo; ne opus ſit ſermone hoc extremo, cum jam vela complicanda ſunt, novam inſtituere diſputationem.

DEMET. Perfeciſti ſane tu oratione tua, ut utriuſque noſtrum animus ſit mirifice exhilaratus. Et convenit plane, ut haec oborta laetitia in amoenam quandam erumpat cantionem. Neſcis (video) quid velim, et res a gravitate noſtra alienas tibi commemorare appareo. Sed ſecus eſt. Vidi aliquando carmen quoddam tuum, quod plane ejuſdem mihi viſum eſt cum praeſente diſputatio-

e argumenti: iſtud ſi attuleris, utrique noſtrum ſatis ſuperque factum erit.

FLOR. Tu prae amore non ſatis aequus ſtudiorum meorum judex, mihi ſuades, ut inſcitiae meae teſtes quamplurimos, domeſtico quodam praeconio colligam. Solebam interdum, animi laxandi cauſa, ad Chelyn verſus quoſdam Horatianos recitare: ſed cum argumenta mihi viſa eſſent leviora, aggreſſus ſum ipſe ad componendum in meum ipſius uſum carmen, cujus ſenſus pabuli aliquid animo ſuppeditaret. Compoſui, ſed parum feliciter: quod praecipue illis videbitur, qui profanarum rerum admiratione capti, nullum carmen aptum exiſtimant, ſi deſint Theſpiades, Joves, Veneres, Ledae, et fabuloſa id genus Graecorum commenta. Sed ne Jupiter quidem ipſe (ut in proverbio eſt) omnibus placet. Ergo ut mihi tandem per vos abire liceat, afferam carmen ipſum, etſi non doctum aut cultum, certe tamen, quod multo potius eſt, pium.

ODE.

O D E.

Dicolos Diſtrophos, priore verſu Glyconico; poſteriore Aſclepiadeo: ut illa Horatii,

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida ſidera.

Nihil eſſe in hac vita requietis, praeter id, quod a ſapientia, et pietate proficiſcitur.

QUID *vos, ô ſuperi boni,*
Quid rerum Genium criminor amplius
Falſo? Sum dubio procul
Infelix opifex ipſe mihi mali.

Fruſtra quaerito, qui ſciens
Haurire ex tenebris lucem, et in horridae
Mortis regno habitans miſer,
Vitam, vel ſolidas delicias moror.

Mella abſynthia non dabunt,
Uvas nec tribulus: ſic mala gaudia
Vitae qui ſequitur brevis,
Is fructum petit ex arbore non ſua.

Formarum iſte decor fugax,
Auri qui nitor effulget in aedibus
Altis, ſtemmata regum, opes;
Luxus, delicias, inſuper addito:

Quicquid luminibus vides,
Et quicquid manibus tangis amabile,

Cuncta haec pulvis et umbra ſunt,
Et noctis brevis hujus mera ſomnia.

Quod jam praeteriit, nihil,
Eſt ventura voluptas cito tranſiens,
Mox ad praeteritum venit:
Et tu, quod nihil eſt, tam cupide petes?

I nunc, I miſer, et levi
Vento tende plagas (quodque alius, niſi
Demens, hercule non velit)
Umbram, quae fugit, amplectere, ſi vales.

Nolenti quod abit tibi,
Id tu linquere debes etiam volens:
Et prudens ea quaerere,
Nolenti nequeant quae tibi praeripi.

Quid prodeſt homini, rogo,
Lucrum totius orbis cum opibus ſuis:
Si poſt hoc breve temporis
Punctum, ſpes animae nulla relicta ſit?

Quanto nunc ſapientius
Is vitam inſtituit, qui ſtudiis piis,
Et vita innocua ſibi
Munit, cum migrat hinc, ad ſuperos viam?

Guſtum ſi interea cupis
Verae laetitiae, vel bona tempora,
Liber ſolicito metu
Componas modicus voti animum tuum.

Gyrum

Gyrum ſi finis egredi
Hunc extra rationis, tibi quos ciet
Æſtus, quos ſtrepitus parit?
Et vives miſer et turpiter inquies.

Si plenam requiem voles,
En, compendia tam difficilis viae
Dat ſacrae ſtudium crucis.
Felix eſt animi, quem ſtudium hoc juvat.

Non hunc divitiae tenent,
Curae degeneris vulgi, et amor gravis:
Sed recti decus, et viris
Quae magnis ſolet aether dare praemia.

Quas nos appetimus, velut
Commoti furiis, delicias fugit;
Sane non ſecus ac cruces,
Et mentis remoras, ſcandere dum volet.

Quae nos prima velut bona
Miramur, penitus ſpernit: et omnia,
Tanquam ſtercora, negligit:
Unum quo valeat CHRISTUM *adipiſcier.*

Quod vulgus grave judicat,
Hic perfert alacris: nec ſolidum putat
Ullum (ut caetera ſuppetant)
Huic, cui CHRISTUS *abeſt, affore gaudium.*

T*antum,* CHRISTE, *crucem tuam*
Laetus cogitat; in qua ſub imagine
Mortis, conſpicit abditam
Et vitam, et ſuperum perpetuum decus.

Sic

Sic (quod non temere ſolet
Aut multis dare coelum) mel hic ex petra
Ipſa ſugit, et ampliter
Duro ex ſaxo oleum, cum lubet, elicit.

Huic ſoli merito datum
Vitae tempus, et aevum placide fluit,
Clauſum pectore qui tenet,
Cunctorum inſtar et hoc pondus habens, bonum.

Extra ſe quid enim volet
Quidquam, qui pretioſum illud, et omnium
Per diſpendia quaerere
Quod ſolum deceat, margaritum tenet?

Quantis heu mihi fluctibus
Jactantur reliqui, ſaepe quibus ſua
Et vota exitium afferunt,
Et curas redivivas ſine termino?

Summum ſaepe vocat diem
Illum, degeneris qui generis timor
Eſt communis, et exitus
Ingratas lacrymans increpitat moras.

O nunc, o utinam furor
Hic me corripiat: ſic cupiam libens
Illo pergere, quo, velim
Nolim, perbreve poſt tempus eundum erit.

Praeſens avolat, altera
Inſtat vita: viam non aliam Pater
Ducentem huc docuit, niſi
Quae cari poſita eſt in cruce Filii.

Qui

Qui nunc luminibus queas
Siccis aſpicere haec impia vulnera,
Auctor quorum es, et e quibus
Ingrato tibi tam grata fluit ſalus?

Tu, qui ſolicitus fugis
Quod durum eſt, celer in mollia diffluens:
Qua communia praemia
Poſcis fronte, laboris ſubiens nihil?

Si non tanta potes pati,
Id ſaltem effice, ne diſſimilem ſui
Prorſus cernere te queat
Is, quocum petis olim fore particeps.

Quod Phoebum propius refert,
Vere lucidius dixeris: et nivis
Quae ſunt alba modo, locum
Inter candida primum ſibi vindicant.

Haec rurſus mage dulcia
Sunt, quae mella imitantur redolentia.
Et plus illa volucria,
Quae contendere cum auris levibus queant.

Ergo diſperеam, niſi
Quo CHRISTO *fueris conſimilis magis,*
Hoc praeſtantior exeas.
Is princeps decoris totius eſt typus.

Perſuaſum quibus eſt ita,
Cum res difficiles acriter opprimunt.
Hoc ſolamen habent pium,
Quod CHRISTUM *referant hoc melius modo.*

Rari

Rari ſunt genus hoc viri,
Excellens animi quos vigor eximat
Ex vulgo: quia pulchra res
Semper rara erit, et difficilis ſimul.

Sed nobis ſtolidis venit
In mentem prope nunquam pietatis, et
Quod ſint omnia vanitas,
Donec mors inopina impulerit fores.

Tum primum ſapere incipis,
Damnans praeteritam vitam, et inania
Sero gaudia, quae quidem
Toto pectore paulo ante adamaveras.

Tum CHRISTUM *pavidus vocas:*
Cujus tu, incolumi dum tibi res tuae,
Florerent, meminiſſe vix
Dignabare. Quid hic ſit meriti, vide.

Iſtuc cum facias metu.
Hunc nunquam (bonitas illius eſt ea)
Fruſtra amplecteris: attamen
Id multo ſatius, quo citius facis.

Si quavis alia ſtudes
Unda extinguere flammas ſitis, aut via
Diverſa requieſcere
Quaeras: una opera omnis cum oleo perit.

FINIS.

INDEX

Rerum, et Sententiarum; nec non Auctorum, et Exemplorum laudatorum.

A

Abſentium cupiditas ingrata eſt; ut cui non tam jucundum eſt multos poſt ſe, quam moleſtum ante ſe vel paucos aſpicere. 245.

Acerbarum rerum perpeſſionibus ſolita virtus paratur. 237.

Ακολαστοι ; intemperantes. 160.

Actionum bonitas. 144. 145.

Acutiſſimi homines, unde eſt quod ad turpia delabuntur? 120. 121.

Ακρατοι; impotentes. 103.

Adamus, quomodo potuit ab officio recedere? 43. 44.

Adverſa placide toleranda. 221.

Aedes *Tranquillitatis*. 128. 129.

— altera, infinitis partibus prioris magnificentiam ſuperans, cujus ſpeciem nulla humana facundia explicare poteſt. 329.

Aegritudinis leniendae rationes ſpeciales. 232.

Aegritudinum genus honeſtum ſolidam animi voluptatem procreat. 92.

Aeneas ad Didus manes. 251.

Aeneae ramus aureus. 130.

Aerumnae, in iis interpretationis Candor adhibendus. 232. — 246.

— compenſatio facienda. 238. — 239.

— ſunt pharmaca contra voluptatum toxica. 235.

— praeſtant ut ipſi nobis explorati ſimus. 235. 239.

Aeſopi Apologus de Corvo. 176. 177.

— Canis. 153.

— Graculus. 208.

Aetas tenera curanda. 136. 137.

Affectus, quid ſint? 32. quomodo Deo conveniant?

ant? 34. 35. et Angelis? 35.
— eorum Natura, Cauſae, Sedes, et Diſtinctiones. 26. — 59.
— Cauſae et varietates. 43. 44.
— Sedes. 51 — 55.
— Diſtinctio et Recenſio 60.
— Qualitas: an moderandi, an funditus tollendi ſint? 92.
— Neceſſarii ſunt. 67. 68.
Affectus, nonnulli laudabiles. 85.
— An omnes morbi ſint? 69 — 72.
— qui ſequuntur conſilia, non adeo Judicii puritati officiunt quam qui antegrediuntur. 79. 82.
— in iis ſedandis momentum omne tranquillitatis poſitum eſt, 25.
— de iis compeſcendis et moderandis; Generalis Medicina. 92 — 126.
— ex Amore omnes oriuntur 94. hinc, Amorem qui direxerit, reliquos omnes facile moderabitur. 94.
Affectus animalis cum abeſt, major eſt officii puritas. 77. 79. 82.
— omnis ſordidus ad turpem et miſeram adigit ſervitutem. 297.
Afflatus Divini vis. 21.
— quo erigit Animos noſtros ad ſe tum agnoſcendum, tum amandum. 342.
Ageſilaus laudatur. 150. ejus dictum de Animi vigore. 86.
Agis, Laconum Regis, dictum generoſum. 292.
Aglaus Pſophidius ſenex mortalium feliciſſimus. 285.
Agnitio Dei. 337.
Agnitio ſui, et Animi demiſſio. 303. 306.
Alexanter M. et *Diogenes* 295.
— et *Philippus* Medicus. 242.
— ejus lachrymae. 181.
Altitudo Divinorum conſiliorum. 274.
Ambroſius laudatur. 265.
Amor adverſus Deum potius ſuadendus, quam Timor. 354.
— caecus noſtri nobis imponit. 170 — 172.
— ſemper honeſtus erit, ſi nullus in Judicio ſit Error. 104.
— ſui ipſius, rectus. 228.
— ex eo omnes affectus oriuntur. 94.
— in eo Oculi duces. 121.

Amorem qui direxerit, reliquos affectus facile moderabit. 94.

Amore quodam perficiendi ſui omnes tenentur; ſed caeco plerumque et languido, 138.

Anaxagoras laudatur. 189. 214.

Angelus Politianus laudatur. 9.

Angeli, quomodo illis affectus conveniant? 36.

— qui potuere peccare? 97. 109. 110.

Animalis appetitus in homine victoria, unde oriatur? 37—42. quomodo ei medendum? 42.

Animalium inſtinctus. 258.

— pernicioſſimus improbus Homo. 311.

Animus incorporeus. 279.

— immortalis. 277—281.

— in corpus iterum detrudendus. 254.

Animus aeger. 158. ignobilis. 235.

— vere magnus accipit offenſiones in meliorem partem. 242.

— adſuefaciendus ut ſe abducat ad cogitationem rei amabilis vehementem. 262.

A. nocendi, praetereundus, 231.

Animi bona. 143. vera. 153.—155. eorum praeſtantia. 155. amitti non poſſunt. 162. quaerentes fruſtrari non poſſunt. 195.

— excellentis eſt, ſuavitates vulgares aliis permittere, honeſtum ſibi reſervare. 226.

Animi inflatio pacem Societatis humanae conturbat. 196. ad omne injuriae genus impellit. 196. nos ipſos laedit. 197. ex ignorantia ſui naſcitur. 198.

— pulchritudo. 122.

— vigor, ex ignoratione profectus, non eſt laudabilis. 217. 218.

— vires dura firmant, deliciae frangunt. 223.

Animum non expleveris externis bonis, 180—182.

Animis officit Fortunae indulgentia. 175.

Antiſtitum Religionis faſtus et luxus. 3. 135. 169. 227. 237.

ant? 34. 35. et Angelis? 35.
— eorum Natura, Cauſae, Sedes, et Diſtinctiones. 26. — 59.
— Cauſae et varietates. 43. 44.
— Sedes. 51 — 55.
— Diſtinctio et Recenſio 60.
— Qualitas: an moderandi, an funditus tollendi ſint? 92.
— Neceſſarii ſunt. 67. 68.
Affectus, nonnulli laudabiles. 85.
— An omnes morbi ſint? 69 — 72.
— qui ſequuntur conſilia, non adeo Judicii puritati officiunt quam qui antegrediuntur. 79. 82.
— in iis ſedandis momentum omne tranquillitatis poſitum eſt, 25.
— de iis compeſcendis et moderandis; Generalis Medicina. 92 — 126.
— ex Amore omnes oriuntur 94. hinc, Amorem qui direxerit, reliquos omnes facile moderabitur. 94.
Affectus animalis cum abeſt, major eſt officii puritas. 77. 79. 82.
— omnis ſordidus ad turpem et miſeram adigit ſervitutem. 297.
Afflatus Divini vis. 21.
— quo erigit Animos noſtros ad ſe tum agnoscendum, tum amandum. 342.
Ageſilaus laudatur. 150. ejus dictum de Animi vigore. 86.
Agis, Laconum Regis, dictum generoſum. 292.
Aglaus Pſophidius ſenex mortalium feliciſſimus. 285.
Agnitio Dei. 337.
Agnitio ſui, et Animi demiſſio. 303. 306.
Alexanter M. et *Diogenes* 295.
— et *Philippus* Medicus. 242.
— ejus lachrymae. 181.
Altitudo Divinorum conſiliorum. 274.
Ambroſius laudatur. 265.
Amor adverſus Deum potius ſuadendus, quam Timor. 354.
— caecus noſtri nobis imponit. 170 — 172.
— ſemper honeſtus erit, ſi nullus in Judicio ſit Error. 104.
— ſui ipſius, rectus. 228.
— ex eo omnes affectus oriuntur. 94.
— in eo Oculi duces. 121.

Amorem qui direxerit, reliquos affectus facile moderabit. 94.

Amore quodam perficiendi ſui omnes tenentur; ſed caeco plerumque et languido, 138.

Anaxagoras laudatur. 189. 214.

Angelus Politianus laudatur. 9.

Angeli, quomodo illis affectus conveniant? 36.

— qui potuere peccare? 97. 109. 110.

Animalis appetitus in homine victoria, unde oriatur? 37—42. quomodo ei medendum? 42.

Animalium inſtinctus. 258.

— pernicioſſimus improbus Homo. 311.

Animus incorporeus. 279.

— immortalis. 277—281.

— in corpus iterum detrudendus. 254.

Animus aeger. 158. ignobilis. 235.

— vere magnus accipit offenſiones in meliorem partem. 242.

— adſuefaciendus ut ſe abducat ad cogitationem rei amabilis vehementem. 262.

A. nocendi, praetereundus. 231.

Animi bona. 143. vera. 153.—155. eorum praeſtantia. 155. amitti non poſſunt. 162. quaerentes fruſtrari non poſſunt. 195.

— excellentis eſt, ſuavitates vulgares aliis permittere, honeſtum ſibi reſervare. 226.

Animi inflatio pacem Societatis humanae conturbat. 196. ad omne injuriae genus impellit. 196. nos ipſos laedit. 197. ex ignorantia ſui naſcitur. 198.

— pulchritudo. 122.

— vigor, ex ignoratione profectus, non eſt laudabilis. 217. 218.

— vires dura firmant, deliciae frangunt. 223.

Animum non expleveris externis bonis, 180—182.

Animis officit Fortunae indulgentia. 175.

Antiſtitum Religionis faſtus et luxus. 3. 135. 169. 227. 237.

Antonius Cleopatram conſolatur. 239.

Απαθεια *Stoicorum.* 65.

Apologia pro ea. 72—83.

Appetit nemo quicquam, niſi quod bonum ei apparet. 98. 99.

Appetitio immortalitatis a natura inſita, non ſupervacua. 278. 279.

Appetitus animalis in homine victoria, unde oriatur? 37—42. quomodo ei medendum? 42.

Arcanae Divini conſilii rationes. 212. 273.

Archimedes laudatur. 264.

Arria et *Paetus.* 227.

Ariſtippi generoſum reſponſum, de compenſatione. 239.

— et *Aeſchinis* ſimultas deſinit. 241.

Ariſtoteles laudatur. 30. 45. 47. 48. 50. 53. 56. 59. 63. 68. 72. 75. 76. 77. 96. 105. 106. 113. 116. 117. 146. 189. 217. 261. 264. 280. 307. 311. 323.

— quare juventutem a Moralis philoſophiae ſtudio aberceat? 49.

— quare de Animi immortalitate anceps? 277.

Arrianus laudatur. 91.

Arrogantia quorundam indocta et demens. 281.

Ars Tranquillitatem acquirendi. 12. et 16. ejus difficultas minuenda. 17. 18.

Aſcanii generoſa indoles. 235.*

Ab Aſperis natura refugit. 210.

Aſſuefactionis, quae vires capaces? 307. 308.

Atrae bilis vis. 263

Auctores legendi. 314. 315.

Auguſtinus laudatur. 192. 249. LL. de Civ. Dei. 315.

Avicenna Arabs laudatur? 264.

Aurum verum. 155.

Auxilia conquirenda, quibus aſpera lenire valeamus. 210. 211.

B

Beati ut ſimus, in nobis ſitum eſt. 283. 288.

Beatus ſolus qui ſe beatum judicat. 284.

Beatitudinis internae et externae comparatio. 293. 294.

Bellum ſecum gerendum. 321.

Beneficia praeterita perpendenda, futura etiam apponenda. 238. 239.

Beneficium Chriſti magnum et illuſtre. 351.

Biantis dictum, de bona Conſcientia. 296.

Boëtius laudatur. 26.

Bonorum et Malorum agnitio neceſſaria. 142. Diviſiones variae ib. de iis ſententia Stoicorum et Peripateticorum. 143.

Bona, Utilia; 142. Fortunae, externa ib. — Corporis. ib. aliena. 164. Animi 143. noſtra. 165. libera. ib. vera. 152. 153. praeſtantia — ib. conſ. 144. ad Deum referenda 160. 161. amitti non poſſunt. 161. 162. faſtidium ſui afferre non poſſunt. ib. ea quaerentes fruſtrari non poſſunt. 193.

Bona externa; exilia. 145. — Caduca. 20 — 184. poſſeſſores bonos non reddunt; quin potius corrumpunt. 148. ſpeciatim expenduntur. 148. 153.

Bona vera: certamen de iis ad pacem ducit. 228.

in Bona, potius quam in mala, intueri debemus. 238.

Boni, num pravi fiant. 162.

Bonitas Rerum et Actionum. 144.

Bonitatis magna pars eſt, toto pectore velle ſe fieri bonum. 138.

Bonum, ſaltem apparens, omnes appetunt. 98. 99.

Bonviſius (Ant.) laudatur. 209.

Bracmanum fortitudo. 256.

Britanniae res, Auctoris temporibus. 2.

Byzantini Tyranni poſſeſſiones. 289. is non contentus ſua ſorte. ib.

C

Caecus noſtri Amor nobis imponit. 170. 171.

Caeleſtis eruditionis neceſſitas. 330.

Caelibum Sodalitates. 271. — Vota. ib.

Car. Caeſaris dictum *Venetis*. 186.

Canii Julii contemptus mortis. 255.

Canis, qui non fert praedae participem. 318.

Candor Animi. 172.
— Interpretationis, in aerumnis. 233—247.
Candore utendum adverſus homines, cum injurioſi ſunt. 234.
Carneades notatur. 217.
Cato Cenſorius laudatur. 167.
Catonis Uticenſis fortitudo. 256. mores. 183. reſponſum ad Labienum, de Ammonis Oraculo. 298.
Catuli *Lycurgi.* 49.
Catullus laudatur. 137.
Cavendum a ſeipſo potiſſimum, quare? 316—322.
Certamen de veris bonis ad pacem ducit. 228.
Certi quomodo reddamur, de vera Tranquillitate per Chriſtum obtinenda? 340.—354.
Certi de ſalute aeterna, quomodo reddi poſſimus? 351. 355.
Cervus aut Lepus, in periculis terga dantes. 318.
Chriſti Imago *Voluſeno* conſpecta. 338. Inſcriptiones ſuper Caput, et ad Pedes. ib.
— Laudes. 339.
Chriſti Doctrinam ex Deo eſſe, certo conſtat. 340.—351. ex ejus vita; 344. Doctrina de praeceptis Vitae, 345.—de bonorum finibus, ib.—de Myſteriis ad humanae Salutis conſilium pertinentibus. ib. — Miraculis. 347.
Chriſtus nos gratos efficit adverſus Deum. 348. hoc beneficium magnum et illuſtre. 351.
Chriſto, non ſuis meritis, nitendum. 337.
Chriſti ſimilitudo, in aerumnis tolerandis. 257.
Chriſtianae Religionis laus. 271.
Chriſtianorum veterum paetintia. 256. *Tecla* Virgo 257.
Cicero laudatur. 16. 23. 25. 39. 42. 45. 46. 58. 81. 82. 123. 132. 133. 134 138. 146. 148. 155. 180 191. 194. 214. 219. 221 227. 232. 250. 282. 297 348. ſententiae Stoicorum de affectibus favet. 64.
Coactio nulla in electione. 114.

Cogi-

Cogitationes vanae depinguntur. 320.

Cogitationum celerrimus eſt diſcurſus. 105.

Columnarum, quibus Porticus Ædis Tranquillitatis nitebatur, Inſcriptiones Graecae. 131. 141. 164. 173. 196. 210. 283. 301.

Columnae duae Alterae Ædis, cum inſcriptionibus. 352.

Compenſatio in aerumnis facienda. 238. 239.

Comperendinatio, inepta, turpis, periculoſa. 139.

Communis, omnium hominum, Perſona. 135.

Concentum abſolutum omnis hujus orbis, ſolus Auctor intelligit. 276.

Conditio, qua nati ſumus diſpicienda. 210. —219.

Conſcientia alicujus rei praeclarae. 172. quam laeta ſit, et pulchra. 298.

Conſuetudinis vis, 19. et 47. 48. illuſtratur in Nautis, Vinctis, Gladiatoribus, Venatoribus, Feris, Saxis et Ferro; Thebanis. 304. 305.

Contemptus Mortis laudabilis. 247. non protinus a Natura. 252.

— voluptatum. 265. 272.

Converſatio utilis, 311. 312.

Convictores probi deligendi ib.

Corpus male gratum Animi domicilium. 251. 252.

Corporis bona. 143.

— reviviſcentis diverſa natura. 254.

Crates laudatur. 148.

Crechthoni (*Al.*) ingenioſum reſponſum *Jacobo Scotorum* Regi. 243.

Cupiditatum omnium domandarum fundamentum poſitum eſt in indubitata et vehementi perſuaſione de Honeſti ſpecie et praeſtantia. 121. — 126.

M. *Curii* et *T. Coruncani* votum de Samnitibus. 227.

D.

David, Hieroſ. Rex, laudatur. 147. 230.

Deformitatem contegere, natura docet. 186.

in Delectu eo minus intervenit erroris, quo minus aſ-

 fuerit

fuerit perturbationum. 77.—80.

Delphicum Oraculum de *Aglao Pſophidio* ſene 285.

Demens quorundam arrogantia. 281.

Democritus laudatur. 129.

Demoſthenes laudatur. 303. 310.

DEUS, ipſa pulchritudo et bonitas. 263. quomodo illi affectus conveniant? 35. 36. hujus orbis, et mundi totius Architectus. 276.

— ſolus intelligit concentum abſolutum omnis hujus orbis. ib.

Deus, omnibus extinctis, ut rurſus ſint, dare poteſt. 282.

Deum orbem hunc negligere, quidam ſtatuerunt 273.

Deo laus omnis tribuenda. 208. 300.

Diagoras notatur. 272.

Dialogi Occaſio, 1.—8. proluſio. 7.—21. Argumentum tractandum proponitur. 21. Concluſio cum Carmine. 359.

Diogenes laudatur. 9. 189. 242. 305.

Diog. Laërt. laudatur. 129.

Divina Munera agnoſcenda, et magni faciunda. 300

Divinitus immiſſa omnia, 230

Divinorum conſiliorum altitudo. 274. arcanae rationes. 211. et 273.

Divites non vere felices. 288.

Doctrina *Stoicor.* de affectibus. 60. *Peripateticorum* 64.

Dolia bina in Jovis limine. 216.

Dolor omnis vel longus, vel brevis. 246.

— ejus depellendi rationes. 246.—264. eum minuit animi ſeceſſio, vel peregrinatio. 261—264.

Dura Animi vires firmant, Deliciae frangunt. 224.

Dux itineris, et precator ad Deum, nobis opus eſt. 337

E.

Ebrietas ſicca cavenda. 108.

Echinus piſciculus. 265.

Eccleſiae, de Chriſtiano dogmate, conſenſus. 342.

Educationis momentum. 48. exemplum Lycurgi. 16.

ea

ea quamprimum curanda. 49. in ea parentum cura. 51. publica cura, 136. 137. liber Plutarchi de ea laudatur. 51.

in Electione nulla coactio. 114.

Epictetus laudatur. 120. 224. 244. ejus dictum pulchrum, de ſtudiorum fructu. 306. Enchiridii loci illuſtrantur. Cap. 1, 6, 7, 91. C. 34. 99. C. 3. 15. 164. C. 11. 171. C. 58. 177. C. 23. 222.

Epicurus ipſe exiguo contentus. 285.

— malorum praemeditationem damnavit. 217. 218.

Epicureorum diſciplina delicata. 89. mollis oratio. 267. Sententia de fine, confutatur. 266. 267.

Eraſmi Roterodami cenſura. 315.

Error in judicio cavendus. 105.

— prius cadit in rationem, quam in voluntatem. 101. 102.

Erroris in delectu hoc minus intervenit, quo minis afſuerit perturbationum. 77. — 80.

Eruditionis penſum aliquod exigere. 309.

Eſaias Vates laudatur. 147. 331. 339.

Ethnicorum excelſus animus unde? 257.

Euripides laudatur. 214. 308.

Euſtratius laudatur. 50.

cum Exceptione externa appetenda. 183. 184.

Excuſationes pro peccato pulchre delineantur. 111. 112.

Exercitatio, 301. 310. ejus fructus. 308. 309. et 310. quotidiana. 309.

Expetenda aliorum gratia. 142. 143. propter ſe ipſa. ib.

Externa bona 142. alieni juris ſunt, 164. mutuo accepta, qua viſum eſt hora, et quomodo libet, a Domino repetenda. 165. Celerrime auferuntur. 179. 180 iis non expleveris Animum. 181. ad vitae tutelam neceſſaria 16. modice appetenda 182. et cum exceptione. 183.

Externa magnopere quaerere, inopis et mendici Animi documentum. 186. 189.

F.

Fabula haec vita eſt. 222.
Facultates hominis. 30. 31. 32.
Faſtidio ſui laborat omnis ſtultitia. 287. bona interna afferre non poſſunt. 16.
Felices, Divites non ſunt. 288.
— eſſe, in nobis ſitum eſt. 283. et 288.
Felicitatis internae, et externae comparatio. 294. 295 296.
Felicitas vitae futurae. 249 250.
Ferae truculentiſſimae intra nos concluduntur. 318. 319.
Fides vera in Chriſtum, an cum turpi aliquo propoſito poſſit eſſe conjuncta? 355.
Fiducia ex operibus deponenda. 336.
Finis, non ſuavitas, ſed res ſuaves. 267. de ea, ſententia Epicureorum. 266. Stoicorum, Peripateticorum, Hieronymi et Diodori, 267.
Formarum venuſtas. 269.
Formoſi, quando ſumus? 158
Fortitudinis laus non tollitur Animi receſſione. 260.
Fortuna caeca. 180.
Fortunae bona. 143.
— inconſtantia. 179.
— indulgentia Animis officit. 175. 176.
— telis omnibus vita haec eſt expoſita. 211.
Fruſtrari non poſſunt quaerentes Animi bona. 193.
Futurae vitae felicitas. 249. 250.
Futuri incommodi meditatione Animus excitatur ad comparanda praeſidia. 218

G.

Galenus laudatur. 44. 93.
Gallorum contemptus mortis. 256.
Genera rerum varia. 27. 28.
Germani hoſpites dicunt, *quaere aliud diverſorium* 223.
Gloria omnis uni Deo debetur. 209.
— ſequitur fugientes, ſequentes fugit. ib.

Gloriae maxime propria materia. 172.

Gloriam non conſectari, Virtutis eſt. 208.

Gradatim progreditur natura; ab imis ad ſumma, et contra a ſummis ad ima. 280.

Gratis nemo peccat. 99. 100.

Gratus animus adverſus Deum. 348.

Gratias quantas Deo debeamus. 351. 352.

Gregor. Naz. laudatur. 147.

in Guſtatu et Tactu, unde maxime peccatur? 268. eorum ſenſuum functiones maxime communes, quare. ib.

Gyges Rex. 285.

H.

Heraclitus laudatur. 276.

Hercules, de eo verſus Senecae. 233.

Herodotus laudatur. 179.

Heroica Virtus. 258.

Heſiodus laudatur, 16. 19. 20. 140. 183. παvδ ὥρα. 270.

Homerus laudatur. 64. 72. 98 146. 148. 151. 171. 178. 183. 184. 201. 203. 216.

Homo Animal biforme. 258. minor quidam mundus. 28. ejus natura et facultates. 32.

Homo hic debitam naturae ſuae dignitatem non aſſequitur; eſt ergo alius aliquis locus, ubi abſolvendus ſit. 277.

Homo improbus perniciosiſſimus animantium. 323.

Hominis praeſtantia omnis eſt ex Animo. 286.

Homines acutiſſimi, unde eſt quod ad turpia delabuntur? 120. 121.

Homines non, niſi perturbati, nocent. 229.

Homines inter, et bruta immenſum intervallum. 279. 280.

Honeſtum ſolum bonum, ſtatuunt Stoici. 144.

—ſibi reſervare, ſuavitates vulgares aliis permittere, excellentis eſt Animi. 226.

Honeſtum genus aegritudinum ſolidam animi voluptatem procreat. 92.

Honeſti ſpecies et praeſtantia incomparabilis. 122 — 125.

Honeſta propter ſe amanda. 87. 88.

Honeſtorum conſiliorum naufragium nunquam luctuoſum. 153.

Honeſtis ſtudiis naturae pravitatem corrigi. 46.

Honeſtatis perſona naturalis, et omnium hominum communis. 135.

Horatius laudatur. 44. 49. 90. 127. 136. 175. 240. ejus de beatitudine ſententia. 284.

Hyenae. 319.

I.

Jactatio ſui occulta. 205. 206.

Idiota, ſi caeleſtium amore capitur, Theologus egregius eſt. 306.

Ignorantia varia; Juris; pervicax et affectata, ſupina; Facti. 102.

Ignorantia ſui Animi inflationem parit. 197.

Imago Chriſti Voluſeno conſpecta. 338.

ad Imitanda prava proni ſumus. 312.

Immortalitas Animi. 279—281. ejus appetitio, a natura inſita, non ſupervacua. 278. ejus certam ſpem nobis non dat lumen naturae. 326.

Impoſtura nulla eſt, in Virtutis difficultate minuenda. 18.

Indocta quorundam arrogantia. 281.

Indorum fortitudo. 256.

Inflatio Animi, pacem Societatis humanae conturbat. 196. ad omne injuriarum genus impellit. ib. nos ipſos laedit. 197. ex ignorantia ſui naſcitur. ib.

Ingenia poſt aliquod tempus ſe oſtendunt. 162.

Ingenii pravitas, quo maxime ſe efferat, videndum. 321.

Ingeniorum magna varietas. 258.

Ingratus Animus, ex abſentium cupiditate oritur. 245

Ingratum ſi dixeris, cuncta maledicta dixeris. 349.

Injuriae omnis generis ab animi inflatione proveniunt 196.

Injuriae ab hominibus, aequo animo tolerandae. 229. in iis candore utendum.

dum. 239. majores ſaepe videntur, quam ſunt. 241.

Inopis animi documentum eſt, externa magnopere quaerere. 188 — 190.

Inopinatum ſit nihil. 310.

Inſitae virtutum notiones. 118.

Inſtinctus animalium. 28. 30. 257.

— Divini ſpiritus. 258. parandus? 357. 358.

Joannes Grammaticus laudatur. 77.

Jobus laudatur. 146.

Iracundia efficit ut injuriae majores videantur quam ſint. 241.

Iſocrates laudatur. 118.

Judicium corrumpit perturbatio. 103. error in eo cavendus. 112. ejus puritati non adeo officiunt Affectus, qui ſequuntur conſilia, quam qui antegrediuntur. 82.

Julianus Defector. 343.

Juvenalis laudatur. 17. 45. 106. 146. 174. 179. 149. 181.

Juventutem quare *Ariſtoteles* a moralis philoſophiae ſtudio aberceat? 49.

L.

Laciſa, Paul. laudatur. 3.

Laconum pueri flagris ſe offerunt. 236.

Laeditur nemo, niſi a ſe ipſo. 230. 316.

Laus, 150.

— omnis Divinorum munerum Deo tribuenda. 300.

de Laude et Virtute fabula. 210.

Laudandi qui ſe, ſtudiorum utilium gratia, a turba removent. 191. 192.

Leo, ad ultionem paratus, intra nos. 318.

Libertas Animi. 163.

S. Literarum propria laus. 315. ſunt aſſidue legendae 358.

Lucanus laudatur. 183 191. 298

Lucem reformidat quorundam vitae ratio. 192

Lucianus laudatur. 13.

Lucretius laudatur. 270.

Lupus cupiditatis intra nos. 318.

Lycurgi catuli. 49.

M.

Maculis ſuis nulla Philoſophorum ſecta caruit. 73.

Malitioſe peccare, qui cenſentur. 105. malitioſi inexcuſabiles. 107.

Malum, quatenus malum eſt, nunquam eligitur. 101.

Marii patientia. 256.

Martialis laudatur. 79. 139 227.

P. Martyr laudatur. 3.

Medea. 97. 103.

Medicina generalis Affectuum. 95 — 126.

Medicus quiſque ſibi, in Animi morbis. 93.

ad Mediocritatem perpetuo collineandum. 74.

Medium illud punctum eſt, facile tranſiliendum. Ib.

Menander laudatur. 215.

Menedemus Terentianus. 83.

Mendici animi documentum eſt, externa magnopere quaerere. 188 — 190.

Mendicitas haec ſimultatum cauſa. 190.

de Mercedis ſpe. 336.

de merito bonorum operum. 334. 337. non ſuis operibus, ſed Chriſto, nitendum. ib.

Micyllus cerdo iratus gallo ſuo. 234.

Moderatio magna adhibenda in Vituperando. 196.

Modeſtiae ratio 206. 207. 208. reſperſa per omne officiorun genus. 172.

Modice appetenda externa. 183. 184.

Mora nulla interponenda, in ſui perficiendi Studio. 141

Moralis Philoſophiae munus. 12. ad omnes homines pertinet. ib. quare ab ejus ſtudio juventutem aberceat Ariſtoteles? 49.

in Morbis animi quiſque ſibi Medicus. 93.

Mors contemnenda. 247—257. eſt Animi ex corpore diſceſſio. 247. malum non eſt. ib.

Mortis timor, vel odium vitam injucundam reddit. 248. 249.

Mor-

Morte duo magna mala deponimus; peccatum, et inſcitiam futurae vitae. 254. 255.

Moſchus laudatur. 176.

Mundi totius Architectus et moderator Deus. 176.

Mundum hunc omnem Providentia regi. 220.

Munera divina agnoſcenda et magni faciunda, 300.

a Muſica, ad vitam, ſimilitudo. 216.

Mutii Scaevolae fortitudo, 256.

N.

Nati ſumus non ſolis nobis, 190.

Natura nemini noverca. 118. progreditur gradatim, ab imis ad ſumma, et contra a ſummis ad ima. 280. 281 ab aſperis refugit. 210. in animis noſtris virtutum notiones conſignavit. 119. 120. nos φιλοκαλὰς finxit. 121.

Natura et facultate hominis, 30. 31. 32.

Natura noſtra exploranda. 132. 133.

Naturae beneficium, an virtus ſit? 118.

— pravitatem honeſtis ſtudiis corrigi. 46. exemplum Socratis. ib.

Natura ad hoc ferimur ut deformitatem contegamus. 186.

Naturalium virium defectus, ad Tranquillitatem obtinendam. 324.—331.

— ejus ratio. 331.

Naufragium honeſtorum conſiliorum nunquam luctuoſum. 193.

Nimietas nunquam vitia vacat. 206.

Neronis quinquennium. 162.

Nicetae martyris contemptae voluptatis exemplum. 271.

Nicias pictor laudatur. 264.

Nobilitas 150. vera, 157.

Notiones virtutum in animis conſignatae. 119. 120.

Oc-

O

Occulta jactatio ſui. 205. 206.

Ochinus (*Bernard*) laudatur, 3.

Oculi ſunt in amore duces, 121.

Offenſiones in meliorem partem accipit magnus Animus. 242.

Jo. Ogilvius laudatur. 127.

Opinionum prima debet eſſe cura. 96.

Ovidius laudatur. 97. 103. 184. 302. 357.

P

Gul. Pagetus Anglorum Regis Legatus, laudatur. 315.

Parentum, in educandis liberis, cura. 51.

S. Paulus laudatur. 20. 67. 109. 224. 240. 254. 282. 337. 342. 352. ejus Majeſtas, et inſignis Oratio. 330. 339.

Pavo glorioſus. 318.

Peccare, quomodo Adamus potuit? 43. 44.

Peccare, qui potuere Angeli? 97. 109.

— malitioſe qui dicuntur? 105.

Peccat nemo gratis. 100.

Peccandi excuſationes pulchre delineantur. 110. 111.

Penſum aliquod eruditionis exigere. 309.

Perficiendi ſui amore quodam omnes tenentur. 138.

Peregrinatio animi plurimum facit ad dolorem minuendum. 260—264. explicatur. 261.

Peripateticorum de Bono ſententia. 144.

Perſonarum diſtinctiones variae: duabus nos indutos eſſe, &c. 134.

Perſonae, non res, nos terrent. 248.

Perſuaſio indubitata et vehemens, de honeſti ſpecie et praeſtantia, 121—125.

Perturbatio judicium corrumpit. 103.

Perturbationis quo minus affuerit, hoc minus erroris in delectu intervenit. 78. 79.

Perturbationum impetum poteſt ratio comprimere. 72.

Phae-

Phaedria, apud Terentium, 103.

Phrynes techna, qua Praxitelem decepit. 319.

Philoſophandum promiſcue eſt omnibus. 305. 306.

Philoſophi veri qui? 306. 307.

Philoſophorum factio nulla ſuis caruit maculis. 73.

Pindarus laudatur. 68. 147.

Placere ſibi, qui dicuntur. 300.

Plaga fit gravior ex inopinato. 218.

Plato laudatur. 28. 38. 49. 51. 153. 155. 276. locus in Phaedro explicatur. 98.

Pleuritis morbus, ſimilitudo ab eo. 94.

Plinius avunculus laudatur. 9. 244. 26c. 285. 303. notatur. 277.

Plotinus laudatur 66. quatuor Virtutum ordines conſtituit. ib.

Plutarchus laudatur. 9. 62. 71. 102. 156. 182. 193. 213. 232. 303. 311. ejus liber de liberis educandis. 51. ſimilitudo egregia, de efferatis motibus compeſcendis. 131.

Paetus et *Arria*. 227.

Porphyrius laudatur. 66.

Porticus Aedis Tranquillitatis, 129. Columnis nitens. 130.

Potentia vera. 155.

Praeceptiones omnes, uſus niſi adhibeatur, ſunt ſupervacaneae. 301.

Praeceptiones ſpeciales ad Tranquillitatem animi obtinendam. 127 — 322. eorum efficacia. 322.

Praeclarae res quae ad animum pertinent. 172.

Prava, quomodo Voluntas dicatur? 101.

Pravitas ingenii, quo maxime ſe efferat, videndum. 321.

Pravitatem naturae honeſtis Studiis corrigi. 16.

Preces ad Deum. 357.

Principiis obſta. 311.

Principis aedes ſubiens Ruſticus. 275.

Principum Chriſtianorum diſcordia. 289. et Studia, 291.

Probi convictores deligendi 311. 312.

Providentia Mundum hunc regi.

regi. 210. et 220—ad ſingula particulatim ſe profert. ib.

Ptolemaei, *Lagi* filii, modeſtia. 202.

Pudor generoſus. 187.

Pugnantia Vota. 176.

Pulchritudo Animi. 122.

Puritas officii major eſt, cum abeſt Affectus Animalis. 79. 80.

Pygmaei. 280.

Pythagorae A. Carm. 188.

Pythagorici. 282.

Q

T. Quintii, *Romanorum* imperatoris. faceta ſimilitudo de Antiochi exercitu, *omnes Syros eſſe*. 293.

Quotidiana exercitatio. 309.

R

Ratio comprimere poteſt impetum perturbationum. 72.

a Ratione pendet directio Voluntatis. 96.

in Rationem, priuſquam in Voluntatem, cadit error. 101. 102.

Rationis et Voluntatis in officio tum conſervando tum violando, conſpiratio. 117.

Recentiorum ſcriptorum cenſura. 314. 315.

Recreationes honeſtae. 313.

Reges, Paſtores. 149.

Regnum, ſummum inter homines potentiae genus, quid ſit? 149. 150.

Regnum verum. 155.

Reguli fortitudo. 256.

Religionis Chriſtianae laus. 271.

Religionis mutatio. 3.

Rerum genera varia. 27. 28.

Robur verum. 157.

Roffenſis Antiſtes laudatur. 316.

Ruſti-

Ruſticus ſubiens aedes Principis. 275.

S.

Saluſtius laudatur. 157.

Sanitas vera. 157. 158.

Sapienti nihil novum, aut inopinatum, accidit. 211.—213.

— etiam priores lapſus bono cedunt. 244.

Scientiam *Socrates* omnes Virtutes eſſe dixit. 126.

Scoti, Caledonii. 2.

Scriptores veteres de Tranquillitate laudantur. 23.

Seceſſio animi plurimum facit ad dolorem minuendum. 260—262.

a Seipſo potiſſimum cavendum, quare? 316.

Seneca laudatur. 12. 73. 88. 141. 144. 150. 152. 156. 180. 184. 225. 233. 246. 294. 295. 305. 311. 313. 322. ejus inſignis narratio de Canio Julio. 255.

Seneca Tragicus laudatur, 150. 156.

Servitus turpis et miſera ex omni ſordido affectu oritur. 296.

Simulata non durant. 208.

Simultatum cauſa, Mendicitas animi. 190.

Sirenes. 318. eorum cantus. 233.

Socrates laudatur. 4. 9. 61. 62. 153. 155. 156. 167. 189. 264. 276. 317. Gallum Aeſculapio perſolvi jubet. 38. *Zopyrum* ſublevavit. 46. Scientiam omnes virtutes eſſe dixit. 126. ejus animi leniendi ratio. 167. exemplum tolerandae injuriae. 229. morientis fortitudo et fiducia. 256.

Solonis ad *Croeſum* reſponſum. 179.

Spartiatarum perpeſſiones. 256.

Spem certam immortalitatis non dat lumen naturae. 327. 328.

de Spe mercedis. 336.

Spes anguſtae plurimum praeſidii afferunt contra animi infractiones. 184.

Specus *Platonica.* 153.

Stoicorum de affectibus doctrina. 60. quid eos in eam ſententiam induxerit ? et Apologia pro ea. 75.—80.

— Sententia honeſtum ſolum bonum. 143.

Studiorum utilium gratia a turba removeri laudabile. 191. 192.

Stulta vota. 174.

Stultitia omnis laborat faſtidio ſui. 287.

de Summa vitae qui non cogitavit, nunquam compoſite vivet. 132.

Summus dies non vitandus. 237. 238.

Superbia et Deum et homines a nobis abalienat. 200.

Superbus nemo Chriſtianae eruditionis capax eſt. 343.

Sus libidinis intra nos. 318.

Syllogiſmus hypotheticus valida argumentationis forma. 346.

Syros omnes eſſe *Antiochi* exercitum, dixit *T. Quintius.* 293.

Syſiphus. 194.

T.

in Tactu et Guſtatu, unde maxime peccatur? 267. 268. eorum ſenſuum functiones maxime communes: quare? ib.

Tantalus. 194.

Taxilis, Indorum Regis, generoſum *Alexandro M.* dictum. 202.

Tenera aetas curandae. 136. 137.

Terentius laudatur. 20. 46. 79. 88. 103. 138. 162. 242. 244. 305.

Terribilia omnia ab hominibus ſuperata. 256.

Thebanorum exemplum conſuetudinis. 303.

Themiſtius laudatur. 77.

Theocritus laudatur. 239.

Theognis laudatur. 311.

Theſei, apud *Euripidem*, dictum, de futuris calamitatibus. 214.

Thra-

Thracum fortitudo, 256.

Timotheus muſicus, laudatur. 117.

Tirocinia virtutis. 309. 310.

Tranquillitatis Idea. 8. 323. parabilem eam eſſe. 10. qui fit, ut tam pauci eam aſſequantur? ib. 12 ars eam acquirendi. 12—15. veteres de ea ſcriptores laudantur. 23.

Tranquillitas Animi, quid ſit? 25. momentum omne in affectibus ſedandis poſitum. 25. ei non officiunt leviores flatus. 72. fundamentum poſitum eſt in indubitata et vehementi perſuaſione de Honeſti ſpecie et praeſtantia. 122—126. ad eam obtinendam praeceptiones ſpeciales, 126 1ma. 127. 2da. 141 3tia. 164. 4ta. 173. 5ta. 196. 6ta. 210. 7ma. 283. 8va. 301. defectus virium naturalium. 324—330. per Chriſtum certo obtinenda. 339

Tranquillitatis *Aedes*, ex Pario lapide, etc. 127. *Columnae. Aedes* altera. Vid. ſupra.

Turpitudo ipſa per ſe fugienda, 87—90. ubi abeſt, nullum eſt dedecus. 215.

ob Turpia ſola ſi perturbemur, non eſt quod diu vel magnopere id fiat. 90—92. unde eſt quod acutiſſimi homines ad ea delabuntur. 120. 121.

U.

Ulyſſis μῶλυ. 94.

Uſus niſi adhibeatur, praeceptiones omnes ſupervacaneae ſunt. 30.

Utilia. 141. 142.

Utilitates communes, vel amicorum, non negligendae. 191.

V.

Valetudo corporis, Robur, Voluptas, Species; quam fragilia omnia. 150. 151.

Vanae cogitationes depinguntur. 320.

Vaticinium Auctoris, de Regnorum Britannicorum Unione. 3.

Velimus ea fieri quae fiunt. 224.

Venuſtas formarum. 269.

Vera bona. 152—162.

Victoria animalis appetitus in homine, unde oriatur? 38—43. quomodo ei medendum? ib.

Victoria interna quam pulchra et laeta ſit. 296—299.

Vintonienſis Antiſtes laudatur. 152.

Vires aſſuefactionis capaces, quae. 307. 308.

Virium naturalium defectus. 324—330.

Virgilius laudatur. 17. 38. 79. 80. 96. 115. 140. 175. 212. 235. 251. 269. 272. de Corycio ſene. 285.

Virtus, an naturae beneficium? 118.

— ipſa ſibi merces. 163.

— non curat externa praemia. 169.

— Heroica. 68. 258.

— quae nos gratos efficit mater reliquorum omnium. 348.

— ſolida animi non paratur, niſi perpeſſionibus acerbarum rerum. 237.

Virtutis Tirocinia. 309. 310.

— difficultas minuenda. 16—19. nec ulla hic eſt impoſtura. ib.

— Specie fallit vitium. 124.

Virtutis eſt, gloriam non conſectari. 208.

Virtutum nexus neceſſarius. 289. quatuor ordines, ſecundum *Plotinum*. 66. notiones natura in animis conſignavit. 119.

de Virtute et Laude fabula. 210.

Viſiones nocturnae lucis ſtudia et curas referunt. 128.

Vita haec fabula eſt. 222. omnibus Fortunae telis eſt expoſita. 212. in ea plurima fiunt perturbare. 273. perpetuus eſt ad mortem curſus. 151. nunquam poteſt eſſe jucunda, ubi ingens

gens eſt mortis Timor, vel Odium. 248. 249.

ad Vitae tutelam externa neceſſaria. 182.

Vitae ratio quorundam lucem reformidat. 192. 193.

Vitae futurae felicitas. 249. 250.

Vitia aliorum quidam acute cernunt, in ſuis caeci. 5.

Vitium fallit, ſpecie virtutis. 124.

Vitio nunquam vacat nimietas. 206.

in Vituperando, moderatio magna adhibenda. 197.

Voluntas, quomodo libera? 97—119. ejus directio pendet a Ratione. 96. quomodo prava dicatur? 101. fertur in rem malam, ſed non quatenus mala eſt. ib. nec prius in eam, quam in Rationem, caditerror. 102. nunquam diſcedit ab eo, quod in praeſentia et particulatim fit, judicio. 114.

Voluntatis et Rationis, in officio tum conſervando tum violando, conſpiratio. 117.

Voluptas maxima. 158.

Voluptates verae. 265.

Voluptatis noxa. 265. 269. 270. contra ejus toxica aerumnae pharmaca ſunt. 233. 234.

Voluptatum contemptus. 265 272. ejus rationes. 269. exempla. 270. 271.

Voluptatem animi ſolidam, honeſtum genus aegritudinum procreat. 92.

Voluſeni modeſtia. 23. 24. 154. 209. 232. Vaticinium de Regnorum Britan. unione. 3. Somnium ſingulare. 127 – 340. Somno ſolutus, Deo gratias agit. ib. Verſus ad Juvenem in amores prolabentem. 154. fabula de Virtute et Laude. 210. Carmen de Britannia et lana Anglica. 290. Ode. 361.

Vota Stulta, nocitura. 174. pugnantia. 175.

ex Vulgi opinione non pendendum. 287. et 292.

Vulpes fraudulenta, intra nos. 318.

X

Xenophon laudatur. 167. 203.
Xenophontis Lagi filii dictum, de timore. 86.

Z

Zeuxis uvae. 153.
Zopyrus Phyſiognomus, 46.

A 1 1453267

Digitized by Google

5"

11232

Digitized by Google